Ingestre Hall.



Z: 4: 16
B4-5

PERKINS LIBRARY


Duke University

Rare Books

[illegible]

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/destatumortuorum00burn



Effigies Authoris.

DE

STATU MORTUORUM

ET

RESURGENTIUM

Tractatus.

ADJICITUR,

APPENDIX de Futurâ Judæorum Reſtauratione,

Nunc primùm evulgata.

Autore THOMA BURNETIO, S. T. P.

ACCEDUNT

Ejuſdem Epiſtolæ duæ de Archæologiis Philoſophicis.

LONDINI:

Typis S. A. Impenſis J. HOOKE, ad Inſigne Iridis-Auratæ, in vico vulgò dicto *Fleet-Street*. M.DCC.XXVII.

E
RBR
B9645

EDITORIS PRÆFATIO.

C*UM hujus libri ratio aliqua jam antea Lectori reddita ſit in Editione libelli* De Fide & Officiis Chriſtianorum *ab eodem Autore ſcripti, quem nuper emiſimus; quod ad præſens inceptum attinet, nihil nobis jam reliquum eſſe videtur, niſi ut Lectorem commoneamus tractatum hunc* De Statu Mortuorum & Reſurgentium, *diligenter collatum eſſe cum exemplari quod Autor ipſe in privatum uſum Typis procudi fecerat. In hoc Exemplari multa à* Burnetio *adjecta erant ſive ad marginem libri, ſeu in Paginis interfoliatis (interdum fuſius paulò) annotata; quibus tamen poſtremam Autoris manum impoſitam fuiſſe equidem vix exiſtimo. Quare hujuſmodi omnia in imam*

Pa-

Paginam rejicienda eſſe duxi cum hac diſtinctionis notula (") *ne lector univerſa tanquam ejuſdem commatis, recipiat. Id unicum monendum, rationes, quas ſuſpicantur nuperi Editores in cauſa fuiſſe quo minus hunc librum ederet* Burnetius, *minimè veras eſſe: id quod nos ab ipſo probè cognitum & perſpectum habuimus.*

Tractatus De Futura Judæorum Restauratione, *qui in fine adjicitur, cum ſeparatim ab autore excuſus eſſet, ideo ſurreptitias manus effugit. Ex initio tamen ſatis conſtat tractatulum iſtum hujus libri tanquam partem, ſeu ſaltem appendicem, ab autore fuiſſe deſtinatum: quam ob cauſam ex unico qui hodie reſtat Autographo jam edendum cenſuimus.*

Londini ex Hoſpitio
Lincolnienſi menſe
Oct. *A.D.* 1727.

F. W.

Elen-

Elenchus Capitum.

CAP. I. Introductio, Argumentum, & modus tractandi. Pag. 1

CAP. II. Beatitudinem humanam non pendere tantummodo ex hâc vitâ, ſed expectandam eſſe aliam, 3

CAP. III. Animam humanam eſſe ſubſtantiam Immortalem: diſtinctam a corpore, & ab omni materia. 15

CAP. IV. Quæ futura ſit Animæ conditio, diſſoluto Corpore: ſive de ſtatu Animarum intermedio, in intervallo Mortis & Reſurrectionis: quoad modum & gradus fœlicitatis aut miſeriæ. 41

CAP. V. De ſtatu naturali Animarum in intervallo Mortis & Reſurrectionis; an nudæ ſint, & ab omni corpore ſeparatæ: vel Aerio, aliive, uniantur. 84

CAP.

Cap. VI. Tranſitio ad reliquas partes hujus Tractatûs: primò, de Adventu Chriſti, & de conflagratione Mundi. Pag. 104

Cap. VII. De Judicio Supremo: ipſius apparatu, modo, fine & effectu. 119

Cap. VIII. De Reſurrectioue mortuorum, & de Reſuſcitatorum ſtatu & corporibus. 149

Cap. IX. Quodnam Corpus habituri ſimus in reſurrectione: idem vel aliud ab hodierno. 193

Cap. X. De Reſurrectione prima & ultima: De cœlo terrâque novis, & inſtauratâ Naturâ: De Chriſti Regno millenni, & de rerum omnium Conſummatione, 213

Cap. XI. De Cœlo & Inferno: Quale ſit Cœlum Chriſtianorum, & quatenus Locale. Quid ſit Infernum: an detur Infernum Subterraneum: vel aliud ullum locale, corporeum, & externum, ante Diem Judicii & Conflagrationem Mundi. De pœnis Inferni, an finitæ, vel infinitæ, vel indefinitæ cenſendæ ſint. 268.

Conclusio. 313.

Appendix de Futurâ Judæorum Reſtauratione. 1

DE
Statu Mortuorum
ET
Reſurgentium.

CAP. I.

Introductio, Argumentum, & Modus tractandi.

TENUIS, incertus & ſæpe miſer rerum noſtrarum ſtatus in hodiernâ vitâ, facit ut quæritemus meritò, an ab hâc ſolâ pendeat humana fœlicitas. Cúmque ex duabus partibus, Animâ & Corpore, compoſiti & integrati ſimus: Corporiſque vita peritura ſit, penitúſque extincta infra curriculum unius ſæculi; quærendum ultrà, an ſuperſit Anima, altera pars homi-

nis, extincto corpore: vel unà vivant, unà moriantur ambo, ſocii individui. Hoc ſi conceſſeris, actum eſt de nobis, periimus toti: nec ultrà diſquirendum eſt quicquam de rebus quæ jam eſſe deſierunt.

Sin, è contra, ſuperſtes ſit Anima, diſſoluto corpore; & ab eodem libera, ſeorſim vivat vigeátque: multa rogitare licet, multa diſquirere, circa Animam ita ſeparatam & ſubſiſtentem: Quali fruatur vitâ, quo ſtatu: & ſi eodem fruitura ſit perpetuò? Quòd ſi vices mutaverit, an Corpus qualecunque habitura ſit iterum: Quæ bonarum & malarum diſcriminatio: Quæ præmia, & pœnæ, pro cujuſque merito? Juvabit, denique, immortalis Animæ fata & fortunam proſequi, ab exitu ſuo & emancipatione à terreno corpore uſque ad rerum conſummationem.

Hæc pro virili tractaturi ſumus in ſequenti opuſculo: & inter tractandum ſecernemus, quantum licet, *clara ab obſcuris, arcana à popularibus.* Ut quodque ſuum ſibi locum habeat, ſive in luce, ſive in umbrâ. Deus interim, Pater Luminum, greſſus noſtros dirigat, tenebras depellat, & fallaces rerum imagines: ut veritatem, cujus amore flagramus, puram & intemeratam tandem intueamur.

CAP. II.

Beatitudinem humanam non pendere tantummodo ex hâc vitâ, ſed expectandam eſſe aliam.

DEUM eſſe: Rerum omnium Authorem, & Moderatorem ſummum: tam Optimum, quàm Maximum: Rectum, æquum, juſtum: hoc poſtulat rerum Natura, hoc communis hominum conſenſus. Poſitóque hoc fundamento, Mens humana, ab intuitu hodierni ſtatûs, ad futurum aliquem præſagiendum ſtatim impellitur. Nempe cùm animadvertit, in hujuſce Mundi regimine, ſive in hâc parte œconomiæ divinæ, leges æqui & recti, in bonis & malis diſtribuendis, non cuſtodiri, inde facilè colligit, aliquid ſupereſſe: nondum expleri omnes partes hujus dramatis; & erigitur expectatione earum rerum quæ ſecuturæ ſunt in alterâ vitâ, quaſi in proximâ ſcenâ.

Bona fortunæ & fœlicitas externa non adhærent Virtuti & Sapientiæ in hâc vitâ: His non minùs gaudent, nec infrequentiùs, inſulſi, pravíque homines. Quòd ſi in his ſita eſſet ultimò fœlicitas humana, & hîc penitùs terminanda, hunc perturbatum rerum ordinem minimè ferret ſummus mundi

Rector, idémque judex æquiſſimus. Ut bonis bene ſit, & malis male, eſt vox Dei, vox hominis, vox univerſæ naturæ: Teſtor verò Cœlum, Terram, & conſcia Sidera, apud nos miſeros mortales, intra hodiernæ vitæ limites, hoc jus æternum & Sacroſanctum non exerceri. Ergo, ponas modò Deum juſtum ſanctúmque, ad hoc conſequens eſt, fore præmia & pœnas in alterâ vitâ: nec ab hodiernâ ſolummodo, humanam pendere beatitudinem, aut miſeriam.

Nec hic tempora noſtra querimur, ut ſolent infœlices: aut ſæculum hodiernum præ aliis Ferreum dicimus: Antiquum obtinet Mundus. Conſule omnium temporum, omnium gentium Faſtos, Romanos, Græcos, quoſcunque velis: ubique reperies *Socratas* & *Catones*, viros eximios, moribus animíque dotibus & indole ſingulares, iniquâ ſorte oppreſſos. Hos odit vulgus prophanum & obſtreperum: Calumniis inſectantur invidi: nec facilè patiuntur liberale ingenium, virtutis & veritatis tenax, rerum potentes & Tyranni. Hic rerum noſtrarum ſtatus.

Præterea, ut rectitudini & juſtitiæ divinæ non congruit ſors promiſcua Bonorum & Malorum, in perpetuum: ita tenuitas, ac, ut ita dicam, vilitas, hodierni Statûs: Si unicus eſſet, nulli primus, nulli ſecundus: nec dignitati Dei conditoris, nec Incolarum, hoc eſt, humanarum Animarum, dignitati, reſpon-

reſponderet. Si, præter noſtrum, innumerabiles Mundos Deum condidiſſe ſtatuas, erit tibi quidem aliquantulum levior hæc difficultas: Qui verò, præter Tellurem hodiernam, (Atomum, ſi parvitatem ſpectes: ſi ſpurcitiam, ſterquilinium) nullum agnoſcunt mundum habitabilem, nullos incolas: nec quicquam futurum extinctâ hâc vitâ: næ illi Majeſtati divinæ graviter officiunt; & Deum ſibi fingunt homine magnanimo minorem. Dein ſi, præter Tellurem ipſam, res humanas, quæ hîc agitantur, obſerves: adeò minutas eſſe reperies, aut confuſas, aut ærumnoſas, ut à malo numine conſtitui, & ab impotenti tolerari, ſuſpicaberis. Inter principes; quid aliud quàm Bella & cædes; inter privatos, lites, jurgia, calumniæ & cauſarum diſceptationes quotidianæ: ſæpe etiam de lanâ caprinâ? Multum ubique ineptiarum & ſtultitiæ, parum ſapientiæ: &, quod gravius eſt, raræ brevéſque voluptates, multus & diuturnus labor & dolor: vel ex morbis vel inopiâ, vel inimicitiis, aliiſve incommodis. Adeò ut hujuſce vitæ Fabula, Deo, nec Authore, nec ſpectatore digna videatur: nimirum ſi abſcindas ſequelas omnes, & cum futurâ vitâ connexum.

Vid. Theor. Tell. l. 1. c. 10.

Sed progredior ultrà: Non tantùm Deo indigna ſunt, ſed etiam Animâ humanâ, res & negotiola hodiernæ vitæ, ſi futuræ ſpem & proſpectum adimas. Deprimimur,

in hoc ſtatu mortali, infra locum, & gradum, & præſtantiam naturæ noſtræ: Unde iſte nobis *pudor*, in nonnullis rebus aut affectibus naturalibus? unde iſtæc modeſtia aut perturbatio, in naturâ humanâ? non tantùm cùm peccamus, ſed cùm ipſius naturæ deſideriis aut neceſſitatibus obſequimur. Cur pudet nos noſtrûm, & naturæ propriæ? ſi infra nativam dignitatem nihil agimus: ſi nec capaces ſumus præſtantioris ſortis: nec digniorem habuimus unquam, aut habituri ſumus. Prætereà, deſtinemur, in hâc vitâ, nugis & occupatiunculis, quæ nec decent, nec replent, animam rationalem, rerum multò majorum & meliorum compotem. Quod optimum eſt, quod nobiliſſimum, quod divinum in nobis, tantùm non obruitur onere & curâ corporis: reculíſque & officiis ad victum, veſtitum, valetudinem neceſſariis. * His tamen non indiget Anima, ſed in ſervitutem cogitur, ut mancipium corporis. Subjicitur

* *Ecquis eſt qui putet hominem natum ad cibos tantùm & potus percolandos: reliquóſque bruti corporis appetitus ſatiandos? ad ventos aucupandos, & ſpes evanidas & fallaces per totam viam? Quâ tamen brevi inſaniâ tranſactâ, in terram recondatur, & in pulverem reſolvatur.* Atque hic finis hominis, & rerum humanarum. " *Non temere & fortuitò ſati & creati ſumus:* " *ſed profectò fuit quædam vis, quæ generi conſuleret hu-* " *mano: nec id gigneret aut aleret, quod cùm exantla-* " *viſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum* " *ſempiternum.* Cic. Quæſt. Tuſc. 1. in fine."

jicitur hîc vanitati, & ingemiſcit, vilibus & minutis occupata. Quorſum verò ſublimis ille intellectus, quo cœleſtia & æterna contemplatur: quo Cœlos & Terram metitur: nobilis ardor, & aſpiratio, ad altiora & majora? Quorſum illa ſitis immortalitatis, quæ nunquam explebitur? Quorſum illa virtus heroica, in nonnullis, quæ exuperat privata commoda, & poſtponit, ob commune bonum, aut virtutis amorem? Hæc faciunt ut credam quum Deus nihil moliatur ineptè, nec inanes nobis indiderit inſtinctus: fore tandem ut, ab hoc carcere liberi, novâ luce, & præſtantiori vitâ, boniſque fruamur ſempiternis.

Vides, Mentem humanam, & liberiores ipſius motus, coerceri, & quaſi ſuffocari, in hoc corpore; & quo erectior eſt, & excelſior, in ſuis cogitationibus, eo magìs ſe impediri ſentit. *Cui bono* igitur hæc vis & amplitudo animi noſtri, quibus fertur ultra fines & limites hujuſce vitæ, ſi reverâ nihil ſuppetat aut ſuperſit ultrà? Deus & Natura fruſtra nobis dedêre has alas, ſi tantùm reptare ſuper Terram, nunquam humo ſe tollere, nunquam æthera petere, licuerit. Fruſtra quidem, ſed & incommodè: nam quò elatior eſt animus in ſuis contemplationibus, & à ſenſibus abſtractior, eò minùs curat res terrenas, & magìs inhabilis redditur ad vitæ communis officia. Quòd ſi hæc unica ſit vita cujus

eſt capax, & quaſi Totum rei humanæ, perit Anima ſuâ virtute: atque omnis ſapientia, præter mundanam, & quæ eò ſpectat, eſt ſtultitia. Infamis indignitas & calumnia, in Deum & homines. Quis hoc ferre poteſt, cui mica ſalis, aut generoſæ indolis? Quis non indignatur has injurias, ſibi, gentíque humanæ impoſitas? Id unicum addam, ſi is ſit ſtatus rerum humanarum, qui hîc fingitur: atque id ſciviſſem ante diem natalem, hanc vitam, mihi oblatam, cum indignatione reſpuiſſem: Neque vivere, neque mori, operæ pretium eſſet.

HACTENUS à Naturâ Divinâ, & humanâ, rationes & argumenta ſumpſimus, ad probandum vitæ futuræ ſpem certam & indubiam; occurrit alius argumentandi modus, à naturâ rerum, conjunctim cum naturâ divinâ: & ſic ſe habet. Si Deus eſt, ſunt etiam æternæ & immutabiles Boni & Mali rationes: Turpis & Honeſti, Juſti & Injuſti diſcrimina: His autem poſitis, ſequitur, ni fallor, fore alium, præter hodiernum, rerum humanarum ſtatum & ordinem. Forſan primâ fronte, non patet hæc ita eſſe connexa: Sed connexionis vim, in utrâque parte argumenti, paucis aperiam. Nomine *Dei*, omnes intelligunt numen ſummum, & infinitè perfectum. Perfectiones divinas agnoſcunt ſemper, inter alias, ſapientiam, bonitatem, juſti-

tiam,

tiam, & puritatem omnimodam: quæ, cùm ſint perfectiones in Deo, id erunt pariter pro ratâ proportione, in naturis quibuſcunque intellectualibus à Deo creatis. Dantur itaque Boni & Mali, juſti & injuſti, turpis & honeſti diſcrimina, ab æterno: non ab impoſitione hominum, aut legibus tantùm humanis, conſtituta: ſed ab immutabili Dei naturâ & perfectione promanantia. Cúmque Deus, ſive perfectio ſumma, ſit menſura omnium: Rectúmque index ſui & obliqui: quæ deviant ab hâc regulâ, ſive his oppoſitæ & objectæ qualitates, erunt eo ipſo vitia, labes & errores: ab æterno pariter ſic conſtituta. Atque hæc eſt pars prima Argumenti noſtri. Secundò, diſcriminatis hoc modo rebus & actionibus, diſcriminantur etiam homines in duos ordines, Bonos & Malos; juſtos & injuſtos; honeſtos & turpes. Illi placent Deo, Hi diſplicent: Illos amat, Hos averſatur. Deus enim non poteſt non amare ſui imaginem: perfectiones ſuas, ubicunque occurrunt, agnoſcere: Quod ſibi conforme eſt, & divinæ naturæ particeps, fovere & amplecti. Et è converſo, quod incongruens, diſcors, & oppoſitum ſuæ naturæ, repudiare & abhorrere. Quum verò Deus ſit æqui rectíque amantiſſimus, idémque potentiſſimus, non erit otioſus ſpectator: jus faciendum curabit, nec eandem fœlicitatem amicis & inimicis,

dignis

dignis & indignis, impertiet: ſed bene aut malè merentibus ſuam unicuique portionem debitam. Et quo quiſque eſt perfectior, virtute, pietate, ſapientia: Deóque proximior indole & naturâ, eo erit altior & beatior. Hoc autem, cùm neutiquam fiat, ut palàm eſt omnibus, in hodiernâ vitâ: Conſequentiſſimum eſt, &, inſtar Dei ipſius, ſtabile & immobile, ut in futurâ aliquâ peragatur.

Atque hæc hactenus: Solet hìc adjici, coronidis loco, atque ultimi argumenti, *Conſenſus Gentium univerſalis* de vitâ futurâ. Nec immeritò, ut mihi videtur; vox enim naturæ, ſi rectè intelligatur, eſt index, teſtíſque veritatis. Sed hujus argumenti vim duobus modis labefactare ſtudent adverſæ ſententiæ fautores. Primò, negant hanc opinionem aut ſpem vitæ futuræ univerſalem eſſe inter Gentes: ſaltem ſi barbaras includas. Dein, inter Gentes excultas & literatas: inter ipſos Philoſophos: aiunt nonnullos in alteram partem fuiſſe propenſiores.

Ad primum quod ſpectat, quotquot è Gentibus Numen aliquod coluerunt: aut cultum religioſum, ritúſve, qualitercunque ſuperſtitioſos, inſtituêre: eo ipſo teſtati ſunt & prodidêre aut ſpem aut metum vitæ futuræ; & prout Diis ſuis placerent vel diſplicerent, ſe præmia vel pœnas accepturos. Reliqui autem Ethnici, ſiqui

ſiqui ſunt iſtiuſmodi, qui nihil divini ſapiunt, nihil humani ſapere non minùs videntur: ſed, pecudum inſtar, vitam agere belluinam. Ac proinde iniquum eſſet, ab his homuncionibus metiri genus humanum: ab his fæcibus hominum, & ipſius barbariei, reliquorum omnium vires & virtutes æſtimare. Siquis vellet alicujus herbæ vim nativam inquirere, non flaccidam & exuccam colliget, è ſolo ſterili: ſed qualis naſcitur in agris non malignis, & rore cœli, ſolíſque radiis vegetatur, ſecundùm uſum ordinémque naturæ; & quod huic herbæ competit, id ad ſuam ſpeciem pertinere, aut toti generi proprium & naturale, ſtatuet. Vel ſi gemmæ nitorem ac indolem ſcire velles, non tantùm *brutam*, ut aiunt, inſpicies: ſcabram & terræ ſordibus obductam: ſed exterſam & politam: Et quid tum valeat, quam vibret lucem, aut virtutem emittat, id totum naturæ & viribus ipſius attribues, & exinde pretium lapidi conſtitues.

Ad ſecundum quod ſpectat, ſiqui ſunt aut fuerunt inter literatos aut Philoſophos, qui vitam futuram abnegant, hos ex eorum eſſe numero conſtat, qui nihil in rerum naturâ, præter Materiam: aut ſaltem nullum, in rebus mortalibus, Turpis & Honeſti diſcrimen naturale, recipiunt. Sequenti capite refellendi ſunt priores: & ad poſteriores quod attinet, ſi probatum dedimus,

dedimus, à naturâ Dei, Boni & Mali æterna eſſe diſcrimina, errorem, quo nititur illa ſententia, diruimus: & eadem operâ, & orationis filo, connexam oſtendimus vitam futuram cum illâ Dei rerúmque naturâ. Ut ſummatim dicam, res eò redit, *Si Deus eſt, eſt etiam vita futura:* & qui illum agnoſcunt, hanc è medio tollere, aut ipſius fidem è mente humanâ eradicare, fruſtra ſatagunt.

Quam nobis monſtravit vitam naturæ lumen, hactenus ſecuti ſumus: ſed clarius lumen emicat ex oraculis ſacris: vitámque futuram, palàm & in aperto omnibus oſtentat. Non diffitendum eſt, in œconomiâ Judaicâ, vitam æternam, quaſi in umbris & dubiæ lucis crepuſculo, conſtitiſſe: ſed in religione Chriſtianâ, Sol nihil monſtrat evidentius in medio die, quàm nobis immortalitatem Authores Sacri. Ut nihil hìc dicam de Reſurrectionis doctrinâ ſpeciatim, aut de judicio ſupremo: notum eſt, tam Chriſtum quàm Apoſtolos, vitam hodiernam & futuram ubique diſcriminâſſe: atque in hàc diſcriminatione verti cardinem religionis noſtræ. *Quid profuerit homini,* inquit Chriſtus, *ſi lucratus fuerit mundum totum, Animæque ſuæ jacturam fecerit?* Anima, cui omnia ſuccedunt ex voto in hodiernâ vitâ, diſperdi non poteſt, aut eſſe miſera, niſi in alterâ. Alibi ait Chriſtus, *Facite vobis amicos ex Mamonâ injuſto, ut,*

Mark viii. 36.

Luc. xvi. 9.

ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Dein alio loco, *Nè timete vobis ab iis, qui trucidant cor-* Mat. x. 28
pus, Animam autem non poſſunt trucidare: ſed timete potiùs eum, qui poteſt & Animam & corpus perdere in Gehennâ. Denique, *Qui me abnegaverit in conſpectu* Luc. xii. 9.
hominum, abnegabitur in conſpectu Angelorum Dei. Et qui bonis ſuis ſpoliatus Mat. xix.
fuerit in hâc vitâ, mei causâ, reddam 29.
illi multipla in ævo futuro. His, & aliis innumeris locis, ſæculum hodiernum & futurum diſtinguit, tractátque, ut oppoſita, aut diſparata, Chriſtus. Nec tantùm in ſermone aperto, ſed etiam in parabolis, idem premit argumentum, *de Lazaro & Divite* verba faciens. *De Margaritâ inexputabilis pretii: de tritico & loliis:* cæteríſque hujúſmodi. Et in ſuâ concione ad populum è Monte: In colloquiis quotidianis: ubique loci, & nullo non tempore, hujuſce mundi bona aut mala parvi ducenda prædicat, præ Regno cœlorum, & futurâ beatitudine aut miſeriâ. Denique, ſuâ reſurrectione à mortuis, & aſcenſu in cœlum viſibili, vitam eſſe futuram, non verbis edocuit modò, ſed etiam ante oculos expoſuit.

Eandem calcant ſemitam Apoſtoli: duplicémque vitam, ſtatúmve duplicem, animæ ubique attribuunt. *Si in hâc ſo-* 1 Cor. xv.
lùm vitâ, inquit Sanctus Paulus, *ſpem* 19.
habemus

habemus in Chriſto, miſerrimi omnium
2 Cor. v. 1, 4. *ſumus. Scimus verò*, ut alibi loquitur, *ſi terreſtris hujus domûs noſtræ tabernaculum diſſolutum fuerit, nos ædificium ex Deo habituros; domicilium non manu factum, æternum in cœlis. Etenim qui ſumus in hoc tabernaculo, ſuſpiramus gravati: non eo exui cupientes, ſed ſuperindui: ut abſorbeatur mortalitas à vitâ.*
Rom. viii. 18, 19. Pariter ad *Romanos* ait, totam naturam, unà cum nobis, ingemiſcere gravatam, & ad immortalitatem quandam aſpirare. Nec ullo modo *pares eſſe hodiernæ vitæ perpeſſiones, gloriæ in nobis revelandæ.* Sed quid multa? in ſcriptis Apoſtolicis, vitam futuram, vitam æternam, ſonat omnis pagina: tam fundamentum, quàm præmium, fidei noſtræ: atque hanc immor-
2 Tim. i. 10. talitatem *in lucem eduxiſſe dicitur Chriſtus, in ſuo Evangelio*; Hanc nimirum apertiùs explicuit, & efficaciùs, quàm aut *Moſes* in ſuà Lege, aut in ſuis Scholis Philoſophi.

CAP.

CAP. III.

Animam humanam eſſe ſubſtantiam Immortalem: diſtinctam à corpore, & ab omni materiâ.

POSITA hominum vitâ futurâ, ſequitur neceſſariò Animæ humanæ immortalitas. Sed hanc alii adventitiam, & gratiâ tantùm divinâ ſuperadditam: alii congenitam: animámque ſuâ naturâ indiſſolubilem, ſtatuunt. Alterutro modo immortalem eſſe, manifeſtò teſtatur, ut ſuprà vidimus, Scriptura Sacra: cùm de vitâ æternâ, reſurrectione mortuorum, judicio, præmiis pœníſque futuris, cœlo & inferno, aliíſque cognatis diſſerit: quæ, mortuo & diſſoluto corpore, animam uſque durare, vivere, ſenſu & cogitatione frui ſupponunt. Utcunque operæ pretium erit, opinor, paucis inquirere, ſi, præter illam gratiam Dei extraordinariam, quæcunque tandem fuerit, id habeat Anima humana, dependenter quidem à Deo, ſed vi & principiis ſuæ naturæ originariæ, ut immortalis ſit, & incorruptibilis. Nec enim mediocriter aſſenſum fidémque corroborat, & efficaciores reddit, ea, quæ credimus, in ipsâ rerum naturâ videre radicata.

In Animâ, præter cogitationes, aut vim cogitandi, nihil omninò experimur, aut deprehendimus. Quicquid agit Anima, ſive in ſeipsâ, ſive exteriùs, non tactu aut impulſu agit, ſed vi alicujus cogitationis: intellectûs, voluntatis, appetitûs, aut alterius nominis. Et cùm patitur, ſive à ſeipsâ, ſive exteriùs, ea etiam eſt ſpecies aliqua cogitationis. Ut nihil prorſus in mente noſtrâ reperiamus, præter varios modos aut vim cogitandi. Quòd ſi integra natura Animæ, & eſſentia, ut dicunt, in cogitatione conſiſtat, eſt eſſentialiter vita, & indeſinenter activa vel ſui conſcia: nec perire poteſt aliter quàm annihilatione. Nam ſi cogitationem omnem adimas, aut vim cogitandi, tollis ipſam eſſentiam Animæ: quod idem eſt ac deſtruere vel annihilare Animam. Id quidem eſſe penes Deum, non negamus, nec id quæritur impræſentiarum: Sed negamus, vitam ipſius perire poſſe, aut vim cogitandi, ſuperſtite Animæ eſſentiâ. Id quod, opinor, ab hâc conſtitutione Animæ, modò recipias, rectè & neceſſariò ſequitur.

Qui hoc modo naturam mentis humanæ conſtituunt, eo ipſo immortalem conſtituunt, & indeficienter activam, vel ſui conſciam, niſi redigatur in nihilum. Qui verò, præter hanc vim cogitandi, & vitalem energiam, ut vocem illam mutuemur, Animæ attribuunt *extenſionem* & dimenſiones: idque fundamenti loco ponunt, antecedenter ad omnem

omnem cogitationem: videant illi, quî poterunt probare futuram Animæ vitam. *Vitam*, inquam: non durationem ſimplicem: Nam aliud eſt ſimpliciter durare, inſtar ſtipitis aut ſaxi: aliud *vivere*, ſenſu & cogitatione frui; id quod omnes intellectum volunt nomine Immortalitatis & vitæ futuræ. Poſitâ autem, loco animæ, ſubſtantiâ extensâ, quæ non includit neceſſariò vitam aut cogitationem, pendebit à cauſis externis, aut à gratiâ divinâ, ut, ab hoc corpore ſeparata, his fruatur vel careat. Sed nemini lites moveo, qui immortalitatem nobis conſervat, ſartam tectam: ſive à naturâ, ſive à gratiâ eam promanare ſtatuat.

In argumento noſtro progredior; Qui hanc nobis eripere immortalitatem, ipſis oculis chariorem, ſatagunt: Animam non tantùm extenſam ſuo modo, ſed verè & reipsâ corpoream, adeóque inſtar corporis diſſolubilem eſſe volunt. Hos ubique humanæ naturæ inimicos habeo. Sed adversùs inimicos etiam, jura quædam & officia ſunt ſervanda. Non itaque contumeliis & probris vexemus alii alios, ſed honeſtè, poſitiſque præjudiciis, cauſam paucis diſceptemus.

Dari aliquid *Incorporeum* in rerum naturâ, ſi libet, ex communi conſenſu, in compendium cauſæ pro conceſſo habebimus. Sin minus tibi placeat quicquam concedere quod non extorquetur vi rationis, proba-

bimus imprimis Deum non eſſe *Corpus* aut *Corporeum*. Poſitóque hoc fundamento, inde ad naturam Animæ noſtræ, de quâ agitur, examinandam deſcendemus.

Quanquam inter abſurda, quæ probationis non egent, id meritò numerari poſſit, *Mundum corporeum ſeipſum condidiſſe:* ſine manu artificis, ſine propoſito aut conſiliis præconceptis; Nec minùs abſurdum, ſummam illam ſapientiam & potentiam, quæ relucent in artificio & regimine naturæ, cæcæ rudique materiæ inſitam eſſe & innatam: Ita tamen comparantur nonnullorum ingenia, ut quicquid non tangit ſenſus externos aut imaginationem replet: ſive, ut apertiùs dicam, quicquid non eſt corporeum, id totum pro nihilo habeant. Age itaque rem paucis expendamus. Si Deum ipſum eſſe Corporeum ſtatuas, erit Deus vel totus Mundus Corporeus, tota maſſa materiæ: vel aliqua ipſius pars, ſpecies, aut ſingulare genus. Hoc poſterius ſi dixeris, nihil efficies: quoniam nullum eſt immutabile genus materiæ. Una quidem atque eadem eſt omnis materia quoad ſubſtantiam: ſed quoad modos & qualitates, mutatur indies. Quæ dura eſt hodiè, cras molleſcit aut funditur: & quæ hodiè eſt tenuis & ſubtilis, concreſcit poſtridiè, amiſſo ſuo motu. Tranſit nempe motus indeſinenter (& ipſius interventu reliquæ qualitates) ex aliis in alias materiæ partes: & nihil manet ſub

eâdem

eâdem formâ perpetuùm. Quapropter Deus iſte tuus eſſet inſtar *Protei:* vel potiùs pro variis mutationibus materiæ moreretur & reviviſceret. Præterea, cùm non ſit materia univerſa, non eſſet ubique præſens: nec id tantùm, ſed etiam diſrupta eſſet, & hiaret ipſius ſubſtantia multis in locis, interpoſitis aliis corporibus. Nempe ſi Deum eſſe velis materiæ partem fluidam & tenuem, durorum corporum interpoſitione continuitas ipſius ſolvitur. Si partem duram & craſſam, fluidis intercurrentibus multoties & multifariàm à ſeipſo diſtrahitur. Nec tam unicum Deum hoc modo efficies, quàm innumeros: nec Deum integrum, ſed tot divulſa membra & fruſta Dei. Denique, vel in ſingulis particulis totum Deum includis, vel partim in hâc, partim in illâ. Sed utroque modo eſt mera ſtultitia, quam non operæ eſt perſequi.

Vides, quàm malè conficitur Deus ex materiâ aliquâ particulari, quamcunque ſumpſeris. Nec minùs abſurdum eſt, aut impoſſible, univerſalem Materiæ maſſam in Deum erigere, & in naturam divinam. Si totam mundi aſpectabilis molem, & Corpora quæcunque: Cœleſtia, Terreſtria: animata inanimata: Lapides, Ligna, Metalla, & quæque ſordidiora Deum eſſe fingas: Hoc utique ſuperat omnium Gentium ſtultitiam; illi enim Numen ſuum aliud eſſe ducebant à marmore, aut trunco, aut quâ-

vis ſtatuâ ei conſecratâ. Hanc quidem incolere quodammodo Deos ſuos, credidêre: ſed Incolas ab æde, gladium à vaginâ diſtinguebant. Tu autem in unum idémque confundis. Præterea, ſecundum tuam ſententiam, edimus bibimúſque Deum quotidiè, imò ſub pedibus calcamus. Et quicquid patitur Materia, cùm impellitur huc illuc, ſcinditur, crematur, conteritur, aut alio modo torquetur, id totum patitur Deus. Materiam enim dicis eſſe Deum, & ſiquidem eſt divina, certè non erit inſenſilis. Hæc quidem aliena ſunt ab omni ratione, ſed te premit adhuc gravius abſurdum: non tantùm malè pati Deum facis, ſed etiam, quod vix ſuſtineo dicere, Impium eſſe & nefarium. Enimverò, ſi Deus eſt totus mundus, erit etiam omnes ipſius partes: ſive animatæ, ſive inanimatæ: turpes aut honeſtæ, puræ aut impuræ, ipſi denique homines Dæmonéſque maligni. Sed ab his infandis abſtinendum.

HÆC & hujuſmodi alia, ſupremi Numinis majeſtate indigna, tuam comitantur hypotheſin: quæ Deum deprimit & confundit cum Materiâ. Nec minùs cum ratione pugnas ex alterâ parte, dum Materiam evehis ad naturam divinam: & perfectionibus, quarum neutiquam capax eſt, invitam & reluctantem induis. Recolamus, ſi placet, Quid nomine *Dei* omnes intelligunt: Intelligunt, opinor, omnes *Naturam*

infi-

infinitè perfectam; Ecquis autem hominum eſt, qui naturæ corporeæ omnes inhærere perfectiones, ab hôc fonte promanare, ab his radicibus enaſci, aut ſibi aut aliis perſuadere poterit? Primò, nihil habet vis aut actionis in ſeipsâ moles Corporea: nec aliunde accipere poteſt, ſi nihil eâ ſit præſtantius. Dein, aliunde acceptam, exercere nequit, niſi per diviſionem ſui in varias partes, motúmque localem iſtarum partium. Sed nec diviſibilitas, nec latio de loco in locum, cum infinitâ perfectione convenit. Secundò, ſi nullam vim activam, multo minùs *Cogitationem*, in ſe continet aut includit moles corporea: minimè omnium, cogitationes perfectione infinitas: Sapientiam, potentiam, bonitatem infinitam. Præter alias perfectiones, in quibus numen divinum cæteris rebus omnibus prælucet.

At dices forſan (ut cauſæ noſtræ nihil indulgeamus) non quidem includi aut contineri manifeſtò *Cogitationem*, in conceptu Materiæ aut molis corporeæ: ſed includi forſan occultè, aut remotè, extra mentis noſtræ aciem & captum. Reſpondeo, Inter omnes Ideas mentis humanæ, nullam nobis præſentiorem eſſe, aut perſpectiorem, quàm Ideam *Materiæ*, ſive ſubſtantiæ extenſæ. Omnes ipſius dimenſiones evidentiſſimè concipimus: Ipſius præterea diviſibilitatem, mobilitatem, figuras, ſitus & proportiones. Et quæ circa has proprietates verſantur Sci-

entiæ, omnium habentur evidentiſſimæ, & maximè demonſtrabiles. Quúmque nullá ex his proprietatibus, aut alia qnacunque, quæ ſub intelligentiam humanam cadit, connexam reperiamus *Cogitationem:* inanis videtur ſuſpicio, & ſine omni veritatis ſpecie, hanc præſtantiſſimam, quam fingis, Materiæ proprietatem aut perfectionem, in eádem Ideá contineri quidem, ſed non eluceſcere: nec à mente noſtrá inde poſſe quomodocunque attingi aut derivari.

DICO, *Hanc præſtantiſſimam* Materiæ proprietatem: cæteræ enim, quas recenſuimus, proprietates, parvi ſunt momenti, dignitatis exiguæ, ſi conferantur cum Cogitatione, &, quæ inde fluunt, perfectionibus. Hæ conſtituunt Naturam Divinam, & quicquid eſt præclarum aut eminens in Naturâ humaná; Illæ, nec vitam habent, nec ſenſum: nec ullam rerum maximarum vim aut virtutem. Truncatur dimidia parte, eaque nobiliori, quæ nobis viſa eſt integerrima omnium, & conſummatiſſima, Idea: nempe Illa *Materiæ* vel *Naturæ corporeæ*. Deus nos celavit (damno quidem noſtro, ſi non injuria) quod optimum eſt, & ſcitu digniſſimum, in natura & notione corporum: mancam nobis, adeóque fallacem, hanc imponendo Ideam. Sed ficta eſt hæc calumnia in Deum & in homines. Quod Materiæ proprium eſt, includitur in ipſius Ideâ: & quod alienum eſt, & alterius generis,

neris, ut cogitatio, aut vis cogitandi, in eâdem non includitur, nec includi debet: niſi quidlibet in quolibet includere velis, & diſtinctiones rerum penitus confundere.

SED, ut pergamus in argumento, non modò non cohærent, ſed repugnant & ſibi invicem adverſantur, Natura Divina & Corporea. Hæc, infinitè perfecta: Illa, multifariàm & manifeſtò imperfecta: impotens & enervis in ſe, ſed patibilis omni modo à vi externâ. Hæc, immutabilis: Illa, perpetuis mutationibus obnoxia. Hæc, ſimplex & uniformis: Illa, modificationibus diverſis, & compoſitionibus innumeris variata. Quibus abundè patet, inter naturam Divinam & Corpoream, non modò nullam eſſe connexionem, affinitatem, aut ſimilitudinem: ſed etiam manifeſtam repugnantiam; Et, quod ad hæc conſequens eſt, *Deum eſſe incorporeum.*

POSITO hôc fundamento, quo propiùs accedamus ad propoſitum, aſſerimus ſecundò, *Dari poſſe aliquid incorporeum, præter Deum.* Hoc à præmiſſis manifeſtò deducitur, ſine morâ aut lite; nam cùm Deus ſit incorporeus, exinde patet, naturam incorpoream implicare nullam repugnantiam, vel eſſe naturam poſſibilem. Productio autem rei poſſibilis non eſt impoſſibilis. Et cùm idem Deus ſit omnipotens, penes illum erit, quicquid eſt poſſibile, actu & reipsà producere.

DENIQUE, Tertiò affirmamus, *Animam humanam eſſe naturæ incorporeæ :* vel eſſe ſubſtantiam incorpoream. Præmittere potuiſſem huic propoſitioni, alteram, magìs generalem, & quaſi intermediam : Nempe, *Non tantùm dari poſſe, ſed etiam actu & reipsâ dari*, vel exiſtere in rerum naturâ, *ſubſtantias incorporeas præter Deum.* Dein, adjunxiſſe, *Talem, in ſpecie, eſſe Animam Humanam.* Sed utrumque, ſi placet, ſub hoc capite complectemur. Primò, inquam, in genere, intra Univerſi ambitum ſunt quædam ſubſtantiæ incorporeæ præter Deum. Nihil enim ex parte rei, ut ex præfatis conſtat, impedire potuit Deum Optimum Maximum, quò minùs in mundo condendo, crearet has naturas incorporeas : & abſque illis imperfectum eſſet quodammodo Opus Mundanum, & potiori ſui parte mutilatum. Siquis extructâ Æde magnificâ, in eâdem apparandâ & inſtruendâ, nihil adhiberet pretioſæ ſupellectilis : ſed vaſa tantùm fictilia, aut lignaria, aut alterius materiæ vilis inſtrumenta : neglecto omni ornatu lauto, vel honeſto : Hunc hominem, hunc herum, aut maleſanum diceres, aut opibus exhauſtum, aut miſerè avarum ? Neque minùs, ſi rerum univerſarum Conditor, in opere ſuo abſolvendo, & adornando, præſtantiſſimum apparatum, Naturas intelligo incorporeas, prætermiſiſſet : promptum pronúmque foret dicere, eum, aut invidiâ laboràſſe, aut ali-

quâ

quâ impotentiâ, quò minùs opus ſuum perficere, aut potuiſſet, aut voluiſſet. Qualis quantúſque eſſet hiatus: Quantum in rebus Inane: ſi inter Deum & Materiam, Naturam ſummam & infimam, nihil intercederet? In hoc intervallo locus eſt innumeris rerum ordinibus, iiſque eximiis: quibus omiſſis aut ſuppreſſis, nec ſui, nec ſuſcepti & inchoati operis, dignitati & honori providiſſet Deus. Denique, in rerum naturâ multa ſunt ubique phænomena, quæ nec ad Deum immediatè, nec ad materiam, commodè referri poſſunt: Hæc naturas intermedias poſtulant, & cauſas ſecundas à Deo: omni vi corporeâ ſuperiores. Sed his immorandi non eſt hîc locus.

PARATA hoc modo, & quaſi complanatâ viâ, devenimus tandem ad concluſionem ipſam in quâ terminatur argumentum. Nempe, *Inter has ſubſtantias incorporeas, locum habere Animam humanam:* ſive, ex earum numero hanc eſſe unam. Cardo rei, ut vides, in eo vertitur, ad utram rerum claſſem, corporearum vel incorporearum, pertineat Anima Humana. * Quum verò, magnâ ex

* " Ut hoc manifeſtiùs pateat & diſtinctiùs, excu-
" tiamus pauliſper, & quaſi introſpiciamus nos-ipſos:
" Quid ſimus, Quantum valeamus. Quiſque ſui con-
" ſcius eſt, atque ſuæ exiſtentiæ: De eâ ſiquis dubita-
" verit, ipsâ illâ dubitatione convictus ſe exiſtere ne-
" ceſſe eſt fateatnr. Sed Quid ſimus, qui dubitamus,
" qui

ex parte, nos lateant rerum eſſentiæ: nec aliter dignoſcere poſſimus, quid ſint intus, & quantum invicem diſtent, quàm per effecta & proprietates: non abs re erit, primo loco, comparare qualitates & effecta utriuſque naturæ, corporeæ & incorporeæ, ſive corporis & Animi noſtri: ut inde diſcamus, an idem ſint, vel diverſa: & ſi diverſa, qualiter diſcrepent, vel adverſentur.

VIDI-

" qui volumus, nolumus, lætamur, dolemus, cogitamus mille modis: Quid ſim, inquam, qui hæc præſto patiórve, maximè quæritur. Imprimis ſentio me eſſe Ens diſtinctum ab aliis omnibus. Nec dolorem meum ſentit alter, nec alterius ego: Nec voluptatem alióſve affectus. Prætereà, plus aut minus aliis ſapio, & Velle ſuum cuique eſt, & mihi meum. Mihi ipſi valeo aut ægroto, eſurio, dormio; Denique vivo aut morior mihi ſoli.

" PROPTER hanc conſcientiam actionum & paſſionum, mihi propriam, ſingularem, & incommunicabilem, me quoddam *Individuum* appello, ab omni alio Ente diviſum & diſtinctum. Diſtinctum à Deo, quatenus ſum Ens imperfectum, tam intellectûs quàm voluntatis erroribus obnoxium. Et diſtinctum ab omni alio Ente, cùm nec illa cogitationes ſenſúſve meos percipiant, nec illorum ego. Intereà actiones illæ aut paſſiones, quarum ſum unicè conſcius, neceſſe eſt pertineant ad aliquam ſubſtantiam, ut ipſius proprietates aut facultates: Non ad Deum, prout anteà monſtravimus, & patebit infra clariùs: Spectant igitur ad Subſtantiam aliquam creatam, corpoream aut incorpoream.

" HIS prænotatis, vides in eo verti cauſæ noſtræ cardinem, ad utram rerum creatarum claſſem, corporearum vel incorporearum, referenda ſit Anima Humana."

VIDIMUS ſuprà, in ideâ naturæ corporeæ non includi cogitationem: nec reciprocè cogitationem includere ullas proprietates corporis: ac proinde nos fefellit Author naturæ, ex utràque parte, ſi cogitatio pertineat ad Materiam. Et niſi velimus ſapere ultra facultates, vel præter, vel contra: nulla naſcitur occaſio ex ideis noſtris, nulla ratio, confundendi aut uniendi cogitationem cum naturà corporeâ.

AT inquies forſan, ea quandoque experientiâ diſcimus, quæ ex ideis ſolis elicere nunquam potuiſſemus. Eſto: ſed nullâ experientià conſtat, Mentem noſtram agere aut pati per modum Materiæ: nec, è contra, Materiam agere aut pati per modum Mentis, ſive vi cogitationis ſuæ. Notum eſt, Materiam agere aut pati motu, tactu, & impulſu. Sed nullo modo conſtat mentem noſtram agere aut pati tactu ſuo vel impulſu, aut indè excitatis motibus. Exempli gratiâ, cùm digitum moveo, aut linguam, aut aliud corporis membrum, motu voluntario: nullius conſcius ſum impulsûs à mente facti, aut alliſionis, aut protruſionis, in illam partem corporis. Eſt quidem motus ſpirituum, vel tenuioris ſucci, unde provenit ultimò motus iſtius membri: ſed quæritur jam prima origo, vel cauſa iſtius motûs ſpirituum in cerebro, quatenus in nobis eſt: & modus quo provenit immediatè à mente, vel ab actione mentis. Dico autem,

me

me conſcium eſſe nullius actionis mentis meæ, ad hunc motum efficiendum, præter volitionem, aut voluntatis meæ imperium. Hanc autem volitionem tactu aut impulſu peragi, vel effectum ſuum ita ſortiri, nullâ conſcientiâ percipio, nullâ experientiâ deprehendere poſſum.

Et quoad paſſiones Animæ, à Corpore, & ab objectis impreſſas: Hi affectus quatenus ſunt in Animâ, nihil habent cognatum, nihil ſimile, motui locali: aut iis corporis motibus quibus excitantur. Exempli gratia, In dolore & triſtitiâ Cor conſtringitur: & dilatatur in lætitiâ & gaudio: ſed nemo fingere poteſt hujuſmodi conſtrictionem aut dilatationem in ipsâ Animâ: Quaſi Anima hominis eſſet muſcularis, ex fibris & tendinibus compoſita. Senſus etiam doloris, cujus conſcii ſumus, & quem clarè percipimus, nec motum localem, nec ullum mobile, nobis repræſentat: ſed eſt Idea propria, nulli alii aſſimilanda, & à motu locali diverſiſſima.

Denique, in ſenſationibus externis, in ſaporibus, odoribus, aut ſonis percipiendis, id quod ſentimus proximè, τὸ πάθος Animæ, nullam habet imaginem materiæ aut motûs. Et cùm videmus objecta externa, per imagines in oculo depictas, Imagines illæ non poſſunt deferri, motu æquali, & in eâdem integrâ figurâ, ad ſedem Animæ in cerebro: in quâcunque parte, aut regione, ſedem habeat, & peragatur perceptio. Neque magis,

gis, perturbatæ & confuſæ, objectum diſtinctè (ſuâ vi) repræſentare poſſunt. Minimè omnium ſuſpicari licet has imagines, aut imaginum reliquias, eſſe ipſas cogitationes quæ exinde ſubſequuntur in Animâ. Atque eadem eſt ratio de imagunculis vel *notis memorialibus:* quæ ſunt admodùm imperfectæ, & perinde diſpares ſuis Archetypis. Denique, ſiquæ ſint præterea cogitationes, ad hanc claſſem referendæ, nihil eas includere extenſi, figurati, aut corporei, ſi introſpicias, reperies.

Hactenus de primâ Mentis humanæ operatione, quæ dicitur *ſimplex Apprehenſio*. Sive illa ſit Idea pura & abſtracta: ſive cum motu, in aliquâ parte Corporis, conjuncta. Sunt autem in nobis, præter Ideas, & apprehenſiones ſimplices, ſuperiora quædam principia aut facultates: Judicium, Ratio, & rationum ſequelæ aut textura. Eſt denique ſupremum aliquod principium, quod his omnibus præſidet: & propterea rectè dicitur à Græcis τὸ ἡγεμονικὸν, & τὸ αὐτεξούσιον. Dominium habet & imperium, tam in Animæ operationes, quàm in motus Corporis. Atque hæc omnia ſeorſim expendenda ſunt, cùm naturam mentis noſtræ inveſtigamus. Progrediamur itaque, ſi placet, in his pauliſper examinandis. Diſtribuuntur, ut ſuprà diximus, operationes mentis humanæ, ſuo ordine & conſecutione, in perceptiones ſimplices, judicia, ratiocinationes,

tiocinationes, &, ſi velis, Methodum, ſive cogitationum ſeriem ritè ordinatam. Methodus enim complectitur & diſponit plures ratiocinationes: Ratiocinatio connectit plura judicia: Judicium plures Ideas, aut ſenſationes comparat & comprehendit. Ita, ſi progrediaris ordine, Ideæ ſunt velut Elementa prima cognitionis: & quaſi Literæ Alphabeti, ex quibus conſtant dictiones: ut ex dictionibus ſententiæ & periodi: & ex ſententiis oratio. Atque ita Cogitationum ſcala ſermonis partibus quodammodò reſpondet.

De Ideis ſatìs dictum eſt: ſuccedunt Judicia & Ratiocinia, in quibus Idearum σχέσεις, relationes, proportiones, & reſpectus mutuos, mens contemplatur. Illud enim notandum, Ideas per ſe, & ſeparatim ſpectatas, nullam efficere veritatem, nihil concludere, neque affirmare aliquid aut negare. Hæc eſt alia mentis actio aut facultas, quæ ex contemplatione rationum & reſpectuum inter has ideas, (Ideas hìc latè ſumptas intelligo) de iiſdem (& conſequenter de rebus quas repræſentant) aliquid affirmat vel negat: prout ſibi invicem congruunt vel diſcordant, implicant vel excludunt, cohærent vel adverſantur: ídque ſecundum varios gradus & modos. Jam finge, ſi libet, Ideas ipſas eſſe motus corporeos: quid demùm ſunt hi reſpectus Idearum? hæ anſulæ & appendices? Quid denique

nique præfectus ille Idearum, aut Judex, qui tam Ideas, quàm earum reſpectus, examinat, confert, expendit, dijudicat, componit: & ex earum comparatione varias format propoſitiones, & propoſitionum conjugationes?

DENIQUE, Hunc progreſſum cogitationum, à ſimplici perceptione ad judicium, à judicio ad ratiocinationem, indè ad ordinatam rationum ſeriem & contextum: Hunc progreſſum, inquam, fieri credis ab impulſu unius partis Animæ in aliam: aut quâvis motuum ſequelâ, ſecundum leges corporum & motûs localis? Mehercule non id credis: Conſule teipſum, intus verte oculos, interroga Animam, ſui compotem & conſciam, an nihil aliud ſint hæ operationes quàm mutationes corporeæ: tactus, impulſus, aut colliſiones corporum ſeu corpuſculorum; productæque aliæ ab aliis ſecundùm leges motûs localis. Niſi mentiatur in ſeipſam Anima tua, & ſe deprimere ſtudeat in inferiorem rerum claſſem: quam à Deo non habet, ſed à ſuâ in ſeipſam iniquitate meretur: Fatebitur ingenuè, ſe nihil experiri iſtiuſmodi, nec colligere poſſe quovis indicio, hæc in ſe peragi modo corporeo: Virtute ſui corporis, aut alterius cujuſcunque: Sed vi ſibi propriâ, & ſecundùm leges naturæ cogitantis, ex conceptu Idearum, & reſpectuum inter Ideas, novos conceptus

oriri

oriri, magìs compoſitos: novos quaſi partus, aut ſuperfœtationes.

AD confirmandum hoc Animæ teſtimonium de ſeipsâ, modò libera ſit & ingenua: recolamus pauliſper quod ſuprà diximus: In nudis Ideis, ſeparatim ſumptis, & ſinè reflexione, non conſiſtere *verum* aut *falſum*, propriè ſic dictum: ſed in rectâ diſpoſitione plurium Idearum inter ſe, ſecundùm ſuas formas & habitudines. Sic enim formantur propoſitiones & judicia in mente, ex his contexitur deinceps ratiocinatio: & ex utriſque denique ſermo qualiſcunque, oratio aut diſſertatio. Ex dictis duo conficiuntur, primò, vim animi maximam perſpici in relationibus rerum vel Idearum contemplandis, diſcernendis, dijudicandis. In his vertitur & progreditur ratio ab alio ad aliud, per nexus aut reſpectus mutuos: ab his dependet omnis cogitationum ſeries, progreſſio, & catena. Ideæ imaginativæ, ſeorſim ab his ſumptæ, ſunt inſtar arenæ ſine calce: Harum cæmenta ſunt dictæ relationes ab intellectu perceptæ. Ab *intellectu*, inquam, *perceptæ*: *ſecundò* enim notandum, hujuſmodi relationes rerum, nullas habere imagines in cerebro: nullas notas in phantaſiâ. Neque enim repræſentari poſſunt quâvis imagine corporeâ, quùm nullas partes aut lineamenta, nullam extenſionem habeant. Termini ſubjecti repræſentari poſſunt quomodocunque, Triangulum putà,

vel quadrangulum, vel quiddam iſtiuſmodi: Sed comparatio vel proportio inter hos terminos, vel alterutrius partes, vel inter alia quæcunque, eſt ratio à rebus inter ſe comparatis reſultans, quæ nullis lineis, nullis coloribus, depingi poteſt. Huc transferre licet quod de natura divinâ dixit Propheta, *Cui aſſimilabitis Deum fortem: & quam ſimilitudinem comparabitis ei?* Quam, quæſo, ſimilitudinem ſimilitudinis: aut effigiem proportionis abſtractæ: quovis modo, vel in cerebro, vel aliâ quâcunque materiâ, ductam aut inſcriptam concipere licet? Ita rationes veri & falſi, turpis & honeſti, poſſibilis & impoſſibilis; & notionum etiam univerſalium, quæ ex comparatione plurium rerum oriuntur: Hæ, inquam, & hujuſmodi Ideæ, in medullâ aut fibrillis cerebri nullam habent plicam, nullam umbram, nullam formam aut figurationem. Sed de hoc argumento ſatis. Iſa. xl. 18.

Hactenus unum idémque filum ſecuti ſumus: nempe gradationes mentis noſtræ in ſuis operationibus: quibus à ſimplici perceptione procedit ad judicia, & rationes, & inde ad compoſitiſſimas ſeries & ſyſtemata cogitationum in artibus & ſcientiis: & ad prolixos propoſitionum ordines, tam in contemplatione, quàm in praxi, & rerum humanarum regimine. Has vires & virtutes meritò admiramur in mente humanâ: quibus à machina ſui corporis diſtinguitur, &

ab omni materiâ. Redeamus jam alterum, quod ſupra notavimus, non minus admirabile principium aut facultatem: qua Mens perinde diſtinguitur à machina ſui corporis, & in ipſius motus imperium ſibi vindicat. Hoc principium τὸ αὐτεξούσιον nuncupavimus: Latini dicunt *Liberum Arbitrium*, voluntarium, aut vim animi ſpontaneam. Imprimis, vi hujus principii corpus regimus, ſpiritúſque, quò libet, amandamus, ad movendas has aut illas partes. Reſiſtimus præterea propenſionibus corporis: appetitibus, affectibus, ſenſibúſque externis & internis: cùm id nobis viſum fuerit.

Quid hoc autem rei eſt, quæſo, quod obluctatur corpori, ſi nihil ſumus præter corpus? Cùm fluvius decurrit in hanc partem, non poteſt ſuâ vi aquas ſiſtere, aut retro flectere in partem contrariam. Materia nulla agit in ſeipſam: Nulla Machina eſt ſuorum motuum conſcia, & ex illâ conſcientiâ ſuorum errorum correctrix & reformatrix. Si errat, neſcia pergit errare: donec admota manu artificis, aut domini, in ſtatum rectum ordinatur & reſtituitur.

Hoc principium *Reflexivum*, ut ita dicam, eſt inimitabile omni machinæ, & omni materiæ. Hæc vis αὐτεπιϛρεπτικὴ & ſui ſe pœnitens, vires & nervos automatorum corporalium tranſcendit. Eſtque reverà, ut ſingulare & proprium naturæ intellectuali, ità

in

in eâdem maximum & diviniſſimum. Non tantùm admiror illud ἀεικίνητον in mente noſtrâ: quo tamen omnia materiata ſuperat; ſed eſt adhuc excelſius quiddam, quod tam corpori, quàm Animæ, dominatur: quod præeſt exigendis rationibus omnium in utroque motuum: Et quaſi *Alter Ego*, & ſupremus Judex, utriuſque actiones recenſet & emendat, vel pro arbitrio confirmat *.

Quoad animæ motus & cogitationes noſtras, illud imprimis experimur: Mentem, pro innatâ ſuâ libertate & dominio, ad quamcunque velit cogitationem proſequendam, ſeſe applicare: in eâdem hærere diutiùs vel breviuſculè: Hanc deſerere, & ad aliam ſe convertere, pro ſuo beneplacito. Præterea, notandum, Hoc αὐτεξούσιον, in exercendo ſuo imperio, ſive in corpus, ſive in Animam, conſulere quandoque & ducem ſequi, Rationem: Quandoque ſecùs, ídque nimis

* "Dic mihi, quid intereſt inter ſomnum & vigiliam? "Cum ſomniamus, cogitationes ſequuntur aliæ alias "fortuitò ſecundùm phantaſmata obiata ſine mentis "imperio aut regimine, ſive aptè cohæreant, ſive ſecus. Cùm vigilamus autem, eſt aliquid, quod corrigit has cogitationes, moderatur, imperat, ſiſtit, "flectit in has illas partes, & rejectis abſurdis connectit & componit in ſeriem rationalem. Quid eſt "illud ſuperius principium, quod præſidet his motibus "corporis, his cogitationibus animi, regítque pro arbitrio? Illud ego Mentem ſummam & imperatricem appello."

nimis crebrò; agitque tum effrænatè & αὐτοκρατορικῶς, & ſæpe ruit in ſui ipſius perniciem. Cùm verò ſociam ſibi adſciſcit rationem, Dei inſtar agit: & tam voluntatis errores, quàm ſenſuum, imaginationis, affectuum, ipſiuſque Rationis, ad examen revocat. In hoc elucet maximè vis animi divina. In omni quidem actione aut paſſione Animæ, infimâ licèt, & abjectiſſimâ: ut in ſenſatione, appetitu quocunque aut affectu: eſt quiddam ſuperius omni vi corporeâ. Illud *Conſcium* & *Percipiens* intelligo, ubique præſens: cui non ſufficit Materia, aut materiata qualiacunque. Sed cùm aſcenditur per gradus jam memoratos, ad ſupremum apicem naturæ noſtræ, longiſſimè diſtamus à terrâ & terrenis, & in altum cœlum immergimur, ab omni organicâ aut machinali conſtructione remotiſſimi *.

Denique, ut hæc omnia in nodum conſtringam. Datur in nobis *Univerſale Percipiens*, vel Univerſale *Conſcium:* quod omnes operationes Animæ pervadit, per omnes ipſius actiones

* "Sed progrediamur. In naturâ cogitativâ duo "concurrunt, quæ ſimul concurrere nequeunt in Ma"teriâ, aut naturâ corporeâ: putà Actio & actionis "unitas. Concipimus cogitationem per modum ac"tionis, ídque actionis unitiſſimæ. Materia autem, "vel eſt expers actionis, ut corpora torpida, dura & "quieta: vel eſt expers unitatis, ut eſt materia fluida "aut volatilis: quæ multifariis particulis conſtat, hinc "illinc motis, abſque nexu aut unitate."

actiones & paſſiones diffunditur: Quid illud ſit, quæro à Te? Ecquod eſt membrum, pars, aut particula Corporis? Una eadémque res eſt, quæ ſentit objecta externa: quæ judicat, & ratiocinatur: quæ vult aut intelligit: Denique, quæ impreſſiones omnes recipit, & actiones omnes exerit aut comitatur. Oportet ut hoc Percipiens univerſale ſit admodum ſimplex & unitatis ineffabilis, ut tot impreſſiones recipiat ſinè confuſione, & tot ſimul intueatur rerum rationes & reſpectus. Nulla pars aut portio materiæ, tantæ ſimplicitatis aut unitatis capax mihi videtur. Quicquid recipitur, recipitur ad modum Recipientis: & ubi plures ſunt partes at particulæ in Recipiente, impreſſio erit divulſa, aut confuſa. Si tota impreſio incidit in idem punctum, orietur confuſio: ſi in diverſa, diſtractio. Nihil unum percipiet totum, vel conſcium erit totius impreſſionis & objecti. Ut autem in objectis externis percipiendis, ita in iiſdem, aliiſve quibuſcunque, comparandis & dijudicandis, eſt quid unum, quod rationes ſingulorum, tanquam tot fila, apprehendit tractátque: dividit aut connectit, protendit aut abrumpit, & variis modis torquet & contexit. Et his omnibus variationibus & operationibus, præter vim propriam ſingularum operationum, eſt quædam vis communis quæ permeat omnes, veluti Anima animæ. Hoc univerſale Percipiens, vel u-

niverſale conſcium debet eſſe. Quid unum, imò uniſſimum, ſi ita loqui liceat: & ſimpliciſſimum. Unitatis & ſimplicitatis tantæ, ut anteà diximus, quanta concipi non poteſt in ullâ ſubſtantiâ extensâ, diviſibili, & partibus diſtantibus compoſitâ.

“Vid. “Suar. de “ſubſt.*** “p. 213, “&c.”

His ita discussis, quâ potui brevitate, Mentem noſtram alterius eſſe naturæ à corpore, & vi corporeâ quacunque, ſuperioris, clarum mihi videtur ex omni parte; ſive Ideas utriuſque naturæ contemplemur, ſive motus & operationes animæ: atque illud *Univerſale Conſcium* quod ſingulis inhæret. Multis aliis utuntur argumentis viri docti, iiſque invictis, ad probandum Animæ diſtinctionem à corpore, & quâlibet ipſius parte. Certè Anima cujuſque eſt quid permanens, & eſt eadem numero per totam vitam: Nulla autem pars coporis manet eadem numero per totam hominis ætatem; Sed effluit ſenſim quælibet particula, & nova ſuccedit: ignara & inconſcia rerum quas nórit aut fecerit altera præcedens. Sed non opus eſt pluribus hîc immorari, quum nos clarè & cumulatè docuerit inſtitutio Chriſtiana immortalitatem Animæ, & ipſius à corpore diſtinctionem, tam in ortu, quàm occaſu. In ortu hominis textus ſacer diſcriminat corpus ab Animâ,
Gen. ii. 7. cùm ait, Deum formáſſe corpus è terrâ: & dein inſpiráſſe Animam. Nec minùs moriente homine, & diſſoluto compoſito, utramque

que partem ſeorſim ad ſuam originem remittit. *Tunc revertetur pulvis in terram, ut antea fuerat: ſpiritus autem revertetur ad Deum, qui dederat eum.* Propterea nos monuit Chriſtus, Corpus quidem occidi poſſe & extingui ab hominibus, Animam verò ſupereſſe, imperditam & impercuſſam. Et moribundus ipſe, Spiritum ſuum in manus Dei commendavit, dum Corpus pependit in Cruce.

Eccleſ. xii. 9. Mat. x. 28. Luc. xxiii. 46.

PRÆTEREA, vivere adhuc, (aut iſtoc ſaltem tempore,) Abrahami & Patriarcharum Animas, aſſeruit Chriſtus. Atque ſinum Abrahæ, aut Paradiſum, dat in ſedem piis, vel pœnitentibus Animabus, hoc corpus exutis. Impiis autem infernum aut Gehennam. Comparuêre Moſes & Elias in transfiguratione Chriſti: vitâ mortali defuncti ante multa ſæcula. Revocavit etiam ad ſua corpora, quoties libuit, defunctorum animas Chriſtus: reſumpsitque ſuum corpus, poſt triduanam mortem, & aſcendit in cœlos vivus & gloriâ circumdatus. Ita, dictis, factis, omni modo, teſtatus eſt Chriſtus, Animas humanas à corpore diſtinctas eſſe, & poſt mortem ipſius ſuperſtites.

Matt. xxii. 32. Luc. xvi. 22. Luc. xxiii. 43. Joh. xi. 43. Mat. ix. 25.

QUOD morientes *obdormire* dicamur in * ſacris literis, id nihil officit immortalitati

D 4 Animæ,

* " *Satis patet in ſacris literis* mortuos vivere *ſuo* " *modo: Sive ſtatum intermedium ab interitu corporis* " *ad reſurrectionem eſſe ſtatum vitæ qualiſcunque.* 1 Theſ. " v. 10.

Animæ; neque enim Anima perit in ſomno, aut ceſſat ab omni genere actionis: ſed, ligatis ſenſibus, mundo externo non afficitur. Quod quidem fieri poteſt in ſtatu mortis, vel in *ſtatu ſeparato*, ut dici ſolet; cùm Deo vivitur, & Mundo Intellectuali: donec expergiſcamur in reſurrectione, & reſumptâ ſpecie viſibili & corporeâ, cum mundo externo commercium renovemus: Nos eò revocante Chriſto, qui Dominus eſt

Rom. xiv. 9. vivorum & mortuorum. Sed de hâc re erit infrà dicendi locus.

UT hunc ſermonem finiamus, notare licet, pro cujuſque indole & ingenio, diſtinctionem Animæ & Corporis faciliùs aut difficiliùs percipi. Si cuiquam dubitare liceret, quod forſan nonnullis licet, de ſui ipſius corporis exiſtentiâ, atque rerum omnium externarum: is eſſet utcunque certus de ſuæ Animæ exiſtentiâ. Quod ſatis indicat Corpus & Animam non eſſe idem, neque neceſſariam inter ſe habere connexionem. Hic dubitabundus, inquam, certus eſſet intereà de ſuæ Mentis exiſtentiâ, ex hac ipsâ incertitudine, vel dubitatione. Actio enim, vel operatio, qualiſcunque ſit, demonſtrat rem exiſtere cujus eſt actio. Nec eò unquam pervenire poſſunt Scepticorum pervicaciſſimi, ut negent dubiténtve ſeipſos exiſtere. Tollant motum è rerum naturâ: Tollant Solem & Sydera, & quæcunque ſenſus noſtros afficiunt: ſuum ipſorum

ſorum Corpus, ſi fas ſit: manebit utcunque res illa cogitans, dubitans, que cætera ſuſtulit aut negat exiſtere: nec ſe confundere poteſt cum iis, de quorum exiſtentiâ dubitat. Denique, Quæ hoc modo, & à ſuo, & ab omni corpore diſtinguitur Anima, habenda eſt ſubſtantia incorporea: quemadmodum initio diximus. Nec diſſolvetur diſſoluto corpore, nec eo pereunte peritura eſt. Sed vitam ſibi propriam poſſidens, manet ſuperſtes & immortalis, futuræ capax miſeriæ aut fœlicitis.

CAP. IV.

Quæ futura ſit Animæ conditio, diſſoluto Corpore: ſive de ſtatu Animarum intermedio, in intervallo Mortis & Reſurrectionis: quoad modum & gradus fœlicitatis aut miſeriæ.

QUUM jam probatum dederimus, tam per notitias naturales, quàm per evidentiſſima ſacrorum authorum effata & teſtimonia, Animas humanas manere ſalvas & ſuperſtites, extincto hoc corpore: Diſpiciendum proximè, Quo genere vitæ deinceps fruituræ ſint: aut quali ſubſiſtant ſtatu, ab hoc corpore ſeparatæ. Id quidem primariò in queſtionem hîc venit, Habituræ ſint

necne,

necne, poſt ſeparationem ab hôc corpore, aliud corpus: cujuſcunque id ſit generis; vel fortè manſuræ ſint nudæ, ab omni corpore, ab omni materiâ ſejunctæ & abſtractæ, uſque ad Reſurrectionem. Hujuſce quæſtionis ſolutio nos rectà duceret in notitiam futuri ſtatûs Animæ: Sed cùm alia ſit generalior, & minùs obſcura: quæ de gradibus fœlicitatis aut miſeriæ ante Diem Judicii inſtituitur: Libet hîc primùm ad examen revocare, per modum introductionis, opinionem Neotericorum quorundam, qui Animas ſtatim à morte, recens eductas è corporibus, aut efferunt in cœlum, ad ſummam gloriam, & viſionem beatificam: aut deprimunt ad cruciatus Inferni, ſummámque miſeriam. Quorum utrumque videtur mihi nimium & extremum, in ſuo genere.

E reformatis Theologis non pauci, metu Purgatorii, omnem ſtatum intermedium Animarum quodammodò ſuſtulerunt. Scilicet in evitandis vitiis, ſæpe incidimus in illam ſtultitiam, ut curramus in contraria. Satìs notum eſt, Purgatorium Pontificium eſſe inventum humanum, ad captum populi, & in uſum ſacerdotii accommodatum: nec metu hujus phantaſmatis deſerenda eſt Antiquorum doctrina de inexpletâ Animarum fœlicitate aut miſeriâ ante diem Judicii. Sed ad malos & miſeros quod ſpectat, id jam miſſum facimus: ſatìs erit im-

præ-

præſentiarum oſtendere, neque ſacris literis, neque antiquæ fidei conſentaneam eſſe eorum ſententiam, qui Bonorum vitâ defunctorum animas transferunt ad Cœleſte Regnum, ſummámque illam gloriam, quæ Viſio Beatifica dici ſolet, ante Reſurrectionem & adventum Chriſti.

Qui ſibi aliiſque pollicentur viſionem Dei beatificam ſtatim à morte, æquum eſt ut nobis oſtendant promiſſionem aliquam Evangelicam, quâ ſubnixa tanta fides ſuſtineatur. In his enim & ſimilibus, quæ non fluunt à naturis rerum immediatè, ſed à voluntate & ordinatione Dei, ſpes nulli innixa promiſſo divino, eſt temeraria. Age itaque cedò authores ſacros, tantæ ſpei, & tam ſubitaneæ fœlicitatis vades & teſtes. In illis locis ſacrarum literarum, quæ nos Deum aliquando viſuros teſtantur: qualia ſunt, *Matt.* v. 8. 1 *Cor.* xiii. 12. Id ſtatim à morte cujuſpiam futurum eſſe minimè docetur. Quin docemur potiùs ex adverſo, Id tandem fore cùm apparuerit Chriſtus: 1 Joh. iii. 2.
Neque manifeſtatum iri filios Dei, niſi in Rom. viii. 19, 23.
Reſurrectione. Col. iii. 4.

Præterea, Secundùm eadem oracula ſacra, & Apoſtolorum dicta, non niſi in adventu Chriſti, & in reſuſcitatione Mortuorum, gloriam ſuam & ſolenne præmium aſſequentur ſancti. Divus Petrus coronam 1 Ep. v. 4.
pollicetur fidis Chriſti Paſtoribus, cùm Princeps Paſtorum apparuerit. Neque populo,

populo, opinor, citiùs quàm paſtori referetur merces. Sanctus Apoſtolus Paulus in militiâ Chriſtianâ nemini ſecundus, non niſi in die Domini ſe coronam ſuam recepturum

2 Tim. iv. 8. eſſe ait. Et depoſitam apud Deum Animam ſuam tum demùm, unà cum vitâ æternâ, reddendam ſibi confidit. *Mihi per-*

2 Tim. i. 12. *ſuaſum eſt, eum poſſe depoſitum meum in ILLUM DIEM cuſtodire.* Ac ſi tempus intermedium à die mortis ad *illum Diem*, quaſi ſilens & inglorium, non magni faciendum duxiſſet. Quod utique minimè feciſſet Vir Sanctus, ſi intervallum illud ſummâ gloriâ & beatificâ Dei viſione replendum eſſe, apud ſe interim reſciviſſet. Denique, cùm miſericordiam alicui precatur: cùm gaudia promittit, aut pœnas & ultionem minatur: Illa omnia ad diem illum

ver. 18. 2 Theſſ. i. 7, 8, 9, 10. Domini referre ſolet Apoſtolus. Hæc tam bona, quàm mala, ad horam mortis referre oportuiſſet, ſi ſtatim ab obitu, animæ humanæ in ſummas pœnas, aut in ſummam gloriam, immerguntur.

NOTANDUM porrò, Quemadmodum Animam ſuam apud Deum cuſtodiendam uſque ad illum Diem, depoſuit Apoſtolus, quaſi decubiturus: Ita, in ſtylo ſacro, *Dormire*, vel *obdormire*, dicuntur Mortui: & *expergefieri* denuo in die Judicii & Re-

1 Cor. xv. 6, 18, 20, 51. 1 Theſſ. iv. 13, 14. ſurrectionis, & alibi paſſim in utroque fœdere. Scio hæc non intelligenda eſſe ſenſu prorſus literali: multo minùs ita craſsè, ac

ſi

ſi vitæ & actionis omnis expers eſſet Anima poſt mortem: neque enim omnis vis cogitandi unquam excuti poteſt è mente humanâ. Sed utcunque alieniſſimus eſt hic loquendi modus à ſtatu aut poſſeſſione viſionis beatificæ: quæ, tam ſecundùm Theologiam, quàm Philoſophiam, eſt perfectiſſima Animæ operatio: ac proinde ſomno aut ſomnio, ubi imperfectiſſimè agit Anima rationalis, nullo modo conferenda.

DIGNUS eſt certè qui expendatur uterque iſte ſermo Sancti Pauli, ad Corinthios & ad Theſſalonicenſes, de ſpe & ſtatu mortuorum. Hortatur Theſſalonicenſes ne doleant immodicè ſuper mortuis, ſive *dormientibus in Jeſu:* eorum inſtar, qui omni ſpe deſtituuntur. Quâ verò ratione hos conſolatur Apoſtolus, & immodicum dolorem repellit? Num ex eo quod cœlum ſummum & cæleſtem gloriam protinùs ingrediantur piorum animæ, à corporibus ſuis ſolutæ? Hæc quidem maxima fuiſſet conſolatio, & medicina præſentiſſima. Attamen nec ab hoc capite, nec à poſſeſſione beatitudinis immediatâ, ſolatium petit, & fomenta doloris: ſed à ſpe certâ beatæ reſurrectionis, reditûſque futuri cum Christo, in adventu ſuo glorioſo. *Nolim autem vos in ignorantiâ verſari, Fratres, quod ad eos attinet qui obdormierunt, ut ne contriſtemini ſicut reliqui qui ſpem non habent. Nam ſi credimus Jeſum mortuum eſſe & reſurrexiſſe, ita etiam Deus eos,* 1 Theſſ. iv. 13, 14. 18.

qui

qui obdormierint in Jeſu, adducet cum eo. ----- *Itaque conſolamini alii alios iſtis ſermonibus.*

PORRO, in altero ſermone Sancti Pauli capite decimo quinto ad Corinthios, ita argumentari videtur, ac ſi tota ſpes noſtra
1 Theſſ.iv. 30, 31, 32. penderet à reſurrectione: neque digna eſſet vita futura quam quæreremus: digna labore & periculis obeundis, niſi tandem eſſemus reſurrecturi à mortuis. Quòd ſi verò ab exitu hodiernæ vitæ in gloriam illam beatificam ſtatim evehimur, beati futuri ſumus, imò beatiſſimi, licèt nulla ſequatur reſurrectio. Ampliſſimum eſſet virtutis præmium, omni certamine dignum, divinus ille ſtatus animi: & in cœleſti illâ luce ſemper verſari, ſumma fœlicitas.

EODEM tamen modo idem Apoſtolus ad Romanos octavo capite, in comparatione malorum & perpeſſionum hujus vitæ cum gloriâ futurâ, præterit hanc viſionem beatificam, & tempus reſurrectionis unicè reſpicit: ac ſi ante terminum illum nihil com-
ver. 18, 23. penſationis obtingeret ſanctis. *Reor enim minimè pares eſſe præſentis temporis perpeſſiones gloriæ in nobis revelandæ.* Quando verò revelandæ, ſtatim à morte? minimè, ſed cùm *corporis noſtri redemptionem expectamus;* nempe, in reſurrectione. Si-
—iv. 17. militer etiam *ſecundâ epiſtolâ* ad *Corinthios*, ait, Leves afflictiones hujus vitæ conficere nobis æternum pondus ſuperexcellentis gloriæ.

gloriæ. ----- *Scimus enim ſoluto hoc Taber-* 1 Theſſ.
naculo, nos ſtatim abituros eſſe in viſionem v. 1.
Dei beatificam. Non id reperio; Quid
dein? *nos ædificium ex Deo habituros æ-
ternum in cœlis;* corpus cœleſte, quo
tandem induemur. Vides igitur in doctrinâ Mat. xix.
Chriſtianâ omnia huc referri: Neque facilè 28, 29.
reperies ullam retributionem, præter pacem, Act. iii. 19, 20.
requiem, animíque ſolatium, in Evangelio 2 Theſſ.
promiſſum, ante reſurrectionem, primam i. 7.
vel ſecundam. Apoc. xx. 6.

ALIA loca quæ huc ſpectant, brevitatis
cauſâ, prætermitto: (quæ tamen ut expen- Tit. ii. 12,
das diligenter, omnino conſulo.) Audiamus 13.
tantùm vocem illam de cœlo, *Beati mortui* Col. iii. 3. 4.
qui moriuntur in Domino. Quare verò 1 Joh. iii.
Beati? Quoniam viſione Dei beatificâ ſta- 2, 3.
tim fruituri ſunt. Hoc non occurrit apud Apoc. xiv. 13.
Prophetam: Quid tum demum? *ut requi-
eſcant à laboribus, inquit Spiritus: &
opera eorum eos ſubſequantur*; ſuum præ- 1 Cor. v. 5.
mium tandem habitura. Hic rerum ordo; Hebr. ix.
hæc nobis, non alia, expectanda beatitudo. 23, 28.
Aſſerimus igitur, juxta religionis Chriſtianæ 1 Cor. i 7.
decreta, aut à ſpe gloriæ futuræ, aut à re-
quie & gaudio interno, ſanctorum vitâ
defunctorum, orituram eſſe fœlicitatem:
donec affulſerit lætus ille dies, quo, à
mortuis eos revocatos, Angelis ſimiles, &
ſibi conformes reddet Chriſtus.

QUÆ præterea legimus in ſacrâ hiſtoriâ
de mortuis in vitam revocatis, & de ani-
marum

marum ſedibus & receptaculis, huic explicationi reſpondent. Ecquis enim credat Chriſtum revulſiſſe Lazarum à viſione beatificâ, ut in hanc vitam miſeram pedem referre cogeret; aut ſinum Abrahæ, quò tranſlatum legimus alterum Lazarum, eundem eſſe locum cum regno cœlorum: eundem ſtatum cum viſione Dei; aut clamantes ſub altari animas: aut nondum con-
Apoc. vi. Heb. xi. 39, 40. ſummatos Fideles, in ſupremâ gloriâ verſari? ſi Patres in hæc loca conſulamus, multò aliter reſpondebunt. Denique quùm Chriſtus adduxit ſecum in Paradiſum animam Latronis, non in ſupremum cœlum, beatæ viſionis ſedem adduxit: eò enim non aſcendit Chriſtus in triduo mortis; neque veteres authores, aut Hebræi *, aut Chriſtiani, id *Paradiſi* nomine intelligunt. Hæc omnia ſi expendamus animo libero, & eò quò nos ducit ſacrarum literarum lumen, faciles ſequamur: neque ab hâc ſemitâ deflectamus quamcunque ob cauſam, aut pedem ultrà promoveamus: dicendum erit, aut repetendum potiùs, Beatos eſſe mortuos in Domino, quòd pace, requie, conſolatione impræſentiarum gaudeant: Beatiſſimos olim futuros, cùm, in advèntu Chriſti, glorioſa corpora induti, Deum ineffabili modo viſuri ſunt.

NE-

---

* "*Judæi Animarum fœlicitatem ante diem judicii* "*imperfectam eſſe ſupponunt.* Vid. Pocock. not. miſc. " c. vi. p. 176.

NEQUE obſtat huic noſtræ ſententiæ, quod dixerit Paulus, *ſe fore cum Chriſto, & quaſi domi cum Domino*, ſi moreretur. Phil. i. 23. 2 Cor. v. 8. Nam quamcunque præſentiam ab Apoſtolo hic intelligi ſupponas, ſive corporalem & viſibilem, ſive ſpiritualem & internam, cauſæ noſtræ nihil officiet. Si corporalem præſentiam intellexit Paulus, de tempore reſurrectionis hoc intellexit: interquiete mortis pro nihilo habitâ; Animæ enim à corpore ſeparatæ & ab omni materiâ, nullam habere poſſunt præſentiam corporalem & externam cum Chriſto, durante illo ſtatu; Hoc ex naturâ rei eſt impoſſibile. Si igitur hujuſmodi præſentiam intelligat Apoſtolus, tempus ſeparationis ſive obdormitionis, ut ipſius phraſi utar, ei in computum non venit: ſed, ob rei certitudinem, & inſenſibilem moram, reſurrectionem cum morte proximè conjunxit. Atque eo minùs alienus ſum ab hâc explicatione, cùm Apoſtoli ſententiam de appropinquante & repentino Chriſti adventu, pluribus in locis ſuarum Epiſtolarum, animadverto. Quin etiam in primo verſu hujuſce capitis ad Corinthios, conjunxit tempus exuendi corpus terreſtre, & induendi corpus cœleſte: nullâ habitâ ratione temporis intermedii. *Scimus enim*, inquit, *nos, ſi terreſtris hujus domûs tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, non manu factum, æternum in cœlis.* 2 Cor. v. 1. Heb. ix. 27. Ubi diſſolu-

tionem hujus corporis cum alterius aſſumptione immediatè conjungit, licèt jam effluxerit pluſquam ſeſquimillennium à morte Pauli, & nondum habet ſuum corpus cœleſte. Tempus autem imperceptum, in quo nulla rei accidit, nec accidere poteſt, mutatio, pro nullo habetur. Præterea, dixerat Apoſtolus illo capite ad Corinthios,
Ver. 4. ſe *non cupere exui hoc corpore:* hìc autem ad Philippenſes, ait, ſe *cupere diſcedere* vel *dimitti à corpore:* proinde hæc dictio poſterior ita temperanda eſt & explicanda, ut priori non repugnet & adverſetur. Et ſi hac phraſi, *eſſe cum Domino*,
Epheſ. ii. 6. utatur Apoſtolus eodem ſenſu in his locis, quo
1 Theſſ. iv. 17. alibi: ut, *Et ita ſemper erimus cum Domino:* neceſſe eſt ut idem utrobique tempus, eundemque ſtatum reſurrectionis intelligamus *. Denique notandum, ex naturâ rei,
Epheſ. iv. 10. Chriſtum jam aſcendiſſe ſupra ſummos cœlos glorioſo corpore amictum: nec eò aſcendere poſſe, aut habitare ſanctos, donec corpus ſuum cœleſte pariter induti fuerint: Quod cùm nemini concedatur (niſi raptis in cœlum inſtar Enochi) ante Reſurrectionem, ut hæc dicta Apoſtoli exponamus de præſentiâ corporeâ & locali, ratio rei non patitur, nec ordo & œconomia divina.

Qua-

---

* "Certè Chriſtus abiturus ad cœlum non promiſit "diſcipulis eos ſe recepturum eſſe ad ſeipſum ante "ſuum reditum ad terras, Joh. xiv. 3."

Quapropter ſi malueris præſentiam Chriſti ſpiritualem & internam hic intelligere, non repugno. Hujuſmodi præſentiam Chriſti, etiam in hâc vitâ habent ſancti, & habituri ſunt in futurâ, pluribus modis: quibus omnibus, ex hac interpretatione, piorum animæ poſt mortem dici poſſunt *eſſe cum Chriſto.* Primò erunt cum Chriſto, quatenus erunt in cuſtodia Chriſti. Chriſtus jamjam moriturus, animam ſuam in *manus Patris* depoſuit: id eſt in cuſtodiam & tutelam Patris. Cùm verò Chriſtus moriendo viciſſet mortem, atque ita vitæ & mortis Dominus factus eſſet, *Stephanus* moribundus in *manus Chriſti* animam ſuam tradidit; *Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum*, expirans dixit. Eodem modo Anima Sancti Pauli eſſet cum Chriſto, in ipſius tutela, & apud eum depoſita, uſque ad reſurrectionem. Dein dicuntur eſſe cum Chriſto animæ ſanctorum poſt mortem, propter conſolationem internam gaudiúmque quod à Chriſto recipiunt. Ex quo Chriſtus venit in mundum, vicítque mortem, ſolatio & fœlicitati *mortuorum in Chriſto* aliquod augmentum acceſſiſſe nihil dubito: tam ex influxu virtutis divinæ, quàm ex certiſſimâ ſpe & quaſi intuitu glorioſæ reſurrectionis: ideóque in intervallo mortis, Chriſtum nobis adeſſe, & nos cum illo vivere & verſari, rectè dicitur. Denique, in hoc loquendi modo reſpicitur oppoſitio: ut

Luc. xxiii. 46.

Act. vii. 59.

E 2 ex

ex utroque loco, ad Corinthios & ad Philippenſes, manifeſtum eſt: *Eſſe cum Chriſto*, & *eſſe in hoc mundo* opponuntur; Cùm excedimus ex hoc mundo, non extinguimur, non abolemur, non in nihilum abimus: ubinam ſumus? apud Deum, apud Chriſ-
Luc. xx. 38. tum; Deo vivimus. Chriſto præſentes ſu-
Col. iii. 3, 4. mus: Noſque iterum in Theatrum mundi ſecum reducet, vegetos & vitæ plenos.

Non itaque mirabimur dixiſſe Paulum, *Mors mihi lucrum.* Mirandum potiùs tan-
2 Cor. xi. tillum dixiſſe tantum Apoſtolum; Qui tot mala, tot moleſtias, tot pericula, tot labores ſuſtinuerat in hâc vitâ: Qui famem & ſitim, & frigora & nuditatem: & plagas, & verbera, & carceres, & ſaxa, & naufragia: omne genûs incommoda, terrâ maríque, pertulerat: huic mortem hâc vitâ optabiliorem eſſe, mirari non poſſumus. Si mors ſolummodo quies eſſet, & malorum induciæ, tanti utcunque valeret. Hinc itaque diſcamus de nobiſmetipſis miſellis, præmiiſque noſtris modeſtiùs ſentire: neque ſtatim, clauſis morte oculis, polliceri nobis aliiſve viſionem beatificam: cùm Apoſtolus gentium, qui de religione Chriſtianâ, ſiquis alter, benè meruerat, nil tale tantùmve ſibi promittere videatur. Paucioribus contenti ſimus in illo intermundio, ut ita dicam: neque parum eſſe ducamus, Animam immortalitatis ſuæ conſciam, & divini amoris plenam, Deo & ſibi acquieſcere;

ſpem

ſpem inſuper lætam & arrectam habere in adventum Chriſti, gloriámque cum eo participandam.

DENIQUE, ut in fine hoc addam, vim doctrinæ Chriſtianæ de Reſurrectione labefactare mihi videntur, ipſamque reſurrectionem quaſi inutilem reddere, qui animabus, ſtatim à morte, viſionem beatificam & ſtatum gloriæ concedunt. Animabus enim in ſupremâ luce divinâ conſtitutis, quid opus eſt corpore? Inquies, ut corpus etiam particeps fiat gloriæ & præmii, ut erat olim aut malorum quæ perpeſſa eſt Anima in hâc vitâ, aut bonorum operum quæ fecerat. Nugas mihi dicis: *Animus cujuſque is eſt quiſque*; νοῦς ἐφορᾷ καὶ νοῦς ἐπακούει; nihil percipit corpus, neque boni, neque mali; nec voluptate fruitur, nec dolore afficitur materia, quocunque modo vertas, cuicunque rei adjungas. Fruſtrà igitur coronabis gloriâ rem inſenſilem: aut boni malíve authorem facies, id quod nec intellectu, nec voluntate præditum eſt. Præterea, ex tot corporibus quæ terimus in hujus vitæ curſu, per ſingula ſeptennia, quodnam dederis animæ in conſortium & participationem gloriæ & præmii? cujus ætatis, juvenile aut ſenile? quod ultimò excuſſit anima, vel quo maximè gaudebat & complacuit: & quo jure hoc potiùs quàm illud? litem tibi movebunt cætera, ut in partem fœlícitatis veniant. Si quis per totam vitam in pietate ſe exercuiſſet,

ſet, nunc mala ferens Chriſti causâ, nunc bona ſua in charitate diffundens: tandémque exiret Martyr, octogenarius ſenex: quotum hujus viri corpus in gloriam ſumpſeris? Annon reſpondendum eſt, ut olim Chriſtus, cùm, quotum è ſeptem maritis habitura eſſet fœmina in reſurrectione, quæreretur, *Erratis, neque Scripturas ſcientes, neque potentiam Dei.* Non corporis gratiâ, ſed animæ, conſtituitur Reſurrectio: & ſingulis animabus, ut ſeminibus, Deus dat proprium aptúmque corpus, priſtino in terrâ putrefacto. Diſſoluto hoc tabernaculo, *ædificium ex Deo* habituri ſumus. Sed de hac re infrà plura: Pergamus in propoſito.

1 Cor. xv. 37, 38. 2 Cor. v. 1.

Diximus enervari vim reſurrectionis ab hâc ſuppoſitâ ſupremâ beatitudine ante reſurrectionem. Rectè enim quæritur à Sancto Auguſtino, *Quid opus eſt ſpiritibus corpora ſua in reſurrectione recipere, ſi poteſt iis, etiam ſine corporibus, ſumma illa beatitudo præberi?* Ideóque apud antiquos, & in primis Eccleſiæ ſæculis, ſicut infrà oſtendemus, Hæretici, qui negabant reſurrectionem corporis, hanc præmaturam animarum glorificationem, aut ſoli, aut potiſſimùm tuebantur. Nuperis autem ſæculis quis non videt invectum hunc novæ fidei articulum in Eccleſiam Romanam, conſiliis prudentûm & politicorum: quô ſanctis invocandis, aliiſque id genûs inſtitutis com-

Gen. ad lit. *l.* 12. c. 35.

commodior anſa præberetur; cæteriſque, quæ adhærent, lucroſis dogmatis patrocinium. Rectè notavit *Bellarminus*, hanc doctrinam *fundamentum eſſe omnium aliarum* quæ ad ſanctos ſpectant; nempe quæ ſpectant ad ſanctorum *cultum*, ſanctorum *canonizationem*, ſanctorum *Imagines*, ſanctorum *Reliquias*, denique *peregrinationes* & *vota* iis nuncupata. Vides quantam catenam, auro & argento gravem, ſecum trahit hoc dogma. Et ſi his annectas *Purgatorium*, ſive ſtatum animarum quæ ad cœlum non rectà eunt, ſed, vivorum precibus & ſuffragiis ſanctorum, eò ſeriùs aut citiùs evehuntur, habes aurifodinam quâvis Indiâ ditiorem. Sed væ illis, *qui cauponantur verbum Dei.*

De Beat. ſanct. Ord. diſput.

2 Cor. ii. 17.

NON tamen hâc cenſurâ digni ſunt, ſiqui, ſine omni ſpe lucri, conſolentur moribundos, animéntque velut ad cœlum confeſtim abituros, & ad ſuprema gaudia; exeunt è carcere in libertatem, & quæ ex pio affectu dicuntur ad minuendum mortis metum, non ſunt explicanda cum rigore, inſtar articulorum fidei. Piorum animæ, ubi primùm exceſſerint ex hâc vitâ, in tuto conſiſtunt, extra ictus, extra pœnas, extra errandi pericula: Et licet cœlo externo nondum gaudeant, nondum Regno fruantur, ſunt tamen in jure proximo & inextinguibili ad illud poſſidendum: ideóque facili anticipatione eo jam frui dici poſſunt. Feſtinamus

namus quidem omnes ad occupandam hæreditatem, atque impetu quodam ferimur in optatam gloriam & beatitudinem: Crediderunt è primis Chriſtianis multi, jam tum inſtare adventum Chriſti: ut ex Epiſtolis Apoſtolicis, & antiquis Patribus mihi apertiſſimum eſt: Atque eâ fide corroborati, perſecutiones mortémque fortiùs pertulerunt. Ab ipſo temporum decurſu, detecto hoc errore, in alium, quæſo, ne incidamus: neque cœlum invitum ad nos detrahere, aut invadere potiùs quàm hæreditate accipere videamur: *ordinem promotionis juſtorum ſupergredientes*; ut inquit *Ire-*
Lib. v. *c.* 31. *næus*. Jam tandem adveſperaſcit mnndus, in proximis ſtat Chriſtus & præ foribus; non alio igitur, præter hoc, indigemus ſolatio, *Ecce venio citò: & merces mea mecum eſt, ut reddam unicuique prout opus ipſius erit. Amen, etiam veni, Domine Jeſu.* Πȣ̃ σȣ, Θάνατε, τὸ κέντρον; πȣ̃ σȣ, ᾅδη, τὸ νῖκος;

Hæc breviter de ſtatu vitâ defunctorum, ex ſacris literis. Præterea in rebus controverſis non exigui ponderis eſſe ſolet apud pleroſque, primævæ & incorruptæ antiquitatis fidem inſpicere. Licèt enim, præteritis Apoſtolis, nulli hominum, nulli ſæculo, infallibilitatem tribuamus: neque primis, neque mediis, neque ultimis: tamen, cùm nondum religio Chriſtiana, aut in artem aut imperium erecta fuerat, veritatem nudam ſim-

ſimpliciùs & ſinceriùs ſequebantur Chriſtiani. Quid itaque ſenſerint veteres de primâ & proximâ beatitudine ſanctorum, ſive de ſtatu animarum ante diem reſurrectionis, operæ pretium erit paucis inquirere.

QUO fonti propiores ſunt rivi, eo ſolent eſſe puriores: & quò Apoſtolis aut temporibus Apoſtolicis proximiores ſunt Chriſtiani patres, eò magìs probati & irrefragabiles habentur doctrinæ orthodoxæ teſtes. Quanquam igitur Patres Græcos generatim à partibus noſtris in hâc causâ ſtetiſſe non dubitem, ſatìs erit in hoc capite, tria prima Eccleſiæ ſæcula inſpicere; in quibus, ni fallor, nullum reperies, Græcum aut Latinum, præter Hæreticos, atque unum forſan *Cyprianum*, qui defunctorum animas ſtatim à morte, ad viſionem Dei & cœleſtis gloriæ poſſeſſionem transferebat; eo ſcilicet modo quo nuperis ſæculis decretum eſt in Eccleſiâ Romanâ.

HANC quidem fuiſſe ſententiam multorum Hæreticorum, in primis Eccleſiæ ſæculis, qui unà tollebant è medio reſurrectionem, conſtat ex *Juſtino Martyre*, *Irenæo*, *Tertulliano*, aliiſque. In Dialogo cum *Tryphone* hæc habet *Juſtinus.* Οἳ καὶ λέγουσι μὴ εἶναι νεκρῶν ἀνάστασιν, ἀλλὰ ἅμα τῷ ἀποθνήσκειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανὸν, μὴ ὑπολάβητε αὐτοὺς χριστιανούς· *Quique dicunt non eſſe mortuorum reſurrectionem, verùm ſimul atque moriantur, animas ipſorum recipi* M. p. 307.

cipi in cœlum: ne exiſtimetis eos eſſe Chriſtianos. Vides hæc duo conjungi à *Juſtino*, ac ſi nexum aliquem inter ſe haberent; ſaltem iidem Hæretici qui negabant reſurrectionem corporis, animas ſtatim à morte efferebant in ſupremum cœlum.

HUIC loco S. *Juſtini* lux oritur ex *Irenæo:* qui iſtius ævi hæreticis utrumque errorem ſimul attribuit, libro quinto, cap. xxxi. *Quoniam autem quidam ex his qui putantur rectè credidiſſe, ſupergrediuntur ordinem promotionis juſtorum, & modus meditationis ad incorruptelam ignorant, hæreticos ſenſus in ſe habentes. Hæretici enim diſpicientes plaſmationem Dei, & non ſuſcipientes ſalutem carnis ſuæ, contemnentes autem & repromiſſionem Dei, ſimul atque mortui fuerint, dicunt ſe ſupergredi cœlos, & Demiurgum, & ire ad matrem, vel ad eum, qui ab iis affingitur, patrem. Qui ergo univerſam reprobant reſurrectionem, quid mirum ſi nec ordinem reſurrectionis ſciant? Nolentes intelligere quoniam ſi hæc ita eſſent, ut dicunt, ipſe utique Dominus, in quem ſe dicunt credere, non in tertiâ die feciſſet reſurrectionem, ſed ſuper crucem expirans, confeſtim utique abiiſſet ſurſum, relinquens corpus terræ, &c.* Id certè conſtat ex his primævis Patribus, aliiſque hæreſe*ω*n ſcriptoribus, Hæreticos olim, nempe *Gnoſticos*, *Baſilidianos*, *Valentinianos*, *Marcionitas*, & iſtius

iſtius colluviei alios, hujus quam refellimus, ſententiæ, primos fuiſſe authores, primóſque vindices.

EXPERTI ſumus intereà tam *Juſtini*, quàm *Irenæi* judicium in hoc argumento; non ſtatim propellunt, ut vides, in ſupremum cœlum ſedéſque gloriæ, animas calentes ab hôc corpore. Id alibi etiam teſtatur *Juſtinus* cum *Tryphone*, his verbis, Τὰς μὲν τῶν ἐυσεβῶν ψυχὰς ἐν κρείττονί ποι χώρῳ μένειν, Τὰς δὲ ἀδίκυς καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι· τὸν τῆς κρίσεως ἐκδεχομένας χρόνον τότε. M. p. 223. *Piæ quidem animæ in loco quodam meliori manent, injuſtæ verò & pravæ in deteriori: judicii tempus tandem expectantes. Irenæus* etiam ad finem uſque capitis jam citati, eandem ſententiam pluribus proſequitur. *Si ergo Dominus legem mortuorum ſervavit, ut fieret primogenitus à mortuis, & commoratus uſque ad tertiam diem in inferioribus terræ, pòſt deinde ſurgens in carne, ut etiam figuras clavorum oſtenderet diſcipulis, ſic aſcendit ad Patrem; quomodò non confundentur, qui dicunt inferos quidem eſſe hunc mundum, qui ſit ſecundùm nos; interiorem autem hominem ipſorum derelinquentem hìc corpus, in ſupercœleſtem aſcendere locum? Cùm enim Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, pòſt deinde corporaliter reſurrexit, & poſt reſurrectionem aſſumptus eſt: manifeſtum eſt quia & diſcipulo-*

*pulorum ejus, propter quos & hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inviſibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi uſque ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem, pòſt recipientes corpora, & perfectè reſurgentes, hoc eſt corporaliter, quemadmodum & Dominus reſurrexit; ſic venient ad conſpectum Dei**.

HUIC explicationi *Irenæi*, ab exemplo Chriſti deſumptæ, conſimilia habet *Tertullianus*, *de Animâ*, *cap.* lv. quæ loca ſe invicem illuſtrant & confirmant. *Quòd ſi Chriſtus Deus*, inquit, *quia & homo, mortuus ſecundùm Scripturas, & ſepultus ſecus eaſdem, huic quoque legi ſatisfecit, formâ humanæ mortis apud inferos functus: nec antea aſcendit in ſublimiora cœlorum, quàm deſcendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret: habes & regionem inferûm ſubterraneam credere, & illos cubito pellere, qui ſatìs ſuperbè non putant animas Fidelium inferis dignas; ſervi ſuper dominum, & diſcipuli ſuper magiſtrum, aſpernati ſi fortè in Abrahæ ſinu, expectandæ reſurrectionis ſolatium capere.* Dein infrà in eodem capite apertiùs ait, *Nulli patet cœlum,*

* " His ſimillima habet *Andreas Archiepiſcopus Cretenſis*, ſermone in vitam hum. & in Defunctos. " (Sed erat opinor ſexti ſeculi) impreſſus eſt Ludg. " Bat. 1619. in 4. BB. Ox."

lum, Terrâ adhuc ſalvâ, ne dixerim clauſâ; cum tranſactione enim mundi reſerabuntur regna cœlorum. Et in fine ejuſdem capitis, in ſuo de *Paradiſo* libello, in quo deperdito non exiguam jacturam fecimus, ait, *ſe conſtituiſſe omnem animam apud inferos ſequeſtrari, in diem Domini.* Pluribus locis in hôc de *Animâ* tractatu idem teſtatur aliis verbis. Neque minùs c. xlvii. alibi ut in *Apologetico: Et ſi Paradiſum nominemus, locum divinæ amœnitatis, recipiendis ſanctorum ſpiritibus, non cœlum intelligimus.* Et contra *Marcionem* quarto. *Eam itaque regionem ſinum dico Abrahæ,* c. xxxiv. *etſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen* inferis, *interim refrigerium præbituram animabus juſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat.* Vide plura, ſi placet, his gemina, apud eundem *de Reſurrectione carnis*, cap. xxiii. Sed de *Tertulliano* ſatìs: cùm de *ipſius* mente in hâc parte nullum ſit dubium.

CUM his Patribus jam nominatis idem ſentit *Origenes*, quoad animas ſanctorum, tam novi quàm veteris Teſtamenti: quibus, uſque ad reſurrectionem, inferiorem fœlicitatis gradum impertit. Sententiam ipſius habes homiliâ ſeptimâ in *Leviticum*, his verbis: *Nondum enim receperunt lætitiam ſuam, ne Apoſtoli quidem: ſed & ipſi expectant, ut & ego lætitiæ eorum particeps*

ceps fiam. Atque hujus rei teſtem adhibet *Magiſtrum gentium* Paulum *ad Hebr.* xi. additque, *Vides igitur quia expectat adhuc* Abraham, *ut quæ perfecta ſunt conſequatur. Expectat* & Iſaac & Jacob, & *omnes prophetæ expectant nos, ut nobiſcum perfectam beatitudinem capiant.*

SUB fine tertii ſæculi *Victorinus* Martyr & *Lactantius* vixêre, quorum uterque cauſæ noſtræ patrocinatur. Nota ſunt *Lactantii* verba, libro ſeptimo *Inſtitutionum;*
Sect. xxi *Nec tamen quiſquam putet animas poſt mortem protinus judicari; omnes enim in unâ communíque cuſtodiâ detinentur, donec tempus adveniat quo maximus Judex meritorum faciat examen; tum quorum fuerit probata juſtitia, ii præmium immortalitatis accipiunt.* Itidem *Victorinus* ad illud Apocalypſeωs, *c.* vi. 9. *de animabus ſub altari*; Cùm altare exterius, non interius quod eſt cœlum, hìc intelligendum eſſe notaſſet, ibi vult expectare animas donec tempus noviſſimum adveniat, quo præmia & pœnæ diſtribuentur. *Sed quia,* inquit, *in noviſſimo tempore ſanctorum remuneratio perpetua,* & *impiorum ventura damnatio, dictum eſt iis, EXPECTATE. Et pro corporis ſui ſolatio acceperunt,* inquit, *ſtolas albas,* id eſt, *donum Spiritûs Sancti.*

PRÆTEREA, cùm ex antiquiſſimis Patribus plures, ſi non prorſus omnes, animas humanas

humanas εἰς ᾅδου deſcendere voluerint, inde teſtantur, non ſtatim, ex eorum ſententiâ, in ſummum cœlum, ſummámque gloriam eas evehendas eſſe. Quanquam enim *Hades* latæ ſignificationis ſit quoad animas ſeparatas, tam juſtas, quàm injuſtas, nemo tamen unqam dixit animas ἐν ᾅδου poſitas, quaſcunque, ibidem gaudere viſione beatificâ; cùm igitur eò loci collocent omnes animas antiqui Patres, omnes itidem ab illâ viſione & gloriâ per id temporis excludunt. De *Juſtino*, *Irenæo* & *Tertulliano*, jam concluſum eſt; quandoquidem ex deſcenſu Chriſti εἰς ᾅδου probant illi, ut ſuprà vidimus, aliarum omnium animarum futuram in eundem deſcenſionem; cum *diſcipulus*, ut aiunt, *non ſit ſupra magiſtrum*. Et ex hoc ipſo argumento inverſo, *Macarius*, Epiſcopus Hieroſolymitanus, in Concilio Nicæno, Philoſopho exponens incarnationem Chriſti, eum εἰς ᾅδου deſcendiſſe indicat, ut ſimilis nobis fieret per omnia. Κατεφερόμεθα μετὰ τὸν θάνατον εἰς τὸν ᾅδην, ἀνεδέξατο καὶ τοῦτο, καὶ κατῆλθεν ἑκουσίως εἰς αὐτόν. Unde etiam noſtram è morte, hoc eſt, ἐξ ᾅδου reſurrectionem eum effeciſſe ait. Et ſubjungit poſtea de hâc re cæteríſque in eodem capite, αὕτη ἡ τῆς ἐκκλησίας Ἀποστολικὴ καὶ ἀμώμητος πίστις, &c. *Hæc eſt Eccleſiæ fides Apoſtolica & inculpata*. Huc ſpectat etiam id quod habet *Euſtathius*, *Antiochiæ* Patriarcha, apud *Theodoretum*, ad illud Pſalmiſtæ, *non derelinques animam me-*

am

Gelaſ. Cyzin. de Conc. Nic. l. i. *c.* 23.

In Dial. i.

Pſal. xvi. *am* ἐν Ἅδῃ, ubi Ἅδην χωρίον τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν appellat, probátque animam Chriſti fuiſſe verè humanam quod tam in hâc vitâ, quàm in alterâ, humanam ſortem ſubiverit: ἀλλὰ μὴν ἡ τοῦ Ἰησοῦ ἑκατέρων πεῖραν ἔχει. γέγονε γὰρ καὶ ἐν τῷ χωρίῳ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, καὶ τῆς σαρκὸς ἐκτὸς γενομένη ζῇ καὶ ὑφέστηκε. λογικὴ ἄρα καὶ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων ὁμοούσιος. Denique in veteri fragmento περὶ τῆς τοῦ παντὸς αἰτίας, ſive Caii ſit, ſive alterius perantiqui Chriſtiani, omnes animas tam juſtorum quàm injuſtorum ἐν Ἅδῃ retineri, non ſemel dicitur. Ita incipit, Καὶ οὗτος μὲν ὁ περὶ δαιμόνων λόγος· περὶ δὲ ἅδου, ἐν ᾧ συνέχονται ψυχαὶ δικαίων τε καὶ ἀδίκων, ἀναγκαῖον εἰπεῖν. Hoc dein repetit cum habitaculorum diſtinctione his verbis, οἱ δίκαιοι ἐν τῷ ᾅδῃ νῦν μὲν συνέχονται, ἀλλ' οὐ τῷ αὐτῷ τόπῳ ᾧ καὶ οἱ ἄδικοι. μία γὰρ εἰς τοῦτο τὸ χωρίον κάθοδος, οὗ τῇ πύλῃ, &c. ubi Angelos cuſtodes ponit, qui ingredientes animas ſegregant, & quamlibet ad ſuam ſedem condignam, ad ſuam regionem propriam, ad locum ei debitum, amandant aut conducunt. Denique, hìc uſque ad reſurrectionem eas morari aſſerit: οὗτος ὁ περὶ ᾅδου λόγος· ἐν ᾧ ψυχαὶ πάντων κατέχονται, ἄχρι καιροῦ ὃν ὁ θεὸς ὥρισεν· ἀνάστασιν τότε πάντων ποιησόμενος.

In Not. Hœſchel. ad Phot.

Hos authores, haud infra tertium ſæculum natos, teſtes habemus doctrinæ primitivæ de Animabus ἐν Ἅδῃ. Quibus liceat adjungere duos Epiſcopos Cæſarienſes, inferioris, opinor, ſed incertæ ætatis: intelligo *Andream*; & *Aretham*, qui ex commentariis *Andreæ* ſuos in Apocalypſin decerpſit.

ſit. Ab his autem ita ſcribitur. Θάνατος μὲν χωρισμὸς ψυχῆς καὶ σώματος· ᾅδης δὲ, τόπος ἐστὶν ἀειδὴς, ἤγουν ἀφανὴς καὶ ἄγνωστος, ὁ τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἐντεῦθεν ἐκδημούσας δεχόμενος. *Mors eſt ſeparatio animæ & corporis: Hades autem eſt regio nobis inconſpicua, ſive nos latens & notitiam fugiens, quæ animas noſtras hinc emigrantes excipit.* Denique, iidem Episcopi ac *cap.* vi. Apocalypſeωs, *de animabus clamantibus ſub altari*, idem confirmant, & ſententiæ Pontificiæ de viſione beatificâ, penitus & ex omni parte adverſantur: His verbis, Διὰ τούτων τὴν τοῦ κόσμου συντέλειαν αἰτούμενοι φαίνονται οἱ ἅγιοι· διὸ μακροθυμεῖν ἄχρι τῆς τῶν ἀδελφῶν τελειώσεως κελεύονται, ἵνα μὴ χωρὶς αὐτῶν τελειωθῶσι, κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον. Αἱ δὲ λευκαὶ στολαὶ τὴν ἐπανθοῦσαν αὐτοῖς τῶν ἀρετῶν ἐμφαίνουσι λαμπρότητα· ἣν ἠμφιεσμένοι, εἰ καὶ μήπω τὰς ἐπαγγελίας ἐκομίσαντο, τῇ γοῦν ἐλπίδι τούτων, ἅπερ νοερῶς ἐνοπτρίζονται, πάσης ἀπηλλαγμένοι παχύτητος, εἰκότως εὐφραίνονται τοῖς κόλποις Ἀβραὰμ ἀναπαυόμενοι. Πολλοῖς γὰρ τῶν ἁγίων εἴρηται, χώρους ἀξίους εἰληχέναι τῶν τῆς ἀρετῆς ἐργατῶν ἕκαστον, δι' ὧν καὶ περὶ τῆς μελλούσης αὐτῶν δόξης τεκμαίρονται. *Propter hæc Mundi conſummationem expetere ſancti videntur, quoniam expectare atque moram ferre jubentur uſque ad fratrum ſuorum mortem, ne ante illos, juxta divinum Apoſtolum, conſummentur. Candidæ autem ſtolæ virtutum ſplendorem, qui illuſtris in illis exiſtit, inſinuant. Quo circumfuſi, etiamſi promiſſiones nondum adepti ſint, eorum tamen bonorum ſpe, quæ ſpirituali oculo*

jam contemplantur, ab omni interim materiâ craſſâ liberati, meritò lætantur; in ſinu Abrahæ vacatè requieſcentes. Multorum enim ſanctorum ſententia eſt, unumquemque virtutis cultorem, locum factis ſuis dignum poſt hanc vitam ſortiri, ex quo de עולם הנשמות *gloriâ ſibi præparatæ certam conjecturam facere valeat.* Hæc de *Hade* juxta antiquiſſimos: quem commune animarum receptaculum, ex hâc vitâ diſcedentium, uſque ad reſurrectionem, conſtituerunt.

Denique ad dictorum veritatem corroborandum, notatu dignum eſt, quâ modeſtiâ & moderatione locuti ſunt beati Martyres, *Polycarpus*, *Clemens Romanus*, *Ignatius*, de loco & ſtatu Sanctorum ex hâc vitâ exeuntium; non mox in ſummum cœlum & viſionem beatificam recipiendos eſſe aiunt, ſed εἰς τόπον αὐτοῖς ὀφειλόμενον, ita *In Epiſt. ſuâ ad* Phil. *Polycarpus*, in locum iis debitum vel proprium: vel * εἰς τὸν ἅγιον τόπον, ut de *Paulo Clemens Romanus*, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου, καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη, *ſic è mundo migra-* *Art.* li. *vit, & in locum ſanctum abiit.* Id poſtea appellat χῶραν εὐσεβῶν, in eâdem Epiſtolâ. Sed dignus eſt, quem perpendamus, locus ille: ubi ait omnes ab *Adamo* uſque ad hodier-

* "Non ad *cœlum aut gloriam* ſed ad τόπον ὀφειλόμενον τῆς δόξης dicit Clemens, Ep. c. 5. Citat Clericus ad Mat. xvii. 18. Ita etiam εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον Judæ Act. i. 25.

diernum diem, quotquot mortui ſunt in charitate perfecti, requieſcere in regione piorum tanquam in ſuis cubiculis: in adventu Chriſti & reſuſcitatione mortuorum educendos & manifeſtandos. Αἱ γενεαὶ πᾶσαι ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τῆς δὲ ἡμέρας παρῆλθον, ἀλλ' οἱ ἐν ἀγάπῃ τελειωθέντες κατὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ χάριν ἔχουσιν χῶραν εὐσεβῶν· οἳ φανερωθήσονται ἐν τῇ ἐπισκοπῇ τῆς βασιλείας τοῦ Χριστοῦ· γέγραπται γάρ, εἴσελθε εἰς τὰ ταμεῖα Iſa. 26.
μικρὸν ὅσον, ἕως οὗ παρέλθῃ ἡ ὀργὴ καὶ θυμός μου, καὶ μνησθήσομαι ἡμέρας ἀγαθῆς, καὶ ἀναστήσω ὑμᾶς, ἐκ τῶν σηκῶν ὑμῶν. Hæc omnia ſententiæ noſtræ quadrant: & quod χῶραν εὐσεβῶν appellat *Clemens*, id χῶρον κρείττονα nominat *Juſtinus*, & χώρους ἀξίους vel τόπους ἀξίους alii; & quod τόπον αὐτοῖς ὀφειλόμενον *Polycarpus* τόπον ἴδιον appellat *Ignatius*, & quod τόπον ἅγιον *Clemens*, ἱερὰ πρόθυρα *Chryſoſtomus*. Hæc non malè conveniunt inter ſe, & reſpondent illi temperamento, quod ſanctorum fœlicitati ante reſurrectionem adhibet Scriptura Sacra. Ita, de ſtatu piorum qui in *ſinu Abrahæ* requieſcunt, cùm loquitur Chriſtus, eorum beati- Luc, xvi.
tudinem appellat παράκλησιν, *ſolatium*, non 25.
ſupremam gloriam. Id quod alibi in ſacris literis dicitur *requies* & *relaxatio*, placidóque ſomno comparatur. En *Stylum Sacrum*, & virorum Apoſtolicorum; ex alterà parte en *Stylum Pontificium* & Eccleſiæ Romanæ: Sanctorum animas *mox recipi in cœlum, & intueri clarè ipſum Dominum Trinum & Vunum, ſicuti eſt*. Deus bone! unde deſumpta ſunt hæc verba? ex

quo libro Sacræ Scripturæ; ex quibus mo-
numentis primitivæ Eccleſiæ? Chriſtus jam-
Joh. xiv. 2, 3. jam moriturus, ait diſcipulis ſuis, *vado pa-
rare vobis locum. Et ſi abiero & para-
vero vobis locum, iterum veniam & reci-
piam vos ad meipſum; ut ubi ipſe ero vos
etiam ſitis.* Vides igitur hunc locum glo-
rioſum, paratum iis à Chriſto, non poſſi-
dendum eſſe donec venerit Chriſtus; tùm
demùm juxta ipſius votum ad Patrem, ha-
Joh. xvii. 24. bitabunt Sancti unà cum Chriſto, & *ſpec-
Pſ. xvii. 15. tabunt ipſius gloriam. Satiabor, Domi-
ne, cùm evigilavero, aſpectu vultûs tui.*

Præterea, nec ſacris literis, nec rationi naturali conſentaneum eſſe videtur, ſummas pœnas exigere, aut ſumma præmia erogare, antequam res in judicium deducta fuerit, & de cujuſque cauſà conſtiterit. Judi-
cium autem nullum memorat Scriptura ſa-
Act. xvii. 31. cra ante finem mundi. *Ille eſt dies quo
1 Cor. iii. 13, 14, 15. Deus judicaturus eſt orbem terrarum per
Chriſtum.* Tum demùm *cujuſque opus
2 Cor. v. 10. probabitur.* Tum *reportabit quiſque con-
Apoc. xx. 11, 12, 13. gruenter ad id quod fecerit in corpore.*
Tunc *Throni poſiti, tunc libri aperti: Et
judicatum erit de ſingulis ſecundùm opera
ipſorum.* Tunc ſeparantur Juſti ab injuſ-
tis, Oves ab Hœdis: Illis ad dextram po-
ſitis, his ad ſiniſtram: & in utroſque fer-
tur ſententia. Hæc ex ore Chriſti excipi-
Mat. xxv. 31, 32, &c. mus, *Quum autem venerit Filius hominis
cum glorâ ſuâ, & omnes ſancti Angeli*

cum

cum eo, Tunc ſedebit in throno gloriæ ſuæ. Et cogentur coram eo omnes gentes, & ſeparabit eos, alios ab aliis, ut paſtor ſeparat oves ab hœdis. Et ſtatuet oves ad dextram ſuam, hœdos ad ſiniſtram. Tunc dicet Rex iis qui ad dextram ipſius, Adeſte, Benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento. Tunc etiam dicet iis qui ad ſiniſtram, Execrati, abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus, En tempus judicii, modum; præmia & pœnas, datâmque executioni ſententiam. Et hæc omnia futura, ubi venerit Filius hominis.

Hæc autem, inquies, de Judicio Generali intelligenda ſunt. Verùm eſt præterea judicium ſecretum & particulare, quod ſtatim à morte cujuſque inſtitutum eſt, & quamlibet animam exeuntem è corpore mox excipit. Cedò loca, ſi placet, Sacræ Scripturæ quæ hoc teſtantur: videamus quantum valent, ſi clarè probent judicium privatum ante diem judicii ſolennis. Loca quæ citavimus ſunt aperta & ipsâ luce clariora: neque ullum judicium prævium ſubinnuunt, ſed excludunt potiùs. In his autem quæ pendent à voluntate Dei & à revelatione divinâ, non licet ad arbitrium fingere novam rerum œconomiam, ut hypotheſi ſerviamus. Dici poteſt quælibet anima, exiens è corpore, judicium tacitum

aut privatum ſubire, quatenùs ſibi conſcia eſt benè aut malè tranſactæ vitæ: teſtémque ſuum, ſuámque ſententiam in ſinu gerit; & pro eâ, quâ eſt, diſpoſitione & affectu, vel iratum vel amicum numen ſentit: & quaſi de proximo, quid ſibi impendeat fati, proſpicit & intuetur. Sed hæc nihil efficiunt extra animam: tota res intus geritur: manétque in eodem loco, ſtatu, habitúque anima, uſque ad reſurrectionem.*

Observatum eſt à nobis antea, ab Eccleſiâ Romanâ, per illam anticipatam Sanctorum gloriam, inutilem reddi *Reſurrectionem*; neque minùs per eandem anticipationem, *Judicium generale* quodammodò ſuperfluum redditur. Enim verò, *ſi jam de ſingulis judicatum ſit ſecundùm opera ipſorum:* ſi juſti ab injuſtis jam ſeparentur, atque hi cœlo gaudeant & viſione Dei, illi pœnis, tam externis quàm internis crucientur, Quis locus futuro judicio? Quid actum agis? de re judicatâ quid denuo judicium inſtituis?

"* Nec tamen quiſquam putet animas poſt mortem protinus judicari; omnes enim in unâ communique cuſtodiâ detinentur, donec tempus adveniat quo maximus Judex meritorum faciat examen. *Lib.* 7. *c.* 21. *p.* 653. Lactantii.

"Citatur etiam Genebrardus enumerans multos Patres, qui crediderunt Animas non fruituras viſione beatificâ ante reſurrectionem, dum excuſat Johannem xxii. papam, Gaſſend. de Animorum Immort. *tom.* ii. *M. p.* 654. *col.* ii. *ult.*"

inſtituis? Nequid fortè erratum fuerit in primâ ſententiâ, recognoſcitur cauſa? vel damnati appellant alium judicem? Non id quidem, inquies, ſed ut ſententiæ privatim datæ, æquum rectúmque toti mundo innoteſcat. Rectè, ſi pars læſa quærelam adhibet; ſed unumquemque damnatum ſupponis αὐτοκατάκριτον eſſe. Et tardè quidem de jure pœnarum quæſtio affertur, cùm jam eas ſuſtinuerint damnati per aliquot ſæcula. Neque magìs congruum eſſe videtur, ex alterâ parte, in eorum jus inquirere, qui poſſeſſione, non ſæculari modò, ſed pluſquam millenni, cœlum uſu capiunt.

Ut redeamus à judicio ad reſurrectionem, operæ-pretium erit inquirere quid nobis proſit Reſurrectio, juxta Theologiam Pontificiam. Illi aiunt Beatitudinem animæ non futuram eſſe intenſiorem poſt reſurrectionem, quàm antea; & pro definito habent *Animarum gloriam non augendam eſſe in reſurrectione: niſi extenſivè*, ut aiunt, *non intenſivè:* accidentaliter, non in ſe. Animam enim manere in eâdem viſione Dei beatificâ, in eodem lumine, in eâdem gloriâ, in eâdem operationum ſuarum perfectione, in eâdem denique beatitudine intrinſecâ, quam habuit ante reſurrectionem. Quantillum eſt quod nobis accedit à reſurrectione, ſecundùm hos Theologos? Quàm malè convenit illis cum Sancto *Paulo?* Tantine eſt hoc leve fœlicitatis addi-

Bellarm. *de beat. ſanct.* c. ii. *&* v.

1 Cor. xv.

additamentum in reſurrectione, ut abſque eo nos omnium hominum miſerrimos eſſe *Vid.* Chryſ. *in loc.* diceret beatus Apoſtolus? ut abſque eo, immortalitatem animæ pro nihilo haberet? ut abſque eo, in hac vita ſola ſpem noſtram collocandam eſſe duceret? Denique, ut abſque eo, omnem beatitudinem præviam, ſive viſionem Dei dixeris, ſive aliam, Ver. 30, 31. 32. 2 Tim iv. 8. ne nominaret quidem? Hinc ſuum præmium unicè repetit: hinc ſuam coronam Apoſtolus. Hinc aliis, contra vim mortis, aut malorum quorumcunque, conſolationem 1 Theſſ. iv. 13, 14. maximè arceſſit. Poſtremò, quod *Paulus* Rom. viii. 18, 23. noſter *æternum pondus gloriæ* appellat, id 2 Cor. iv. 17, &c. illi levis ſuperpondii loco habent. Et quod v. 1. Sanctus *Petrus*, *immarceſcibilem gloriæ* 1 Pet. v. 4. *coronam* nuncupat, id illi gloriæ noſtræ appendiculam quandam, non partem maximam aut principalem faciunt. Denique, Chriſtus ipſe redemptionem ſanctorum non niſi in fine mundi appropinquare & expec- Luc. xxi. 28. tandam eſſe docet. Nec retributionem pro- xiv. 14. mittit ante reſurrectionem juſtorum. Tantùm diſtant à doctrina Evangelica Eccleſiæ Romanæ decreta in hac parte! Id quod Apoſtoli, quod Beati Martyres, quod Antiqui Patres maximum Evangelii promiſſum, fidei Chriſtianæ fundamentum, ſpei anchoram habuerunt, ſecundùm illa decreta tantùm non irritum, inutile, & ſuperfluum redditur.

Quid

QUID plura? Hanc vitam reducem, hanc ſpem redivivam nobis lucratus eſt Chriſtus, haud minore pretio quàm ſui ipſius vitæ Heb. ii. 14, diſpendio: ſuâ reſurrectione confirmatam. 15. Et quicquid non reſurgit, pro deperdito 2 Tim. i. 10. habet in illo ſermone ſacro, utì poſtea *Paulus*, 1 Pet. i. 3. & 21. loco memorato, cùm de hoc argumento Joh. vi. 39, &c. diſſerit ad *Corinthios*. Hoc eſt mirandum, & divinæ virtutis opus: ex morte ipſius victoria & triumphus. Hic eſt perfectionis noſtræ terminus, quò nitimur, Phil. iii. 10. quò aſpiramus omnes. Neque habent quo ulteriùs progrediantur quàm maximè ambitioſa deſideria. Tunc enim erimus ἰσάγγελοι, eâdem cum Angelis amicti luce, eundem Deum intuentes.

Ex hactenus dictis ſatìs mihi conſtare videtur, tam per ſacras literas, quàm antiquiſſimorum Parum teſtimonia, Beatitudinem Sanctorum, aut unicè aut potiſſimùm pendere à Reſurrectione. Atque illam perfectionem ſummam, ſummam fœlicitatem & gloriam, quæ *viſione Dei Beatificâ* ſignificari ſolet, Animabus non impertiri ante Diem judicii, & adventum Domini. Si verò ex numero Teſtium cauſa hæc eſſet dirimenda, facile foret his primorum ſæculorum Patribus, quarti etiam ſæculi, & deinceps, plures adjungere. Sed vis Sacrarum Literarum, quæ ſola ſufficit, nimio comitatu quandoque obſcuratur. Proinde notabo tantùm, ſeorſim per modum appendicis, ex

authoribus

authoribus ſubſequentis ætatis loca quædam manifeſtiora ejuſdem argumenti, quæ pro ſuo quiſque otio & animo conſulere poſſit, aut miſſa facere.

APPENDIX.

"Vide hanc "m. excuſ- "ſam. Ge- "rard. de "Mort. "tom. 8. "p. 396. "397, &c.

QUARTI ſæculi habetur Author *Quæſtionum & Reſponſ. ad Orthodoxos*, apud *Juſtinum Martyrem*: qui eidem *Juſtino*, in ſuâ ſententiâ de vitâ defunctorum ſtatu ante reſurrectionem, adhæret & aſtipulatur. Nam de tempore retributionis verba faciens, (Reſponſ. ad Quæſt. 60.) hæc habet, οὔτε γὰρ πρὸ ἀναστάσεως τῶν ἑκάστῳ βεβαιωμένων ἡ ἀνταπόδοσις γίνεται. *Nemini enim ante Reſurrectionem, rerum in vitâ tranſactarum retributio redditur.* Dein, diluens objectionem de Latrone rectà in Paradiſum delato, ſententiam pleniùs aperit (Quæſt.& Reſp.76.) ὄφελος γέγονε τῷ λῃστῇ εἰς τὸν, &c. *Utilitas Latroni, quòd Paradiſum ſit ingreſſus, hæc fuit: quod fidei commodum reipſâ percepit, per quam dignus reputatus eſt, qui ſanctorum cœtui adjungeretur: in quo uſque ad diem Reſurrectionis & remunerationis reſervatur.*

DIVUS *Chryſoſtomus* tanti facit Reſurrectionem, ut abſque illâ immortalitatem Animæ parvi ducat: & reliqua omnia quæ poſſidentur à Sanctis ante id tempus, pro exiguâ parte beatitudinis & remunerationis habeat.

habeat. Hunc, ſi placet, conſule ad caput xv. prioris ad Corinthios, ubi, ad illa verba *Pauli*, *Si in hâc ſolùm vitâ*, &c. hæc habet, Τί λέγεις ὦ Παῦλε; πῶς, &c. *Quid ais Paule? Quomodo in hâc vitâ tantùm ſpem habemus, niſi corpus reſurgat, licèt Anima maneat & immortalis ſit?* Reſpondet ſibi, *Licèt maneat anima, licèt Sexcenties eſſet immortalis, ut eſt: bona illa ineffabilia ſine corpore non reportaret; Quemadmodum nec punietur antea: Omnia enim manifeſtabuntur ante tribunal Chriſti, ut unuſquiſque quæ fecit itidem recipiat in corpore: ſive bona ſive mala. Propterea*, dicit Apoſtolus, *ſi in hâc vitâ tantùm ſpem in Chriſto haberemus, omnium eſſemus miſerrimi. Niſi enim reſurgat corpus, incoronata manet Anima, extra illam beatitudinem quæ eſt in cœlis.*

HIS ſententiam ſuam clarè explicuit *Chryſoſtomus*, eandemque confirmat alibi exemplis & ſimilitudinibus, ad illud nempe dictum Apoſtoli, ad *Hebræos*, cap. xi. 40. *Hi mercedem non receperunt, ne ſinè nobis conſummarentur.* Verba ipſius hæc ſunt: οὐδέπω ἀπέλαβον, ἀλλ᾽ ἔτι μένουσι, &c. *Nondum receperunt mercedem, ſed adhuc expectant? Qui iſtoc modo obiêre, in tantâ tribulatione, nondum receperunt illi? Tantum habent temporis ex quo vicerunt, nec dum receperunt mercedem: vos autem, nondum finito certamine, moras ægrè fertis.*

Cogitate

Cogitate, quæſo, quid & quantum ſit, Abrahamum, & *Apoſtolum* Paulum, *expectantes, quando tu conſummatus fueris, ut tunc tandem poſſint mercedem recipere*, &c. Pergit adhuc in ejuſdem argumenti contextu in ſequentibus: & *Abelem* Protomartyrem, & *Noachum* in utroque mundo juſtitiæ præconem, non ante nos coronandos eſſe ait; ἵνα ὥρισε πᾶσι τῶν στεφάνων τὸν καιρόν. *Omnibus ad coronas recipiendas unum idemque tempus definiit.* Uſque ad illud tempus pro ſedibus Animarum Sanctarum nominare ſolet quandoque ἱερὰ πρόθυρα: ſæpius autem *ſinum* Abrahæ. Vide, ſi vacat, *Hom.* 24. *in prior ad Corin.* & *Hom.* 40. *in Gen.* Ubi ait omnes juſtos à temporibus *Abrahæ*, uſque ad finem mundi id ambire & exoptare unicè, ut in ipſius ſinu requieſcant. Sinus autem *Abrahæ*, ut nôſti, non habetur pro ſummâ gloriâ, aut cœlo ſupremo. Denique, Hæc omnia confirmantur in ſermone primo *Chryſoſtomi* de Reſurrectione: cùm omnem ſpem noſtram, omnem retributionem ad illud tempus & adventum Domini illìc referat: neque ullam nobis innuat citiús contingere mercedem, præter illam quæ in hâc vitâ ex ipſo certamine oritur, & ex ipsâ exercitatione virtutis & conſtantiæ Chriſtianæ: quibus Anima fortior redditur, &, ut ipſius verbo utar, magìs Philoſophica. Utì enim, inquit, *Athletæ*

certando

certando fiunt firmiores & robuſtiores, οὕτω δὴ καὶ ἐπὶ ἀγώνων τῆς ἀρετῆς, καὶ πρὶν ἢ τὸν οὐρανὸν ἀνοιγῆναι, καὶ ἢ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ παραγενέσθαι, καὶ πρὶν ἢ τὰς ἀμοιβὰς ἡμᾶς ἀπολαβεῖν, (vides hæc tria idem valere apud *Chryſoſtomum*) μέγαν ἐντεῦθεν καρπούμεθα τὸν μισθὸν, τῆς ψυχῆς ἡμῖν φιλοσοφωτέρας καθισταμένης.

Hæc de ſtatu & beatitudine Sanctorum ante Reſurrectionem ſecundùm *Chryſoſtomum*. At dices forſan eundem Patrem aliis in locis liberiùs ſublimiúſque loqui de hâc beatitudine intermediâ. Id quidem fieri poteſt. Oratores enim inter perorandum ſæpe incaleſcunt aliquantulum, neque ſingula verba in aurificis ſtaterâ ponderant. Cùmque ſermones populares aut orationes funebres adornant, multæ ſunt cauſæ quæ perorantem incitare poſſunt ad exaggerandam fœlicitatem *Mortuorum in Domino*: nullæ verò ad diminuendam, præter ipſius veritatis conſcientiam. Utile eſſet ad conſolandum & erigendum animos contra vim mortis: præſertim in ſubeundo Martyrio: ad excitandos affectus & pietatem confirmandam, calidè liberiúſque loqui de proximè futurâ Sanctorum beatitudine. Sed nulli conſilio, nullibus uſibus inſerviret, frigidiùs quàm par erat, & tenuiùs eandem repræſentare. Quapropter ad indagandam veritatem, & cujuſque Authoris mentem in hoc argumento, unicus locus qui hanc fœlicitatem retinet infra terminos à nobis præſcriptos, multos valet eorum, qui cum affectu

affectu eandem altiùs efferunt & attollunt. Rectè id notatum eſt ab aliis, *Non eſſe concionatorum verba eo rigore accipienda, quo primùm ad aures auditorum perveniunt. Multa enim declamatores per hyperbolen enunciant & inculcant, occaſione locorum, temporum, & perſonarum, adducti, vel affectuum impetu, & orationis curſu rapti.* Hoc conſultiſſimè dictum eſt, & in hoc argumento, ſiquo alio, locum habere debet.

Six. Sen.

NON itaque mirabimur Oratores Sacros, ex amore erga mortuos, aut ad demulcendos vivos, molliori & laxiori uſos eſſe ſtylo, & de *cœlo* ſtatim *poſſidendo*, & *intuendo Domino*, verba feciſſe. Cœlum laxè ſumptum, quemlibet fœlicem Animarum poſt mortem denotat ſtatum; Qui tamen multò frequentiùs *Paradiſus* aut *ſinus Abrahæ* apud Patres dicitur: notátque ſtatum beatitudinis intermedium, & cœleſti inferiorem. *Generale Paradiſi nomen eſt*, inquit, S. *Auguſtinus*, *ubi fœliciter vivitur.* Atque illud etiam eſt generale nomen aut notio cœli. Cœlo quodam *interno* fruuntur ſancti ſtatim à morte, externo autem frui non poſſunt ſine corpore. Dein *viſio Dei aut Chriſti*, aut *præſentia divina*, quarum alicubi mentionem facit *Chryſoſtomus*, non alia eſſe poteſt ante Reſurrectionem, quàm intellectualis. Erit quidem Anima proximior Deo in illo ſtatu ſeparato, quàm in hoc

Epiſt. 57. *& de Gen. ad lit. l.* 12. *c.* 34.

hoc carcere; ipſiúſque virtutem ſibi intimiorem, magíſque præſentem & efficacem perſentiet, ac ſi eſſet coràm, & in ipſius conſpectu. Sed de ſupremâ beatitudine, & glorioſiſſimâ Dei viſione hæc aut hujuſmodi dicta non poſſumus exponere, niſi ſimul ſtatuamus, hunc Patrem apertiſſimè ſibi contradixiſſe. In legendis Authoribus, ſacris, aliíſve, pro regulâ haberi ſolet, à claris ambigua, ab accuratioribus & ſeverioribus vulgaria & populariter dicta, eſſe interpretanda. Hanc teneamus viam, & minùs errabimus. Denique, nos rectè interpretari verba ſenſúſque *Chryſoſtomi* circa ſtatum mortuorum, indè licet argumentum ſumere, quòd interpretes, Patréſque Græci, qui *Chryſoſtomi* maximè ſequaces erant, putâ *Theodoretus*, *Oecumenius*, *Theophylactus*, *Euthymius*, * eandem nobiſcum ſententiam ſint amplexi. *Theodoretus* ſuam explicat ſententiam, ubi antea *Chryſoſtomus*, in *cap.* xi. ad *Hebræos*, verſibus ultimis: aſſerítque non alios aliis citiùs remunerari, citiùs coronâ gaudere, aut Victores à Deo renunciari, ſed cunctos ſimul & ſemel in Reſurrectione. Ad illa nempe verba Apoſtoli, *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſiones, ut non ſinè nobis conſummarentur*

"* *Vide plures Patres in hâc ſententiâ in not. Cortholt. ad Juſtin.* xliv. Col. 1 & 2."

rentur, Hæc habet : οἱ μὲν ἐν τούτων ἀγῶνες τοσοῦτοι καὶ τηλικοῦτοι, &c. *Eorum ergo fuerunt tot & tanta certamina, ſed ii tamen coronas nondum acceperunt. Expectat enim univerſorum Deus aliorum certamina, ut, ſoluto ſtadio, omnes qui victoriam fuerint aſſecuti, ſimul victores renunciet & remuneretur.* Nec alio ſenſu *Oecumenius* illud dictum Apoſtoli, atque illam hiſtoriam veterum Heroum, fide præſtantium, interpretatur : His verbis, Ἐκεῖνοι φησι, κάθηνται ἀγέραστοι, τὴν ἡμῶν περιμένοντες ἐπιστασίαν. *Illi*, Inquit Apoſtolus, *ſedent irremunerati*, ſinè præmio, *noſtram expectantes miniſtrationem* vel adventum. Ita etiam *Theophylactus* in locum, οἱ εἰρημένοι πάντες ἅγιοι, &c. *Dicti omnes ſancti, etſi teſtimonium haberent, quòd Deo per fidem placebant, nondum tamen aſſecuti ſunt cœleſtium bonorum promiſſiones.* Aliáque adjicit his paria atque gemina, in verſum ſequentem, ex *Chryſoſtomo* ferè deſcripta. Denique eandem tuetur ſententiam hic Author ad *Luc.* cap. xxiii. in explicando dicto Chriſti ad Latronem, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Cùm enim Paradiſum à cœlo diſtinxiſſet, atque eo modo Evangeliſtam cum Apoſtolo *Paulo*, loco ſuprà citato, conciliaſſet, addit, ὁ γὰρ λῃστὴς, &c. *Latro igitur Paradiſum aſſecutus eſt, non autem aſſecutus eſt Regnum cœlorum ; aſſequetur autem quando & cæteri omnes quos* Paulus *numera-*

enumeravit. Interea Paradiſum habet impræſentiarum, ſpiritualis quietis Regnum. Huic explicationi affinis eſt illa *Euthymii* in eundem locum : his verbis interpretis, *Chriſtus ſciens Latronis intentionem promiſit quod illi optatiſſimum videretur. Noverat enim Latro Paradiſum è doctrinâ Moſaicâ ; & tunc quidem dedit ei converſationem in Paradiſo, tanquam Arrhabonem Regni ſui, quod eſt fruitio ineffabilium ac æternorum bonorum, QUÆ OCULUS NON VIDET,* &c. *Nondum enim quiſquam juſtorum accepit promiſſionem, veluti magnus docuit* Paulus. *Poſtmodum verò & huic traderet Regnum tempore univerſalis Reſurrectionis.* Hæc de *Chryſoſtomo,* aliiſque ipſius ſectatoribus Græcis.

Inter Latinos ejuſdem ſæculi quarti, conſule, ſi libet, *Hilarium, Ambroſium,* & *Auguſtinum,* circa Statum Mortuorum. *Hilarius* ſuis in *Pſalmos* commentariis ſæpius attingit hoc argumentum, & ad illum locum *Pſalmi* cxxxviii. *ſi deſcendero ad Infernum, ades :* Legem imponit univerſalem & inviolabilem animabus humanis, ut deſcendant omnis εἰς ᾅδου : ídque propterea à Chriſto factum ait, ut omnem naturæ humanæ curſum ordinémque expleret. Idémque edocuerat antea ad *Pſalmum* liii. Dein hîc retineri ait Animas, nempe ἐν ᾅδῃ, uſque ad diem Judicii: Ad *Pſalmum* ii.

& in *Pſal.* cxx. ad illa verba, *Dominus cuſtodiet introitum tuum, & exitum tuum,* hæc habet, *Non temporis hujus & ſæculi eſt illa cuſtodia, ſed futuri boni expectatio eſt: cùm exeuntes de corpore, ad introitum illum regni cœleſtis, per cuſtodiam Domini fideles omnes reſervabuntur, in ſinu ſcilicet* Abrahæ *conſtitui.*

HÆC eſt doctrina *Hilarii* de mortuorum Statu: *Ambroſii,* qui ſcire deſiderat, legat ipſius *cap.* x. xi. xii. *de bono mortis.* Capite decimo, promptuaria animarum uſque ad diem judicii recognoſcit: *Coronæ enim dies,* inquit, *expectatur ab omnibus, ut intrà eum diem & victi erubeſcant, & victores palmam adipiſcantur victoriæ.* Et Capite undecimo, lætitiam animarum ante Reſurrectionem per plures gradus exponens: *quartò,* ait, *quia incipiunt intelligere requiem ſuam, & futuram ſuam gloriam prævidere: eâque ſe conſolatione mulcentes, in habitaculis ſuis cum magnâ tranquillitate requieſcunt, ſtipatæ præſidiis Angelorum.* Denique idem Author, *lib.* ii. *de Cain* & *Abel, cap.* 2. nimius mihi videtur in hâc parte: ſubindicat enim Defunctorum animas, uſque ad diem judicii, de ſuâ ſorte incertas eſſe: his verbis, *ſolvitur à corpore anima poſt finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri judicii ambigua ſuſpenditur.* Hæc de *Ambroſio.*

SUCCEDIT

Succedit Sanctus *Auguſtinus:* Qui, licèt nonnunquam cautus & modeſtiæ retinens, quæſtionis dirimendæ difficultatem aut invidiam declinet: communiter tamen Piorum omnium animas (ſaltem ſi Martyres excipias) *extra cœlum*, & *extra gloriam*, in ſecretis receptaculis detinet, uſque ad Reſurrectionem & diem judicii. Ut ex his infrà locis, ſi per otium conſulas & conferas, manifeſtò patebit, *Expoſ. ad* Pſalm. xxxvi. 10. ad illa verba, *adhuc Puſillum*, &c. *Enchirid. ad Lauren. c.* 118. *Gen. ad literam, l.* 12. *c.* 35. *De Civ. Dei, l.* 12. *c.* 9. *Retract. l.* 1. *c.* 14. *Confeſſ. l.* 9. *c.* 3.

Plures advocare teſtes ſingulares, aut ab hoc, aut à ſequioribus ſæculis, non erit operæ pretium. Sed duo ſunt præterea capita generalia, à quibus argumenta deſumi poſſunt, quæ plures ſimul Patres, teſtéſque complectuntur. Horum alterum eſt ab opinionibus cognatis primitivorum Patrum, quæ vitâ defunctorum quorumcunque ſtatum, uſque ad Reſurrectionem, imperfectè beatum ſupponunt. Alterum eſt ab uſu & praxi Eccleſiæ in ſuis precibus & oblationibus pro mortuis. Ad opiones iſtas quod ſpectat, duas potiſſimùm intelligo. Illam quæ ſtatuit Sanctos in Millennio reduces, regnaturos eſſe cum Chriſto in terris. Alteram, quæ ſanctos ipſos purgandos eſſe docet in ſupremo Igne, ſive in Con-

flagratione Mundi, antequam ad cœlum & viſionem Dei aſciſcantur. Harum opinionum utraque magnos habuit fautores, multóſque, in prioribus Eccleſiæ ſæculis, prout infrà conſtabit capitibus ſexto & nono. Utraque autem ſupponit hos ſanctos nondum potitos eſſe ſummo bono, cœleſti gloriâ, aut viſione Dei: nec ad iiſdem potiundum eſſe paratos, abſque præfatâ purgatione. Et ſive vera ſint, ſive minùs, hæc dogmata, teſtantur utcunque quid ſenſerint utraque hæc claſſis Patrum (quorum non eſt exîguus numerus) de vitâ defunctorum ſtatu: quantúmque, hâc in re, eandem nobiſcum tenuerint fidem & ſententiam.

Alterum caput quod multorum conſenſum involvit, eſt uſus & praxis Eccleſiæ in ſuis Liturgicis & officiis ſacris circa mortuos. In his Liturgicis, vel continentur tantùm gratiarum actiones & commemorationes pro ſanctis: de quibus hìc non agitur; vel oblationes præterea, & ſupplicationes pro mortuis; atque hoc ſatìs oſtendit, nondum perveniſſe, ex eorum ſententiâ, ad ſummam gloriam & beatiſſimam Dei viſionem, Animas illas pro quibus hæc fiebant ſacra: Fiebant autem pro Animabus ſanctiſſimis & præſtantiſſimis, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Martyrum, aliorúmque Eccleſiæ Luminum: Ut videre licet, tam apud Liturgias Veteres, utcunque dubias aut interpolatas:

terpolatas: quàm ex conſtitutionibus *Clementis*, ex *Cypriano*, *Dionyſio* Areopagitâ dicto, & *Epiphanio*.

HUJUSCE praxis, ſive licitæ & laudabilis, ſive non, hoc videtur eſſe fundamentum: Quòd omnes animas, cujuſcunque ordinis, præter Animam Chriſti, ἐν ᾅδῃ, morari crediderint Antiqui, uſque ad Reſurrectionem. Atque iis nondum conſummatis profuturas eſſe Preces & Oblationes Eccleſiæ: *Preces* dico: nam, præter oblationes, adhibitas etiam fuiſſe ſupplicationes, ex Liturgiis & Authoribus præfatis, aliiſque, certum & irrefragabile mihi videtur. Ita, *ex. gr.* in Liturgiâ quæ dicitur *Jacobi*, ſupplicatur Deus, ut lucem & requiem daret omnibus defunctis, de fide rectè ſentientibus, ab *Abele* uſque ad hodiernum diem. Μνήσθητι, κύριε ὁ θεὸς τῶν πνευμάτων καὶ πάσης σαρκός, ὧν ἐμνήσθημεν καὶ ὧν οὐκ ἐμνήσθημεν, ὀρθοδόξων, ἀπὸ Ἄβελ τοῦ δικαίου, μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας· αὐτὸς ἐκεῖ αὐτοὺς ἀνάπαυσον ἐν χώρᾳ ζώντων, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, ἐν τῇ τρυφῇ τοῦ παραδείσου, ἐν τοῖς κόλποις Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ, τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν, &c. Idem conſtat ex aliis Liturgiis, tam Græcis, quàm Latinis: ut videre eſt apud eos qui hiſce colligendis & examinandis operam dederunt. Defunctis precantur præſentem requiem, & futuram Lucem & Gloriam: ſempèrque in omnibus officiis circa mortuos, irretorto oculo ad Reſurrectionem reſpiciunt. Denique nihil occurrit, quod

ſciam, in antiquo uſu Eccleſiæ, quod non reſpondeat hypotheſi noſtræ de ſtatu Mortuorum & περὶ ᾅδου: ubi omnes Animæ præſtolantur adventum Chriſti, ſonitúmque ſupremæ tubæ.

Hæc de teſtimoniis Patrum, ſeorſim aut cumulatim. Sed hanc operam, magnâ ex parte, forſan dixeris ſupervacaneam: Quandoquidem Pontificii (Quorum intereſt maximè, ut cœlo, gloriâ, & viſione Dei fruantur Sancti ante Reſurrectionem) fatentur*, Patres generatim eâ de re nobiſcum convenire: neque ab illis petendum eſſe auxilium aut patrocinium in hâc cauſâ: quæ pendet tota ab authoritate Eccleſiæ, & ipſius definitione; eâque mehercule tardiuſculâ, ſæculo nempe decimo quinto in Concilio *Florentino*, ubi decretum eſt, animas Sanctorum *mox recipi in cœlum, & intueri clarè ipſum Dominum, trinum & unum, ſicuti eſt.* Interea nos ægrè patimur tot tantóſque Patres & præſides Eccleſiæ Chriſtianæ verſatos eſſe in errore per quatuordecim

* Tot illi & tam celebres antiqui Patres, *Tertullianus*, *Irenæus*, *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *OEcumenius*, *Theophylactus*, *Ambroſius*, *Clemens*, *Romanus*, *D. Bernardus*, — huic ſententiæ (quæ nunc in Concilio *Florentino*, magnâ demum conquiſitione factâ, definita eſt) quòd Juſtorum animæ ante diem Judicii Dei viſione fruuntur, non ſunt aſſenſi, ſed ſententiam contrariam tradiderunt. *Staplet. Defenſ. Auctorit. Eccleſ. l.* 1. *c.* 2.

cim ſæcula, & Veritatem tam ſerò inventam *Florentiæ*; tantâ etiam vi aut arte (ut refert iſtius ſynodi hiſtoria) extortam à Græcis: quos, aut malè ſanatos, aut recidivos jam videmus. Hæc meditentur ii, quorum intereſt: Utcunque quoad Reformatos, nihil valet hæc authoritas Romana, Synodorum aut Pontificum. Nobis integrum eſt, rem æſtimare ex æquo, & ex omnibus ſuis momentis: Diligenter expendere, quò propendeat, quò nos ducat Scriptura Sacra: quò rei ipſius ratio: quò ætas intemerata Eccleſiæ: Nec id tantùm ante oculos habere, quid, his reclamantibus, factum ſit aut definitum nudiuſtertius in conventu *Florentiæ*. Dignum utique eſt hoc caput *de Statu Mortuorum* quod excutiatur penitùs, & de quo contendamus pars utraque: huic enim ſuperſtructa eſt tota moles religionis & Pompæ Romanæ circa Sanctos: de iis Canonizandis, ut loquuntur: invocandis & colendis; nec de iis ipſis tantùm, ſed etiam eorum Imaginibus & Reliquiis. Hinc pendent etiam peregrinationes, & vota meritoria, & Sanctorum Miſſæ, & novum illud, ſed utiliſſimum, Purgatorii inventum. Quandoquidem idcirco ex hoc filo pendeat tantus apparatus, tantum pondus ſuperſtitionum: ex hoc fundamento, aut Lapide Angulari, tantum ædificium: noſtrâ plurimùm refert nihil temere conce-

cedere in hâc cauſà, nec indulgere nimis piis affectibus, ſed malè fundatis, in re tam magni momenti.

CAP. V.

De ſtatu naturali Animarum in intervallo Mortis & Reſurrectionis; an nudæ ſint, & ab omni corpore ſeparatæ: vel Aerio, aliive, uniantur.

"V. Dall. "de pœnis, "l. 2. c. 12. "p. 181, "*&c.* Ge-"rard. de "ψυχοστασιν, "Tom. 8. "p. 419 & "de ſtatu "Anima-"rum Se-"parata-"rum, p. "403.

EXPEDITA quæſtione primâ, de qualitate ſtatûs intermedii, quoad fœlicitatem vel miſeriam: ſive de animarum ſtatu morali ante Reſurrectionem; ſequitur jam altera, & multo difficilior, de earundem ſtatu naturali. Supereſſe, vivere, & cogitare animas poſt mortem, ſive diſſoluto hoc corpore, probatum eſt in antecedentibus: Sed quod dixit Apoſtolus de ſuá ecſtaſi, an *in corpore, vel extra corpus, Ego neſcio, Deus novit:* Idem hìc uſurpare licet: an, exuto hoc corpore, novum induat anima: vel permaneat nuda & ſinè corpore, uſque ad reſuſcitationem mortuorum, *Ego neſcio, Deus novit.* Saltem id inter *obſcura*, quæ nec lumine naturæ, nec ullâ revelatione, clarè conſtant, numerandum eſſe ducerem.

QUUM

Quum hìc nullus locus ſit experimentis, haurienda eſt cognitio noſtra, vel ex innatis ſeminibus veritatis & ab ipsâ rei naturâ, vel è ſacris literis. Atque illius, Teſtes aut Interpretes habentur præcipuè Philoſophi: hujus autem, Patres Chriſtiani; His autem omnibus conſultis in hoc argumento vix aliquid certi aut definiti reperies, ubi pedem figas. Quod ad Rationis lumen attinet, & rerum naturam, parum hinc opis aut auxilii ſperare licet in hâc quæſtione dirimendâ. Quum enim unio Animæ ad hoc corpus terreſtre, vel quodcunque aliud, non oriatur (quantum nobis innoteſcit) ab aliquâ neceſſitate naturali, vel connexione neceſſariâ inter haſce duas naturas: ſed à voluntate Dei, aut à decreto divino: Diſſolutâ hâc unione, pendebit ab eâdem voluntate Dei: vel, quod perinde eſt, à legibus naturæ nobis ignotis, ut novam unionem ſubeat Anima, vel maneat ſeparata ab omni materiâ. Sic enim manere poteſt, cùm ſit *ſubſtantia*, ſive res per ſe ſubſiſtendi capax.

Dein, ſi Philoſophos hâc in re conſulas, ſilent plerumque: Platonici verò, vel Platonicorum nonnulli, ſtatuunt, Animam, ſtatim ab exceſſu ex hâc vitâ & corpore, ſubituram eſſe corpus aërium: & exinde progredi ad Æthereum, cùm virtute & ſapientiâ ſatìs profecerit. Ordine nempe retrogrado, quo in hanc infimam ſedem dilapſa eſt.

Nihil

NIHIL quidem habet abſurdi hæc ſententia, ſed teſtium & probationis eget. Quî conſtat nos exuiſſe noviſſimè corpus aërium, cùm hic nati ſumus? vel eoſdem eſſe debere gradus & ordinem aſcenſûs & deſcenſûs? vel denique nullum intercedere ſtatum ſilentii & ſeparationis ab omni corpore? Quum innumeri ſint mundi intrà univerſi ambitum, multiplices erunt, pro multifariâ Dei ſapientiâ, ordines, modi, & variationes, in revolutionibus Animarum: & quem nobis præſcripſit Deus ordinem, aſcenſûs & deſcenſûs, ad ipſius œconomiam ſecretam ſpectat, quæ nos latet in hâc vita.

SED ab Umbris & apparitionibus mortuorum, credis forſan probari poſſe, Animas humanas, exuto hoc corpore, aliud ſtatim induere: cujus ope ſe monſtrant aliquando viſibiles & conſpicuas in formâ humanâ. Fateor mihi nondum conſtare, nec perſuaderi poſſe, * Animas mortuorum apparere unquam, aut apparituras eſſe, ante diem Judicii. Genii forſan, aut dæmones, vim illam habent, compingendi aërem, aut propria vehicula, in ſpeciem humanam aut brutam:

* " *Vid. verba Chryſoſt. Hom.* xxix. *in* Mat. & *Hom.* " *ult. de Lazaro: Maldonatus in* xvi. *Luc. versùs fin.* " *citat Tertull. de animâ contra apparitiones mortuorum,* " *ſed fallitur opinor, caput non citat. Citat etiam* ibid. " *Athanaſium vel authorem, quiſquis ſit, ad Antiochum,* " ix. xi. & xiii. Iſidor, lib. viii. *etymol.* c. ix. & *Thèo-* " *phyl. in* viii. Mat."

tam: Eámque exercent aliquando, maximè apud gentes barbaras aut ſemibarbaras: ſed hæc rariùs apud nos fieri exiſtimo, & è ſexcentis narratiunculis de ſpectris, vix unam reperiri hiſtoriam veram. His paſcitur utcunque vulgus, vitæque futuræ renovatur memoria, & confirmatur fides. Sed maximam fabularum meſſem in hâc materiâ, invexêre Monaſtici, ſuis commentis aut viſionibus imaginariis, ad introducendam firmandámque fidem Purgatorii.

PONAMUS autem, ſi libet, mortuos habere corpora aëria, & vitam vivere animalem: multa hìc quærenda veniunt, ut exolvamur dubiis. Primò quam aëris regionem, ſuperiorem vel inferiorem, habitare velis hos advenas? Si infra nubes colloces, omnibus cœli tempeſtatibus & intemperiebus obnoxii erunt: cùm perpetuò verſentur ſub dio, nullis tectis aut ædibus, cujuſcunque generis, muniti. Cùm pluit, cùm ningit, cùm grandinat, cùm tonat, expoſiti hærent in medio aëre: atque tenera eorum corpora, neceſſe eſt non impetant modò, ſed etiam trajiciant & tranſverberent hæc meteora: ventúſque impetuoſior agitabit & transferet, ut nubes, in novas habitationes. Quòd ſi ſupra nubes & Telluris Atmoſphæram conſtituere velis has Defunctorum Animas, tam malas, quàm bonas: ἔξω ᾅδου evehis, in regiones ſerenas & lucidas, quibus minimè dignæ ſunt aut idoneæ,

Animæ

Animæ improbæ & impuræ. Neque, has, opinor, ab aliis, Hœdos ab Ovibus, ſegregari velis ante diem judicii. Hæc de ſedibus Mortuorum.

Secundo, de Mortuorum politiâ quærendum eſt. Oportet enim, ſi corporibus gaudent, & vitâ animantium, ut aliquam inter ſe habeant politiam & regimen. Viſne igitur ut in eadem omnes degant Republicâ, promiſcuè: vel ut diſpertiantur & diſtribuantur in diverſas gentes, nominibus moribúſque diſtinctas, ut hîc in terris? Ut Galli, exempli gratiâ, habitent omnes ſimul, & ſeparatim à reliquis: Ita etiam Hiſpani, Itali, Germani, Britanni, cæteræque gentes per terrarum orbem, ſuas ſibi habeant ſedes in aëre, ſeorſim alias ab aliis: ſuum etiam quæque regimen antiquum, ſuam Linguam, moréſque & religionem. Hæc utique definienda ſunt & quærentibus explicanda. Imprimis verò difficile erit, limites imperiorum figere & conſervare, in aëre fluxili: ſinè foſſis, aut fluviis, aut propugnaculis. Nec minor erit difficultas de conſtituendis Regibus. Ex antiquis quemnam ſolio reſtituent: primum vel ultimum? vel quod ſtemma Regium cæteris præferent? vel rejectis omnibus titulis antiquis, Digniori dabitur? Lites hinc orituras facilè video, & diſcordias, ac etiam Bella. Sed quibus modis armíſve pugnaturi ſint in aëre, nondum in-

telligo.

telligo. *Mortui* certè *nequeunt mori*, an vulnerari poſſint, haud ſatis ſcio.

DE Linguâ etiam & ſermone Mortuorum oriuntur quæſtiunculæ. Mortuorum Dialogos finxêre multi, ſed quâ linguâ colloquuntur mortui, neſcio. Maternâ, inquies, ſeu vernaculâ, quâ uſi ſunt in terris: ut Græci loquantur Græcè: Latini Latinè, & ſic de cæteris gentibus. Sed tempora mutantur, & populi, & linguæ, de ſæculo in ſæculum. Hodierni Romani Veterum Latinorum non callent linguam: nec quamcunque Latinitatem, vulgus Italorum: Quî confabulabuntur hi populi cum ſuo Romulo, aut Numâ? Celtarum & Scytharum linguas non retinent hodie, qui eaſdem ſedes, per occidentem & ſeptentrionem incolunt. Denique quid fiet à nobis, incolis hujuſce Inſulæ, qui tot habuimus origines & linguas? Britannicè loquemur in corporibus aëriis: vel Saxonicè, vel Normanicè, vel ut hodie fit mixtè & compoſitè? Alteram fore ſuſpicor *Linguarum confuſionem*, Babelis illâ graviorem, ſi in hunc modum vita futura ordinanda eſſet.

IN hodiernâ vitâ naſcimur infantes, & ſenſim addiſcimus ſermonis uſum, matre & nutrice magiſtris. Sed in aëriâ vitâ, nulla, opinor, eſt infantia. Etiam qui hinc diſcedunt Infantes, ibidem naſcuntur adulti, ſinè ætatis diſcrimine. Non prodeunt è ſinu matris, neque creſcunt & adoleſcunt, ut

parvuli

parvuli noſtri: Sed ſtatim ac ætherea veſcantur aurâ, ſermone pollent & ratione, ſinè ullo tyrocinio literario. Hæc autem dico ſecundùm præfatam hypotheſin, non ex animo: neque enim video, qui poterunt mortui, aut memoriam retinere veteris linguæ, aut novam imbibere unico hauſtu. Sed de ſermone hæc ſatìs.

De Religione reſtat adhuc non minima difficultas; habeant, neceſſe eſt, hi homines aërii cultum divinum, & Religionis formam aliquam & inſtituta. Viſne proinde, ut quiſque, ſecundùm ſuam ſectam, eandem, quam coluit in terris, proſequatur adhuc religionem? ut Judæi ſequantur Legem Moſis, Mahometani Mahometis: Pagani ſuos Deos colant, & Chriſtiani Chriſtum. Dein Pontificios habere velis ſuum Papam, ut hìc infrà: & Reformatos, fidei ſuæ regulam, ſcripturam ſacram? Sed quid dixi ſcripturam ſacram? de Libris aut Literis aëriis nihil intelligo: fruſtra ſcribitur in aquâ, multo magìs in aëre. Nulla religio ſuum Canonem, aut Legem ſcriptam, retinere poterit in iſtoc ſtatu: nec ſuos ritus ſacros, & œconomiam externam. Præterea, ſi omnes defunctorum Animæ, ab origine Mundi ad hodiernum diem, unà habitant in aëre, Judæi reperient ibidem ſuos Prophetas, & Chriſtiani ſuos Apoſtolos. Illi proinde de vero Meſſiâ meliùs inſtructi, ex oraculis & interpretatione ipſorum Prophetarum,

tarum, fient ſtatim Chriſtiani. Hi pariter, ex ore Apoſtolorum accipient controverſiarum omnium, quæ inter Romanos & Reformatos pendent, deciſionem infallibilem. Ad hæc conſequens erit, tam Judæorum converſio, quàm Chriſtianorum unio. O Beatæ ſedes! O beati Mortui præ vivis? Denique, reliqua gens humana, cùm unicum verum Deum, & Meſſiæ myſterium, à viris divinis clarè expoſitum audiverint, rejectis erroribus ſuis, ad pietatem cultúmque Chriſtianum convertentur. En glorioſum Chriſti Regnum: non in Terris, nec in cœlis, ſed in aëre inter mortuos. Sed hæc minimè quadrant ad œconomiam Chriſtianam, prout exponitur in ſacris literis: atque etiam aliena ſunt à communi fide. Quis enim credet Adamum & Evam, ſivè primos homines, omnéſque ipſorum poſteros, filios & filias, unà jam victitare in nubibus aut in aëre, & ibidem victitáſſe per aliquot millennia? Num familias ſuas & cognationes antiquas retinent: proſpiciuntque quid rerum geratur in terris: præcipuè inter ſuos conterraneos, & ſuos maximè Tribules? Sed me tædet plura percontari aut diſquirere, in re prorſus incertá aut incredibili. Si per alia capita interrogationes inſtituas, reſponſuro non minùs hærebit aqua. Mihi ſaltem, rem animo verſanti, nullus occurrit modus, nulla ratio, con-

ſtituendi

ſtituendi Rempublicam inter mortuos: ſtatum intelligo externum, corporeum, animalem & viſibilem.

SED ratione tantùm hactenus, & argu-
mentis â naturâ rei petitis, uſi ſumus; O-
portet præterea ſcripturam ſacram conſulere,
ſiquid fortè habeat de corporibus mortuo-
rum ante Reſurrectionem. At è contra
non pauca ſunt in ſacris literis, ut mihi vi-
detur, quæ huic ſententiæ, de corporibus
aëriis in ſtatu intermedio, minimè favent.
Primò, quòd duo tantùm Animæ noſtræ
corpora memorent ſacræ literæ, vel duo
tantùm genera corporum animatorum, Ter-
reſtre & Cœleſte: illud quod habe-
mus hodie, ac illud quod habituri ſu-
mus in Reſurrectione Mortuorum. Capite
decimo quinto primæ ad Corinthios, hanc
materiam fuſiùs tractat Apoſtolus *Paulus:*
& cùm duo diſtinxerat Corpora, & duo ſo-
lummodo, Animæ noſtræ propria, ſubjun-
ver. 49. git, *Et ſicut geſſimus imaginem Terreſtris,*
geremus etiam imaginem Cœleſtis. Nullâ
factâ mentione Corporis intermedii. Quod
etiam explicitiùs excludere videtur, capite
quinto ſecundæ ad Corinth. his verbis, *Sci-*
ver. 1. *mus enim, ſi terreſtris hujus domûs noſtræ*
Tabernaculum diſſolutum fuerit, nos ædifi-
cium ex Deo habituros, æternum in cœlis.
Vides, inter Terreſtre & Cœleſte corpus,
nullum intercedere ſtatum corporeum: ſed
eum

eum qui fortè intercedere poſſit, appellat ſtatum *nuditatis* in ſequentibus: verba hæc ſunt: *In hoc enim ſuſpiramus, expetentes,* Verz, 5.
domicilio noſtro, quod è cœlis eſt, ſuperindui *. *Siquidem etiam INDUTI, non NUDI reperiemur.* Siquidem ullo corpore veſtiti, non in ſtatu ſeparationis reperiemur: (nempe cùm advenerit Chriſtus ad ſuſcitandum mortuos.) Anima enim *nuda*, vel mens *nuda* idem valere ſolet ac ſeparata ab omni corpore. Et *ſuperindui*, niſi jam veſtito, convenire non poteſt.

SECUNDO, Fatum cujuſque hominis, ſecundùm ſtylum & rationes Sacræ Scripturæ, pendet unicè ab operibus hodiernæ vitæ: nulla erit mutatio, morum aut ſortis, in futurâ. *Sive deciderit arbor ad meri-* C.xi.ver.3.
diem, ſive ad Aquilonem, quo loco ceciderit arbor, ibi futura eſt. Inquit Eccleſiaſtes: quæ ferè referuntur ad mortem hominis, & immutabilem exinde conditionem. Ita etiam interpretari ſolent *Clauſam Januam*, Mat. xxv.
in parabolis Chriſti. Sed apertiùs id docet 10.
Luc. xiii.
Apoſtolus *Paulus*, ſecundâ ad Corinthios, 25.
quinto: *Omnes enim nos comparere oportet* Ver. 10.
coram tribunali Chriſti, ut unuſquiſque reportet quæ in corpore fecerit, ſive bonum, ſive malum. Hæc ſortem hominis futuram definire & concludere videntur, à facien-

H dis

* "*De voce* Superindui *& de hôc loco vide Crellii* "*explic.* p. 315."

dis & factis infra hanc vitam. Quòd ſi alia interveniat vita ante Judicium: Eáque talis, ut bene aut malè agendi, virtutis & vitii, æquè capax ſit ac hodierna, eáque multo longior ſit & diuturnior: nullam video rationem, cur ab hodierná vitá ſolâ, breviuſculâ, incommodá, & innumeris tentationibus obnoxia, pendeat totum pondus æternitatis, vel ſortis futuræ: Alterá illâ, multo majoris momenti, neglectá penitùs, vel pro nihilo habitâ.

TERTIO denique, ſecundùm communem dictionem Sacræ Scripturæ, Mors dicitur *Somnus*, & morientes dicuntur *obdormire:* quod innuere mihi videtur ſtatum mortis eſſe ſtatum quietis, ſilentii & ἀεργασίας. Nempe quoad mundum externum: ut nihil habeamus commercii cum mundo externo, in ſtatu mortis, non magis quàm in ſtatu ſomni. Præterea, *expergiſci* dicimur, & *evigilare*, in Reſurrectione: Quamobrem verò? niſi quòd mutato ſtatu, quaſi excuſſo ſomno, in lucem & in mundum viſibilem reſurgamus.

AT dices forſan, phraſeologiam illam ſacram, quá Mors aſſimilatur ſomno, & morientes dicuntur *obdormire*, eſſe tantum Euphemiſmum, & reſpicere corpus: quod, cùm mortuum, placidè requieſcere videtur, ac ſi eſſet ſomno obrutum. Eſto: ſed plenior ſortiórque erit dictio, ſi, unà cum corpore, animam quoque complectaris: quæ,

perinde

perinde ac in ſtatu ſomni, requieſcit ab actionibus ſolitis, nec tangitur objectis externis. Quinimo, non tantùm ligantur aut clauduntur ſenſus, ut in ſomno: ſed etiam, ut in ecſtaſi, abſtrahimur à corpore & à mundo corporeo. Et cùm ſeſe nobis aperit iterum mundi aſpectabilis theatrum, meritò & appoſitè dicimur *expergiſci* & *evigilare*. Quòd ſi ſtatim ab exceſſu animæ ab hoc corpore induamur aliud, magìs actuoſum & vividum: ludántque Animæ mortuorum in campis aëris, vigiles & alacres: nulla apparet ratio cur Mortui dicantur *dormire* ante reſurrectionem, & in reſurrectione expergiſci, niſi id totum ad cadavera referas; quod duriuſculum mihi videtur.

NOTANDUM verò, cùm mortuorum animabus ἀεργασία attribuitur, non intelligenda eſt omnimoda & univerſalis, tam interna quàm externa: ſed externa tantùm: quod nihil ſcilicet operentur aut efficiant in mundum corporeum, nec ab eodem quomodocunque afficiantur. Sed vitam interea habent & cogitationes immanentes. Ita intelligo verba Chriſti, cùm, ad probandam animæ immortalitatem, ait, Deum ſe dicere, Deum *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*: *Non* Luc. xx.
eſt autem Deus mortuorum, ſed vivorum. 37, 38.
Vivunt enim omnes ei. Per *mortuos* hìc intelligit Chriſtus, omnis vitæ expertes: atque eo ſenſu negat hos Patriarchas eſſe mortuos: *vivunt enim*, inquit, *Deo*. Hoc

eſt, ſi rem rectè capio, licèt non vivant reſpectu hominum, aut reliqui mundi viſibilis: tamen reſpectu Dei, in mundo inviſibili, & ſecundùm facultates ſuas intellectuales vivunt vigéntque.

HÆC notaſſe ſufficiat ex ſacris literis ad indagandum ſtatum & genus vitæ, quod habituri ſumus proximè poſt mortem, corporeum vel incorporeum; ídque eo fine ut dignoſcamus, an hunc Solem, hæc Sydera, & amicam lucem viſuri ſimus: aut mundo viſibili qualitercunque fruituri, ante diem Reſurrectionis. Etenim, ſecundùm Philoſophiam noſtram, niſi uniatur Anima alicui Corpori, alicui portioni materiæ, ſeorſim & ſeparatim; cui vitaliter & modo peculiari adjungitur: nullum habere poteſt ſenſum aut perceptionem mundi externi, cujuſcunque Phænomeni corporei, cujuſcunque partis aut motús materiæ. Hoc forſan παράδοξον videbitur nonnullis, qui fieri poſſe credunt, atque uſu venire, ut Anima ſentiat omnia externa, & mundi corporei motus, etſi nulli corpori ſingulari uniatur, nec uni parti materiæ magis quàm alteri: Et, nuda licèt, pro loco aut regione in quà præſens eſt, circumſtantis mundi & vicinorum corporum perinde recipiat impreſſiones, ac ſi haberet ſuum ſibi corpus proprium. Sed quî poteſt hoc fieri, quæſo, niſi Animam fingamus impenetrabilem? Corpora enim non agunt niſi motu, contactu, & impulſu: & ubi

nulla

nulla eſt reſiſtentia, nulla poteſt eſſe preſſio aut impulſio. Præterea, motus corporum non producunt ſenſationes in nobis aut cogitationes ſuâ vi: (effectus enim eſſet nobilior ſuâ causâ) nec ſua vi poſſunt agere in naturam incorpoream: ſed id fit, Lege ab Authore naturæ conſtitutâ, inter has animas & hæc corpora ſingularia: virtute cujus legis ſympathiam inter ſe habent, in ſe invicem agunt, & reciprocè patiuntur: Id quod dicitur *uniri* aut *vitaliter conjungi.* Ut aliud ſit unio, aliud nuda præſentia *. Et niſi fingas Animas ſeparatas, ſive nudas, ſympathiam habere cum totâ machinâ mundanâ, ſive cum omnibus corporibus, ſenſationes vel impreſſiones ſenſibiles recipient à nullis.

DENIQUE, ut hæc claudam, voluptas & dolor, quæ ſunt ſenſationes primariæ, & maximi momenti, oriri non poſſunt in Animâ ſinè Corpore proprio, ei vitaliter unito; ſunt enim affectus qui adveniunt Animæ, propter bonum aut malum quod accidit Corpori, quatenus ſuo. Si baculo percuſſeris proximum parietem, video motum baculi, & audio ſonum ictûs aut plagæ: ſed me nihil dolet. Si verò eodem baculo & eâdem vi percuſſeris corpus *meum* (ſive por-

 tionem

* " Viderem utique clauſis oculis, ſi nuda præſen-
" tia aut vicinia objecti ſatìs eſſet ad excitandum ipſius
" ſenſum in animâ."

tionem illam materiæ, quam corpus ***meum*** appello) ſtatim me dolet: oritur nempe nova ſenſatio, à viſu, aut auditu, prorſus diverſa, quam dicimus *Dolorem.* Eodem modo, ſi gladio vel ſecuri brachium arboris amputaveris, me præſente, nullum dolorem ſentio: Si verò eodem gladio aut ſecuri mihi brachium abſcideris, pungor & excrucior ſupra modum. Ictu ſcilicet aciculæ in digitum proprium magìs afficior; quàm ictu fulminis Bombardici in aliud quodcunque Corpus. De voluptate corporeâ par eſt ratio. Hæc autem ſatìs teſtantur non à quolibet corpore, nec à quálibet præſentiâ Animæ, vel proximitate, oriri nobis ſenſationes: ſed præter præſentiam localem requiri ſtatum alium, ***unionis*** aut ***ſympathiæ***, ut materiæ motibus afficiamur. Sed de his ſatìs *.

HÆC

Iſa. lxiii. 16. Job. xiv. 20, 21.

* "Denique ut hæc finiam, mortui non cognoſcunt, ut mihi videtur, res viventium in hâc terrâ. "Neque ſuæ famiiæ tractant negotia, aut diſtrahuntur curis: Quieſcunt à ſuis laboribus. Neque facilè concipio vetulam, exempli gratiâ, qui neque legere neque ſcribere nôrit, aut unius literæ in alphabeto ducere lineas: multo minùs pingere accuratè, aut ſtatuas formare. Hanc, inquam, vetulam ſtatim exuto corpore formam ſuam repræſentare poſſe, omniáque ſui corporis lineamenta, aſpectum, ætatem, aniles rugas, exactiſſimè; nec tantùm formam corporis, ſed etiam veſtes, & apparatum externum: Idque tam exactè & abſolutè, ut neque Apelles ipſe, neque Phidias; nulla ars fingendi aut pingendi, artem hujus vetulæ adæquare unquam potuiſſet. Ad

"hæc

Hæc de Animabus Defunctorum pro luce nobis conceſsâ, ſive à naturâ rerum, ſive ab oraculis ſacris, aut quæſivimus, aut definivimus. Ex quibus conſtat, primò, Animas ſupereſſe extincto Corpore. Secundò, Bonas bene, Malas malè, ſe habituras. Tertiò, Nec illis ſummam fœlicitatem, nec his ſummam miſeriam, acceſſuram eſſe ante Diem Judicii. Denique, Probabilius eſſe, Animas fore in ſtatu ſeparato uſque ad Reſurrectionem, quàm ullo Corpore veſtiri. Hoc tamen inter *obſcura*, aut non explicitè revelata, numerandum cenſeo*. Hæc hactenus, pergamus jam ad cætera.

C A P.

" hæc obſtupeſcimus, ut à communi fide aliena: quandoquidem verò nobis ignotæ ſint vires & facultates Animæ ab hôc corpore ſolutæ & tenuiori amictæ, fatendum eſt hæc utcunque perſuaſoria ad vim demonſtrationis non prorſus accedere."

* " Nec minùs Chriſtiani eſt quàm Philoſophi in nonnullis ἀπέχεσθαι. Si quod ſit in hôc craſſo quod gerimus corpore interius vehiculum, quo veſtita avolat Anima in articulo mortis, mihi neutiquam diſplicebit: Sed philoſophandum eſt ſecundùm allegata & probata."

CAP. VI.

Tranſitio ad reliquas partes hujus Tractatus: primo, de Adventu Chriſti, & de conflagratione Mundi.

INTER ſilentes Mortuos hactenus verſati ſumus: Nunc redeundum eſt in magni Mundi Theatrum: ubi nova ſeſe aperit rerum facies, nova ſe oſtentant Phænomena. En, in nubibus advenientem Chriſtum: Flammantem Mundum: Reſurgentes Mortuos: & parata ad judicium Tribunalia. Illuſtres, ſi uſpiam, ſcenas & ſpectacula. Dein ſequentur & ſuccedent Novi Cœli, & Nova Terra: Chriſti Regnum Millenne: Denique omnium Finis, & rerum noſtrarum Conſummatio. Hæc ſunt maximi momenti & ponderis argumenta, Diſquiſitionis noſtræ graviſſima capita: quæ (ſuo ordine) pro modulo noſtro, & innato cuique, vel à ſacris literis affuſo, lumine, proſecuturi ſumus.

Ex his, quatuor prima, in idem tempus, ni fallor, coincidunt. Chriſtus venturus eſt ad judicium in flammis ignis: & eodem tempore reſurgent Mortui. Atque hæc quatuor capita, pro clariſſimè revelatis habeo; quoad res ipſas, aut rerum ſummam; ſed cùm

2 Theſſ. i. 7, 8, &c.

cùm de modis & circumſtantiis agitur, diſtinguendum erit non raro inter hypotheſin *vulgarem & rationalem*, literalem & arcanam. Denique, quæ penitùs abducuntur à notitiâ noſtra, qualia occurrent nonnulla, ea referenda ſunt ad *Oeconomiam ſecretam.*

Ad Mundi Conflagrationem quod attinet, & adventum Chriſti, ea pridem tractavimus integro Libro: qui eſt, Liber tertius *Theoriæ Telluris.* Propterea breviuſculè tantùm & ſummariè retractanda ſunt in hoc loco, ne actum agere videamur. Veniet Chriſtus ad judicandum & ad regnandum: ad judicandum omnes, ad regnandum cum ſuis Sanctis. Utrumque explicuit ſuis Diſcipulis, eóſque ſibi adſcivit, in utroque ſolio, aſſeſſores, *In Regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in throno gloriæ ſuæ: vos etiam ſedebitis in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Mat. xix. 28. Utrumque pariter, Regnum & Judicium, conjunxerat antea, de vitâ futurâ verba faciens, Chriſtus, *Futurum eſt enim, ut Filius hominis veniat, cum gloriâ Patris ſui, cum Angelis ſuis: Et tunc reddet unicuique ſecundùm facta ipſius.* xvi. 27, 28. Denique, in divino & ſolenni, quod fudit Chriſtus, paulò ante mortem, in Monte Olearum, Oraculo, meminit ſæpius ſui reditûs ad Terras, *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cælo: & tunc omnes tribus Terræ plangent, & videbunt Filium hominis* Mat. xxiv. 30.

hominis venientem in nubibus cœli, cum potentiâ & gloriâ multâ. Mittet verò Angelos ſuos cum Tubæ voce magnâ, & cogent Electos ejus à quatuor ventis, à cœlorum extremo ad extremum.

Mat. xxvi. 64. His, aliiſque locis, ex ore Chriſti edocemur de ſuo reditu & futuro adventu ad Terras. Id quod Angeli poſtea, & dein Apoſtoli iterum iterúmque prædicarunt. Scio interim ea dicta Chriſti de futuro ſuo adventu ita à nonnullis reſtringi & mutilari, ac ſi nil aliud ſignificarent quàm excidium Hieroſolymorum: licèt Chriſtus manſerit in cœlis, pereuntibus Hieroſolymis: nec apparuerit, aut advenerit, tunc temporis: niſi impropriè, quatenus opera & judicia Dei habentur proipſo Deo. Præterea, ſplendor externus, gloria Patris, & Angeli comites, in his deſcriptionibus, denotant adventum proprium & perſonalem nec quadrant ad figuratum. Denique, Judicium univerſale, & finis mundi, conjunguntur cum hoc adventu Chriſti, in locis præmiſſis. Apparatus judicialis manifeſtò deſcribitur dicto loco, *Mat.* xix. 28. Si conferatur cum *Rev.* xx. 4, 11, 12. Dein judicialis remuneratio cujuſque, aut punitio, ſecundùm ſua opera, *Mat.* xvi. 27, 28. Si conferas cum *Rom.* ii. 5, 6, *&c.* Et in ejuſdem Evangeliſtæ, *cap.* xxv. 31, 32, *&c.* tam apparatus, quàm ſententiæ judiciales, cum hoc adventu Chriſti connectuntur. *Quum autem venerit Filius*

lius hominis, cum gloriâ ſuâ, & omnes Sancti Angeli cum eo, tunc ſedebit in throno gloriæ ſuæ. Et cogentur coram eo omnes Gentes, & ſeparabit eos, alteros ab alteris, ut Paſtor ſeparat Oves ab Hœdis, &c.

QUEMADMODUM hæc loca perſpicuè deſignant judicium univerſale, ídque in adventu Chriſti: ita judicium illud deſignat finem mundi, & cum eodem cohæret. Audent aſſerere nonnulli, in viceſimo quarto capite *Matthæi*, aliiſque in locis parilibus, nihil dici de *fine Mundi*, aut extremâ conſummatione ſæculorum: ſed ea omnia, quanta quanta, unicè & ſolidè referenda eſſe ad Excidium Hieroſolymorum. Audax propoſitum, & malè fundatum, ut mihi videtur. Quid, quòd uno atque altero forſan in loco, reſpiciatur Excidium Hieroſolymitanum, cùm de aliquo Chriſti adventu ſermo habetur: Ideóne ubicunque fit mentio ſui adventûs in Evangeliis, glorioſi licèt in ſummo gradu, multiſque indiciis comitati, quæ, non Hieroſolymis, ſed Naturæ ipſi, mundoque, perituris, conveniunt: Hæc etiam loca, ad unius urbis populíque cladem reſtringere & detorquere audebimus? Temerarium hoc mihi videtur, ut nihil aliud dicam.

SED de hoc capite *Matthæi* nunc agitur: in quo dicti interpretes aiunt nihil reperiri, quod mundi finem reſpiciat, vel ultra cladem Hieroſolymitanam extendi debeat. Id quod

quod redargui poteſt, ni fallor, duplici modo; Primò, nonnulla memorantur in hoc capite, & prædicuntur, quæ non occurrunt in hiſtoria Excidii Hieroſolymitani. Secundò, Quæ alibi memorantur in ſacris literis, cùm ſupremus Chriſti adventus, in fine mundi, deſcribitur, congruunt & reſpondent dictis in hoc capite: ac proinde de eodem adventu utraque intelligi debent.

Ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ. Quoad primum dicitur. *ver.* 14. *Prædicabitur Evangelium regni in toto terrarum orbe: ut ſit teſtimonio omnibus Gentibus; & tunc veniet finis.* Hæc nondum ſunt peracta, multò minùs ante cladem Judaicam. Sed per *totum mundum* hìc intelligi volunt Judæam tantùm: & per *omnes Gentes*, varias tribus, vel nationes, Judæorum. Quod licèt duriuſculum ſit, huic tamen ſoli, modò nil aliud obſtaret, non immorarer. Secundò verò, Prodigia, ſive mira phænomena Cœli & Terræ, Chriſtíque venientis in nubibus, quæ perhibentur antecedere finem rerum hìc prædictum & deſignatum, non anteceſſere, nec comitati ſunt, excidium Hieroſolymæ. Hæc præſagia ita narrantur apud *Matthæum:* poſt afflictionem

Ver. 29. nem iſtorum dierum, *Sol obſcurabitur, nec dabit Luna ſplendorem ſuum: & ſtellæ cadent è cœlo, & poteſtates cœlorum concutientur. Tunc apparebit ſignum filii hominis in cœlo: & tunc omnes tribus Terræ plangent, & videbunt Filium hominis venientem*

nientem in nubibus cœli, cum potentiâ & gloriâ multâ. Sed everſis Hieroſolymis, nullibi comparuit Chriſtus in nubibus cœli: nec Sol, aut Luna ſplendorem ſuum perdiderunt: nec cœli concuſſi ſunt. Apparuit quidem Cometes, cujus cauda, ut ſolet, enſem vel gladium referebat. Cætera autem oſtenta, quæ narrat *Joſephus*, ſunt alterius generis. *De Bell. Jud. l. 7. c. 12.*

His præterea ſignis in cœlo, accedunt alia, ſecundùm hiſtoriam ſacram, in Terrâ: Terræ-motus nempe, & Maris ac fluctuum marinorum fremitus. Ita enim S. *Lucas*, *Cap. xxi. 25, 26.* *Erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & Stellis: & in Terrâ anxietas Gentium in conſilii inopiâ, reſonanti mari & ſalo.* Quid verò Hieroſolymis cum mari, aut fluctuum marinorum æſtu & fremitu? Ecquid iſtiuſmodi accidiſſe legitur ſub illud tempus? Nihil planè: Sed ad aliam & majorem Cataſtrophen, hæc & præfata propriè ſpectant, nempe ad excidium Mundi: Quapropter appoſitè meminit Chriſtus, in hâc explicatione, temporum *Noe*, & Diluvii: quod erat clades non Gentilis, ſed univerſalis.

Interea non me latet, Interpretes, de quibus hìc loquimur, in explicandis hiſce Phænomenis ad metaphoras & allegorias confugere: & loca prophetica allegare, in quibus figuratè uſurpantur hæ, vel ſimiles, locutiones. Eſto, quoad nonnullas: Sed haud æqua mihi videtur Lex interpretandi, ut quæ nonnunquam à Prophetis figuratè uſurpantur ea ſemper

ſemper & ubique in eodem ſenſu ſint intelligenda. Stylus Evangelii eſt caſtigatior, nec tam facilè diſſilit à ſenſu literali: à quo nunquam recedendum eſt ab Interprete, niſi eum coëgerit materiæ ſubjectæ neceſſitas. Atque alibi oſtendimus, hæc Phænomena, Cœli & Terræ, mira licèt & inſolita, literaliter eventura verſùs finem mundi, laborante Naturâ, & inſtante Conflagratione. Erat quidem Excidium Hieroſolymæ typus excidii Mundani: quo minùs miremur ea mixtim & quaſi confusè narrari. Eſt etiam, in ſtylo ſacro, inter typos & antitypa, quædam, ut ita dicam, idiomatum communicatio: ac apud Prophetas, ejuſdem vaticinii repetita completio, per gradus ad ſummum aſcendens.

Theor. Tell. l. 3.

Hactenus argumentum ſecundum, à ſignis externis. Sequitur Tertium, exinde deſumptum, quòd notetur in hoc vaticinio alia temporum periodus, præter illam de excidio Hieroſolymæ, eáque poſterior. Sic enim dicitur apud S. *Lucam*, *Hieroſolyma calcabitur à Gentibus*, *uſque quò impleantur præſtituta tempora Gentium*. Ecce periodum, aliam ab Hieroſolymitanâ, eâque poſteriorem: deſolatio enim Judaica dicitur duratura uſque ad hanc alteram periodum. Quæro igitur, quænam ſit hæc periodus poſterior, ſi non Mundana? vel inſtauratio Judæorum ſub mundi finem, poſt èxpleta tempora Gentibus evangelizandis & convertendis deſtinata? Hujus autem periodi

Cap. xxi. 24.

di poſterioris mentionem ſequuntur ſtatim Ver. 25,
ſigna illa in Cœlis & in Terrâ, ſignúmque 26, 27.
Chriſti venientis in nubibus: ac proinde ad illam propriè referenda videntur, non ad excidium Hieroſolymæ. Præterea, cùm Chriſtus dicit, *De illo die nemo ſcit; ne Angeli quidem cælorum:* diem aliquem intellexiſſe videtur remotiorem hoc excidio: quod, cùm non diſtaret per ſemiſæculum, ab iſtoc tempore, omnem Angelorum fugiſſe notitiam, minùs veriſimile eſt, quàm ſi multorum ſæculorum ordines interponas, & ſupremum diem mundi hìc intelligas.

Hæc de notis inſitis in ipſo textu. Si præterea comparemus hoc vaticinium cum aliis locis Sacræ Scripturæ, ubi ſupremus Chriſti adventus deſcribitur, & dies judicii: ex cognatione & ſimilitudine dictionum, idem utrobique tempus deſignari, & eundem rerum ſtatum, agnoſces. Utrobique venit Chriſtus in nubibus: utrobique comitantur Angeli: utrobique clangor Tubæ. Tu verò, qui partes contrarias tueris, Dic, quæſo, quibus in locis ſacram Scripturam concedas loqui de vero, perſonali, & ſupremo Chriſti adventu? Non negas, ſat ſcio, hunc expectatiſſimum, & deſideratiſſimum Chriſtianis adventum: &, ſecundùm ſententiam noſtram, de eodem loquitur Chriſtus multis in locis, multis itidem Apoſtoli. Exempli gratiâ, Chriſtus in Evangelio *Matthæi*, cap. 16. 27. Tu autem non

non concedis.* *Mat.* xxiv. Non concedis. *Mat.* xxvi. 64. Non concedis, *Mat.* xix. 28. & *cap.* xxv. 31, 32. Aut negas, aut hæſitas.

PRÆTEREA, Apoſtoli, ſecundùm mentem noſtram, de eodem loquuntur ſæpius: *ex. gr.* 2 ad *Theſſ.* i. 7, 8, *&c.* Tu autem renuis. Nec Angeli ſatellites, nec vindex ignis, nec ſempiterna improborum perditio, quæ memorantur hìc omnia, ſatìs apud te valent ad probandum extremum Chriſti adventum in fine mundi, hoc loco intelligendum eſſe. Dein, in Epiſt. 2 *Petri*, *cap.* iii. 4, 8, 9, 10, *&c.* Nos adventum Domini, Diem Judicii, hujúſque mundi diſſolutionem & renovationem, monſtrari & exhiberi credimus. Neque hìc aſſentiris: Denique *Judæ*, ver. 14, 15. & *Apocal.* cap. i. 7. Nos pariter de adventu Chriſti judiciali & viſibili interpretamur. Tergiverſaris hìc etiam: aliíſque in locis, quos nimium eſſet perſcribere.

ÆGRE patimur tot nobis eripi loca ſacra in quibus ſpem noſtram de futuro Chriſti adventu ſtabilitam duximus. Nec gratum faciunt illi, aut utile rei Chriſtianæ, qui Prophetiarum pondus minuere, ſenſúmque in anguſtum redigere, ſatagunt. Idque nonnunquam, ut videtur, per fas nefáſque: tam

* Vid. Dr. *Ham.* in hæc loca ſequentia: præcipuè in *Mat.* xxiv. 3. *not* b. 2. *Theſſ.* i. & in 2 *Pet.* iii. & *Lightf.* in *Mar.* cap. iv. p. 18.

tam literâ, quàm ſpiritu, reluctantibus. Ut cùm ſupremi Judicii apparatus manifeſtè deſcribitur, aut mundi conflagratio, aut Gloria Patris & ſatellitium Angelicum, aut denique Chriſtus ipſe, deſcendens de cœlo, & conſpicuus in nubibus: Qui, hæc illuſtria & apertiſſima, ad umbras & ſchemata reducunt: Hæc univerſalia & Mundana, ad unius urbis gentiſque exciſionem: Illi non tantùm venam divitem in ſterilem tenuémque convertere, ſed etiam, hujuſmodi interpretatione, verbis pariter ac rebus vim facere mihi videntur. Quid enim manifeſtius illâ conflagratione & fine mundi, in locis prænotatis S. *Pauli* & S. *Petri*, deſcriptis? quæ tamen, in neſcio quas allegorias, diſſolvunt. Sed id ægriùs ferendum, & ad argumentum noſtrum propiùs ſpectat, quòd Deſcenſum *Chriſti in nubibus cæli*, (*Mat.* xxiv. 30.) à literâ & veritate detorqueant:* nec aliud ibidem ſignificari velint, quàm Dei judicia & pœnas cœlitus immiſſas; cùm tamen iſtius dictionis vim addiſcere licuiſſet ex interpretatione Angeli, Act. i. 11.
qui verum & perſonalem eſſe docet hunc

 adventum

" * *Nubem vel nubes hic accipiendas eſſe literaliter,*
" *Vid. rem diſcuſſam* Gerard. Tom. ix. *de* Extrem.
" Jud. p. 67, 68. *Deſumitur hæc dictio ex* Dan. vii.
" 13. *ubi loquitur de ſecundo Chriſti adventu. Per*
" *nubes cœli intelligunt Judæi Angelos vel Satellitium*
" *Angelicum, inquit* Pearſ. on the Cr. p. 322. marg.

adventum in nubibus: Ait enim Angelus, Chriſtum eodem modo rediturum ad Terras, quo diſceſſerat à diſcipulis: nempe perſonaliter & per nubem aſpectabilem.

Operæpretium mihi viſum eſt, hæc breviter annotare: nequid teſtimonii, in re tanti, & tam celebri cauſá, excideret. Niſi Chriſtus è cœlo redeat, periimus: ſpes noſtra vana eſt, fides fruſtra, ut Apoſtolus ait de Reſurrectione. Sed innumera ſunt præterea in ſacris literis hujuſce glorioſi & exoptatiſſimi adventûs argumenta & teſtimonia, variiſque nominibus exprimitur. Plerumque dicitur παρουσία: quandoque ἀποκάλυψις: (1 *Cor.* i. 7. 2 *Theſſ.* i. 7. 1 *Pet.* i. 7, 13. & *cap.* iv. 13. *Luc.* xvii. 31.) nonnunquam ἐπιφάνεια: (2 *Theſſ* ii. 8. 1 *Tim.* vi. 14. 2 *Tim.* iv. 1 & 8. *Tit.* ii. 13.) Quandoque etiam φανέρωσις, *Col.* iii. 4. 1 *Pet.* v. 4. Atque dies ille ſolennis à Prophetá & Apoſto-
Act. ii. 20. lo appellatur ἡ ἡμέρα κυρίου ἡ μεγάλη καὶ ἐπιφανής: *dies ille magnus & illuſtris Domini.* In quo, inquit Deus, *Edam prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terrâ deorſum: ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, priuſquam veniat Dies ille Domini, magnus & illuſtris.* Hæc ſigna, hæc prodigia, nondum in ſcenam producta ſunt: ſupereſt illa pars Dramatis, actus ultimus: in quem ſolent repræſentationes & præclara ſpectacula reſervari. Nec dictis obſtat, quòd citetur

citetur hæc prophetia in effuſione Spiritûs Sancti in Apoſtolos, ac ſi tunc temporis ſuam completionem accepiſſet; accepit quidem aliquatenus, quoad partem priorem, de donis & inſpirationibus divinis: Sed manifeſtum eſt, partem poſteriorem, de quâ nunc loquimur: ſive has mutationes, hæc prodigia in naturâ externâ, non ſpectâſſe ad hanc effuſionem Spiritûs ſancti, nec aliud præter ventum vehementem, tempore hujus deſcensûs, contigiſſe.

SUPERSUNT cætera, multa & magna, in adventu Domini perficienda: In illo die *mirabili & terribili*, ut inquit Propheta. Impiis & irreligioſis nihil terribilius eſſe poteſt irati numinis aſpectu: Quo adventante, tremit Terra, facies cœli turbatur, & tota natura languet, quaſi moribunda: Sole in tenebras converſo, & Lunâ in ſanguinem. Tunc *exanimabuntur homines*, improbi ſcilicet, *præ metu & expectatione eorum quæ ſuperventura ſunt in orbem terrarum*, ut inquit Evangeliſta. Pii verò, *attollent capita*, *cùm viderint Filium hominis venientem in nube*, *cum potentiâ & gloriâ multa:* cujus viam illuminat & præfulgurat Angelorum exercitus, ſtellis cœli numeroſior & clarior. Luc. xxi. 26.

HACTENUS adventum Chriſti futurum ex ſacris literis probatum dedimus. Ipſius autem gloriam depingere, aut tempus definire, non eſt penes ingenium humanum.

Theor. Tell 3. c. 12. Quoad prius, leve aliquod ſpecimen obtulimus, loco præfato, ab aliis accurandum. Quoad poſterius, fatendum eſt, Primævos Chriſtianos, & Apoſtolos ipſos, quantum ex hiſtoriâ ſacrâ colligere licet, credidiſſe ſuis temporibus inſtare adventum Domini, vel non procul abeſſe. Sed de hâc re poſtea diſceptabitur, cùm de *Die Judicii* diſſerendum erit, ne ſimus nimii in hoc capite.

CUM adventu Chriſti conjungitur *Mundi Conflagratio*, ut nos docent Oracula ſacra. Id refert explicitè Apoſtolus *Paulus* ad 2 *Epiſt.* i. 7, 8. *Theſſalonicenſes: In revelatione Domini Jeſu de cœlo: cum Angelis ſuis potentibus, igne flammanti, infligentis ultionem*, &c. 2 *Epiſt.* iii. 10. Eodem modo Apoſtolus *Petrus* adventum Chriſti, vel Diem Domini cum mundi combuſtione & diſſolutione conjungit: *Veniet autem ſicut fur in nocte Dies ille Domini, in quo cœli cum ſtridore præteribunt: Elementa verò æſtuantia ſolventur: Terráque, & quæ in eâ ſunt opera, exurentur* Præterea, Dominum in igne venturum eſſe ad Judicium, loca non pauca, in utroque fœdere, teſtantur. Ita in eodem capite, *Petrus*, verſu ſeptimo, hæc habet. *Qui verò nunc ſunt Cœli & Terra, eodem ſermone reconditi aſſervantur igni, in diem damnationis & exitii impiorum hominum.* *Cap.* iii. 12, 13. Eò etiam reſpicit, ni fallor, Apoſtolus *Paulus*

lus, ad Corinthios primâ, *Cujuſque opus manifeſtum fiet, Dies enim declarabit: nam per ignem revelabitur. Et cujuſque opus, quale ſit, ignis probabit.* Huc ſpectat etiam locus ad Hebræos, *cap.* x. 27. *Manet horrenda quædam expectatio Judicii, & ignis fervor, qui devoraturus eſt adverſarios.*

NEQUE minùs apud Prophetas, cùm de adventu Domini, hoſtiùmque ipſius excidio agitur, exhibetur apparatus igneus vindicis & præſentis numinis. Id in Pſalmis *Davidis* iterum iterúmque innuitur: & apertè dicitur ab *Iſaiâ*, cap. lxvi. 15. *Ecce Jehova cum igne venturus eſt, & curribus ſuis ſimilibus turbini, ad reddendum cum excandeſcentiâ iram ſuam, & increpationem ſuam cum flammis ardentibus.* In eundem ſcopum collimat idem Propheta, *cap.* xxxiv. *ver.* 8, 9, 10. Præterea apud *Danielem* deſcribitur *Antiquus Dierum*, in ſuo tribunali, totus flammis co-opertus. *Solium erat ut ſcintillans Ignis, rotæ ut ignis ardens; à cujus conſpectu fluvius ignis manabat prodiens; cui millies mille miniſtrabant, & coram quo myrias myriadum ſtabant, & conſidente judicio libri ſunt aperti.* Denique, apud *Malachiam* Prophetam ſimilis naturæ facies exhibetur, in illo die advenientis Domini, *Ecce dies ille adveniet, ardens tanquam fornax: quo erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes*

Pſ. xi. 6. & l. 3. & lxviii. 2, 3. & lxxxiii. 15, 16, & xcvii. 3.

Cap. vii. 9, 10.

Cap. iv. 1.

iniquitatem, ſtipula, & inflammabit eos dies ille venturus.

Hactenus Authores ſacros adduximus teſtes futuræ Conflagrationis Mundi in adventu Chriſti. Atque hanc concluſionem inter manifeſta fidei Chriſtianæ dogmata recenſendam æſtimo: Si rem ipſam tantùm ſpectemus. Sunt autem præterea plures circumſtantiæ, modi & conditiones hujus conflagrationis, dignæ quidem ſtudio noſtro & contemplatione, ſed non perinde manifeſtæ, nec ſcitu perinde neceſſariæ. Qualia ſunt, Futuri Incendii tempus explorare & prædiſcere: ipſius limites & terminos deſignare: quouſque tendet ſurſum, aut deorſum: quouſque in Terræ viſcera, aut in Cœli regiones penetrabit. Porrò, Cauſas & ſemina univerſalis Incendii exquirere: quatenus nempe fundatur in rerum naturâ, in materià & formà Telluris. Denique, ipſius initia, progreſſum & finem, explicare: & in quam formam & faciem redigetur Tellus, finito incendio. Hæc, aliáque cognata, fuſiùs tractavimus, in dicto Libro: quem adire cupio Lectorem, qui plura deſiderat in hoc argumento.

CAP. VII.

De Judicio Supremo: ipſius apparatu, modo, fine & effectu.

IN adventu Domini reſurgunt Mortui, & ſe ſiſtunt in Judicio. Præcedit quidem, ordine naturæ, Reſurrectio: ſed ex iis quæ eodem tempore peraguntur, ea commodiùs tractantur primo loco, quæ citiùs expediri poſſunt. Inter ea autem omnia quæ ſpectant ad ſtatum futurum, graviſſima & operoſiſſima eſt doctrina Reſurrectionis: cui proinde locum ultimum, de quatuor prædictis, reſervamus.

In tractandâ hâc materiâ exponemus Judicii ſupremi apparatum externum, prout exhibetur & depingitur in ſacris literis. Dein res ipſa, & arcana veritas, ſecundùm hypotheſin rationalem, explicabitur. Denique finis & effectus hujus judicii in reos aut innocuos, damnatos aut abſolutos. Hæc ſummam parteſque utiles hujus argumenti complecti mihi videntur: reſectis multis ambagibus, & diſputatiunculis, quæ ſolent agitari in ſcholis ſinè fructu; quibuſque vis mentis, in ſuperfluis occupatæ, diſſipatur & diſperditur.

AD apparatum externum quod attinet, primò deſcribitur Judex, in tribunali ſedens, ſuo ſtipatus ſatellitio, apud Prophetam
Cap. vii. 9, 10. *Danielem*, his verbis, *Videbam donec poſita fuere ſolia, & Antiquus dierum ſedit: cujus veſtimentum, ut nix, erat album: & pili capitis, ut lana munda; ſolium, ut ſcintilla ignis: Rotæ, ut ignis ardens. A cujus conſpectu fluvius ignis manabat prodiens: cui milles mille miniſtrabant, & coram quo myrias myriadum ſtabant: donec judicio conſidente, libri aperti ſunt.*

IN Apocalypſi S. *Joannis*, Judex, Judicandi, & Judicia, unà repræſentantur.
Apoc. xx. 11, &c. *Vidi*, inquit Propheta, *Thronum magnum candidum, & quendam ei inſidentem, à cujus conſpectu fugit Terra & Cælum. Et vidi mortuos, parvos & magnos, ſtantes in conſpectu Dei: & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt liber vitæ. Judicatíque mortui ex iis quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum. Et reddidit mare mortuos ſuos: Mors quoque & infernus reddiderunt mortuos quos habebant: & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum. --- Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, conjectus eſt in ſtagnum ignis.* Hæc fuſiora ſunt dictis à *Daniele*, ſed cum iiſdem concinunt, ut ſolent Apocalyptica.

AUDIAMUS denique ſermonem Chriſti de proceſſu ultimi judicii: latâque in utramque

que partem, bonos & improbos, ſententiâ. *Quùm venerit Filius hominis cum gloriâ* Mat. xxv.
ſuâ, & omnes ſancti Angeli cum eo. Et 31, &c.
cogentur coram eo omnes Gentes, & ſeparabit eos, alteros ab alteris, ut paſtor ſeparat oves ab hœdis. Et ſtatuet oves quidem ad dextram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram. Tunc dicet Rex iis qui ad dextram ipſius erunt, Adeſte Benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento. --- Tunc dicet Ver. 41.
etiam iis qui ad ſiniſtram erunt, Execrati, abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Hæc Chriſtus dicto loco. Dein in nonnullis locis additur, Chriſtum Apoſtolos & Sanctos habiturum Mat. xix. 28.
aſſeſſores. 1 Cor. vi. 2, 3.

Si hæc loca Sacrarum Literarum, aliáque, conferamus, hujuſmodi erit extremi Apoc. xx. 4.
Judicii apparatus & repræſentatio. Erecto ſolio magno candenti, huic inſidet Chriſtus Judex: & adſeſſores habet ſanctos Apoſtolos. Stant autem à tergo & circumcirca, miniſtri & ſtipatores Angeli. Dein ſiſtuntur pro tribunali Mortui, pallentes, tremuli: clangore Tubæ convocati. Quibus ita diſpoſitis, juſſoque ſilentio, afferuntur Regiſtra, ſive Libri Memoriales: in quibus facta, dicta, cogitationes cujuſque, in vitâ anteactâ, annotantur. His apertis, lectíſque, uniuſcujuſque cauſa decernitur, ſecundùm opera ſua, ſive congruenter ad id

quod

quod fecerit in Corpore. Denique examinatis & expenſis omnibus, improbiſque ad ſiniſtram poſitis, ad dextram Bonis, profertur à Judice ſententia: dira quidem in improbos, *Abite à me maledicti in ignem æternum.* In bonos vero læta & beatifica: *Adeſte Benedicti Patris mei, poſſidete Regnum paratum vobis, à jacto mundi fundamento.*

In hac Ideâ futuri Judicii univerſalis, ſunt quædam proculdubio πατρικῶ dicta, vel repræſentata: ad formam & modum fori humani: quæ non ſunt eventura literaliter in Die Judicii. Hac in parte neminem, opinor, adverſantem habebimus. Ex alterà etiam parte manifeſtum eſt, è dictis nonnulla ſecundùm narrationem literalem impletum iri. Deſcendet de cœlo Chriſtus, perſonaliter & viſibiliter: comitante Turmà Angelica; & ad ipſius adventum ſuſcitabuntur mortui: examen aliquod vel probationem ſubituri, unde cujuſque ſors pendebit. Hæc autem peragunda eſſe ſub imperio & auſpiciis Chriſti, ſcriptura ſacra multoties teſtatur, *Mat.* xvi. 27. *Joh.* v. 22, 27. *Act.* xvii. 31. *Rom.* xiv. 9. 2 *Tim.* vi. 8. & aliis paſſim in locis.

Vides proinde in hâc repræſentatione ſupremi Judicii permiſtam eſſe hypotheſin vulgarem & Arcanam. Sapientis autem eſt diſtinguere, quid, quantumque, ad alterutram pertineat. Probatio Animarum, ut

ut puniantur vel remuneretur, pro ratione puritatis vel pravitatis in unaquàque, eſt ſumma rei, fundamentum & finis. Neque multùm refert, ſive fiat hæc probatio per modum judicii externi & proceſsûs forenſis, ſive aliter: modò ſit efficax, atque finem ſuum obtineat. E veteribus nonnulli hanc probationem per Ignem inſtitutum iri voluerunt, in conflagratione mundi: De quâ re ſtatim agemus; Utcunque conſtat, ſtylum ſacrum, in adornando hoc proceſſu judiciali, accommodari ad inſtituta & conſuetudines humanas: Neque repertum iri Libros in aëre, nec recitandam cuique anteactæ vitæ hiſtoriam. Teſte conſcientiâ, animique ſtatu, in quo hæret, indice, quemque ſuum mereri fatum ſatìs conſtabit.

Sed hæc diximus accommodari, magnâ ex parte, ad mores & conſtitutiones humanas: & ſpeciatim ad dogmata & fidem Ethnicorum: qui Judices pariter apud inferos conſtituebant, Juſtitiæ cuſtodes, atque actionum humanarum vindices aut remuneratores. Eorum nota ſunt & nomina, & officia, & varia pœnarum genera, quas improbis infligunt, ex Græcis Authoribus: *Plato* præ cæteris hanc materiam copiosè expoſuit, pluribus in locis: In *Phædone*, in *Gorgiâ* ſub finem, & in decimo de *Republicâ*, ex relatione Heri Armenii, ab Inferis reducis. Hæc autem, & alia, quæ ad inferos & mortuorum ſtatum pertinent,

ab

ab Ægyptiis mutuati ſunt Græci: Secundùm * *Diodorum Siculum.* Quod primùm ab *Orpheo* factum ait, quem ſecuti ſunt poſtea veteres Poëtæ & Theologi Græci.

Sed hæc obiter: notatu dignius eſt, apud veteres ſtatuiſſe aliquos nullum fore miniſterium perſonale, aut apparatum artificioſum, in diſtribuendis ſortibus Animarum: Sed à divina providentia ita compoſitam eſſe rerum naturam, ut eſſet ſua ſponte, ejus quod æquum eſt, cuique Animæ, corpore mortali ſolutæ, diſtributrix. Quam vim, Dei aut Naturæ, ideo dixere *Nemeſin*: atque etiam *Adraſtiam*: ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν· quod *hanc cauſam à naturâ conſtitutam nemo valeat effugere*: ut inquit Author Libri *de Mundo*. Eodem modo ab Ammiano Marcellino dicitur *Adraſtia vel Nemeſis, ultrix facinorum impiorum, bonorúmque præmiatrix: Quam*, inquit, *Theologi veteres fingentes Juſtitiæ filiam, ex abditâ quâdam æternitate tradunt omnia deſpectare terrena. Hæc, ut regina cauſarum, & arbitra rerum, hæc diſceptatrix, urnam ſortium temperat, accidentium vices alternans.*

Lib. 14. ſub fin.

Sed

* Τὰς καὶ τῶν ἀσεβῶν ἐν ᾅδου τιμωρίας καὶ τοὺς τῶν εὐσεβῶν λειμῶνας, καὶ τὰς παρὰ τοῖς πολλοῖς εἰδωλοποιΐας ἀναπεπλασμένας παρεισάγειν μιμησάμενον τὰ περὶ τὰς ταφὰς τὰς κατ' Αἴγυπτον, &c. Hæc & alia ejuſdem tituli, de *Orpheo* & *Ægyptiis* refert *Diodorus*, l. 1. m. fol. 86.

SED hanc vim in rerum naturâ inſitam, quâ, facto diſcrimine, jus tribuitur cuique in ſtatu futuro, non ſatìs explicuerunt veteres Philoſophi aut Theologi; ut conſtare poſſit quibus modis & cauſis efficiatur, ſinè proceſſu judiciali. Patrum Chriſtianorum nonnulli, ut ſuprà notavimus, hanc probationem & criſin, per ignem factum iri crediderunt, in mundi conflagratione: Quâ involutas eſſe volunt omnes animas humanas, hujus Telluris pridem incolas: & pro ratione ſuæ puritatis vel impuritatis, plùs aut minùs, aut nihil omnino indè damni, ſubituras. Fundatur autem hæc ſententia in ſermone Apoſtolico ad *Corinth.* cap. iii. ver. 13. his verbis, *Cujuſque opus manifeſtum fiet: Illa dies enim id declarabit, nam per ignem revelabitur: & cujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Origenes contra Celſum ait ignem extremum à Græcis Philoſophis habitum, πῦρ καθάρσιον τῷ κόσμῳ, *Ignem Luſtralem Mundi.* Dein ſubdit, L. 5. in
εἰκὸς δ' ὅτι καὶ ἑκάστῳ τῶν δεομένων τῆς διὰ τοῦ πυρὸς p. 240,
δίκης ἅμα καὶ ἰατρείας καίοντος μὲν, καὶ οὐ κατακαίοντος 241.
τοὺς μὴ ἔχοντας ὕλην δεομένην ἀναλοῦσθαι ὑπ' ἐκείνου τοῦ πυρὸς· καίοντος δὲ, καὶ κατακαίοντος τοὺς ἐν τῇ διὰ τῶν πράξεων, καὶ λόγων, καὶ νοημάτων, τροπικῶς λεγομένῃ οἰκοδομῇ, ξύλα, χόρτον, ἢ καλάμην οἰκοδομήσαντας. Hunc ignem non tantùm mundi naturalis luſtralem eſſe ait, *ſed etiam, ut veriſimile eſt, ſingulorum hominum: quotquot opus habent ignis hujus vel pœnâ vel remedio; urentis & non exurentis eos, qui non habent*

bent materiam, cui ab illo igne conſumi opus ſit: urentis item, & exurentis eos, qui in actionum, ſermonum, cogitationúmque figuratè dicto ædificio, lignum, fœnum,
P. 242. *& ſtipulam, ædificârunt.* Et in ſequentibus addit, ὁ λόγος οὖν μόνους μὲν ἀγεύστους τοῦ πυρὸς καὶ τῶν κολάσεών φησι διαμένειν, τοὺς τὰ δόγματα, καὶ τὰ ἤθη, καὶ τὸ ἡγεμονικὸν ἄκρως κεκαθαρμένους. Τοὺς δὲ μὴ πιούτους, κατὰ τὴν ἀξίαν χρῄζοντας τῆς διὰ πυρὸς κολάσεως οἰκονομίας, ἐν τούτοις ἐπί τινι τέλει φησὶν ἔσεσθαι, ὃ τῷ θεῷ ἁρμόζει ἐπάγειν τοῖς κατ' εἰκόνα αὐτοῦ πεποιημένοις, καὶ παρὰ τὸ βούλημα τῆς κατ' εἰκόνα φύσεως βεβιωκόσι. *Hæc itaque doctrina ſolos ab incendio, & ab hâc pœnâ, intactos fore pollicetur, qui puri ſunt & purgati, quoad dogmata, mores & effectus, principémque animæ partem. Aliis autem horum diſſimilibus, qui pro meritis opus habent hâc œconomiâ igneâ & pœnali, ad certum tempus inferendum eſt, quod in eos Deo convenit inferre, qui ad imaginem divinæ naturæ facti, contemptâ Dei voluntate, non ſtuduerunt ut vita reſponderet eidem imagini.* Hanc autem ſententiam de probatione Animarum per ignem noviſſimum, quum non poſſit demonſtrari lumine naturæ, in ſacris literis fundatam prædicant ipſius vindices: idque potiſſimum, ut diximus, in præfato ſermone *Pauli* ad Corinthios: quem ideo paucis examinandum proponemus.

Multæ quidem agitantur quæſtiones circa illum locum Apoſtoli. Sed ad rem noſtram quod attinet, tota controverſia pendet à dua-

à duabus vocibus, earúmque interpretatione: Quid nempe intelligat Apoſtolus per *Diem*, vel *Diem illum:* & quid per *Ignem*. Nonnulli Ignem hic intelligunt metaphoricum: tribulationem & afflictionem: nos autem verum & naturalem ignem, in conflagratione mundi futurum. Et per *Diem* itidem illi intelligunt *Diem* tentationis: Nos, *Diem Judicii*, *Diem Domini*. Atque ut hæc eſt communis explicatio, & ſimpliciſſima, ita multis modis confirmari poteſt; Primo, ex locis paribus, ubi eadem vox, *Dies*, occurrit, atque illam vim habet, & ſignificationem, quam ei dedimus, ut 1 *Theſſ.* v. 4. ἵνα ἡ ἡμέρα ὑμᾶς, ὡς κλέπτης καταλάβῃ. Hic *Dies Domini* intelligitur, ut ex verſu ſecundo patet: Quis autem ſit ille Dies Domini, qui venit ut fur in nocte, explicat S. *Petrus*, cùm illum eſſe docet, in quo flagraturus eſt mundus, *Veniet autem ſicut fur in nocte Dies ille Domini: in quo cœli cum ſtridore prætereibunt*. 2 *Epiſt.* iii. 10. Eodem modo uſurpatur ἡμέρα ab Apoſtolo ad Hebræos: cùm dicit *cap.* x. 25. τοσούτῳ μᾶλλον ὅσῳ βλέπετε ἐγγίζουσαν τὴν ἡμέραν· ubi ἡ ἡμέρα notat planè diem Domini, diem Judicii & conflagrationis, ut patet ex verſu 27. Præterea ἡ ἡμέρα, καθ' ἐξοχὴν, idem eſt ac ἡ ἡμέρα ἐκείνη. notum autem eſt dictionem illam in ſacris literis Diem Domini, vel Diem Judicii indicare. 2 Theſſ. i. 10. 2 Tim. i. 12, & 18. *cap.* iv. 8.

SE-

SECUNDO, hic *dies* ab Apoſtolo propoſitus primùm indefinitè definitur & determinatur per verba proximè ſequentia: eſt Dies qui *revelatur in igne*: ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται· Dies igneus in revelatione Domini: ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ κυρίου --- ἐν πυρὶ φλογός· ut dicit po-
2 Ep. i. 7. ſtea idem Apoſtolus ad Theſſalonicenſes. Nec dubitari poteſt hæc duo loca eandem rem, idémque tempus reſpicere: ſive ἀποκαλύπτεται referatur ad Diem, ſive ad Dominum, ſive ad opus ipſum. Adventus quidem Domini dici ſolet in ſacris literis ἀποκάλυψις, & ſignari per *Ignem*: ut notiſſimum eſt: adeóque ex utraque parte huic loco reſpondet. Præterea, altera nota vel character hujuſce diei, quòd ſit ἡμέρα δηλωτικὴ, *Dies declarativa*, deſignat non minùs Diem Domini, vel Diem Judicii: ſecundùm illud quod
1 Cor. iv. 5. ſequitur in proximo capite, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ κύριος· ὃς καὶ φωτίσει, &c. *Donec veniat Dominus; qui & illuſtraturus eſt res tenebris occultatas, & manifeſta faciet conſilia cordium: ac tunc erit laus unicuique à Deo.* Idémque dictum eſt ad *Rom.* ii. 16.

DENIQUE his rationibus adde, ſi libet, interpretationes Patrum, aliorúmque. *Theodoretus* in locum, cùm diverſam illam materiam, aurum, argentum, lignum, fœnum, ſtipulam, explicuiſſet, ſubjungit, τὴν δὲ τῶν ὑλῶν διαφορὰν οὐχ ὁ παρὼν βίος, ἀλλ᾽ ὁ μέλλων, ἐλέγξει· τοῦτο γὰρ εἶπεν [ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει] ἀντὶ τοῦ, ἡ τῆς κρίσεως. *Materiarum autem differentiam, non vita præſens, ſed futura patefaciet. Hoc enim dixit*

dixit [Dies enim revelabit] *pro eo, dies judicii* revelabit. Dein ſubjicit ad verſum ſequentem, κατὰ τὴν τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμέραν βάσανός ἐστι, καὶ ἐξέτασις ἀκριβής· καὶ τοὺς μὲν εὐσεβειωκότας, καθάπερ χρυσὸν καὶ ἄργυρον, τὸ πῦρ λαμπροτέρους ἀποφανεῖ· τοὺς δὲ τῆς κακίας ἐργάτας, δίκην ξύλων, καὶ χόρτου, καὶ καλάμης, καταναλώσει. *In die illuſtris apparitionis Domini, examen fiet & diligens inquiſitio: & eos quidem qui rectè vixerint, tanquam aurum aut argentum reddet Ignis ſplendidiores. Eos autem, qui iniquitatem fecerint, inſtar ligni, & fœni, & ſtipulæ, comburet.* Nec aliter *Theophylactus* in locum: ἡμέραν μὲν τὴν τῆς κρίσεως φησιν· ἐν πυρὶ δὲ λέγει τὰ ἔργα ἀποκαλύπτεσθαι, τουτέστι, φανερὰ γίνεσθαι ὁποῖα τὴν φύσιν ἐστίν· ἆρα χρυσὸς, ἆρα τοὐναντίον. *Per diem, Judicii diem intelligit. In igne verò opera revelari dicit*, id eſt, *manifeſtum fieri cujuſnam ſint naturæ: utrum aurum ſint, an diverſum.* Eodem modo *Diem* hîc explicant *Baſilius*, *Nazianzenus* & *Nyſſenus*, *Hieronymus*, & generatim omnes Patres: maximè Græci. Denique *Latina verſio*, Patres ſecuta, vel aliquod vetus exemplar, vocem *Domini* hic expreſſam habet.

HÆC de voce ἡμέρα: altera vox unde pendet hujus loci explicatio eſt πῦρ, ſive *Ignis*. Sed modò conſtet & conveniat de ſignificatione prioris vocis, ἡ ἡμέρα· eam nempe, in hoc loco, denotare *Diem Domini*, vel *Diem Judicii*: de alterâ voce *Ignis*,

 parum

parum erit dubii. Talis enim ſit oportet, qualis ad Diem adventúmque Domini pertinet; verus ſcilicet & materialis. Et qui hìc intelligi volunt Ignem metaphoricum vel figuratum, peccant in regulam receptam ab interpretibus ſacrarum literarum, *Non recedendam* à literâ ſinè neceſſitate. Non deerit certè ignis veri copia in adventu Domini, cùm flagrant Cœli & Terra: neque præter hunc ignem opus eſt ut fingant alium metaphoricum: ſuámque metaphoram ter faſtidioſè repetant in eodem ſermone.

HACTENUS oſtendimus Diem, adventúmque Domini: atque ignem genuinum & realem, ab Apoſtolo hìc deſignari; ſed manet præcipua difficultas, de vi hujus Ignis: qui poterit *probare vel manifeſtum reddere cujuſque opus*: ut ſit revera πῦς δοκιμαστικὸν καὶ διακριτικὸν, *Ignis exploratorius & diſcriminativus*. Opera & actiones quæ tranſiére, nequeunt revocari ad examen per Ignem: id fatendum eſt; ſed habitus & diſpoſitiones animi, unde profluxerunt illæ actiones, manent: Animæque, quibus inhærent, prout ſunt puræ vel impuræ, plùs aut minùs ab hoc Igne afficientur. At, inquies, Ignis non poteſt agere in nudas Animas, aut naturas purè ſpirituales: veſtiantur oportet aliquo corpore, ut vim & actionem Ignis ſentiant. Huic nodo non ſumus ſolvendo, plenè & perſpicuè: ſed cùm eadem

ſit

ſit difficultas de Igne Inferni, ab omnibus conceſſo, non debet nos morari, aut multum negotii faceſſere communis ſcrupulus. Modò de re conſtiterit, utrumque pariter, quoad modum, ad *œconomiam ſecretam* referendum erit. Interea quo magis huic ſententiæ * lucem afferamus, rémque ipſam, quoad ejus fieri poteſt, demus probatam, libet conſulere alia quædam ſacræ ſcripturæ loca, quæ eandem præ ſe ferre, aut involvere videantur notionem. Dein Patrum nonnullorum placita & explicationes eâ de re ſubjungemus.

Quoad Scripturam, ad hunc cenſum referri poſſunt dictum Chriſti, de hoſtiâ ig- Mar. ix.
niariâ, atque alterum *Johannis Baptiſtæ.* 49. Mat. xxxi.
De duplici baptiſmo, aqueo & igneo. Ver- 11.
ba Chriſti hæc ſunt, † πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται· καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. *Omnis enim homo ſalietur Igni:* ſicut & *omnis oblatio ſale ſalietur.* Ita enìm cum aliis ſentio, transferendum vel intelligendum eſſe: ut καὶ ſit comparativum, ut ſæpe aliàs, *Mat.* vi. 10. *Joh.* vi. 57. Hìc de futurâ ſorte ho-

K 2 minum

" * Joh. Erigen. de Prædeſt. c. 19. ait, *Corpora*
" *Sanctorum mutatum iri in qualitatem æthercam, quæ*
" *ab igne ſuperari non poteſt. Impiorum autem in aëriam,*
" *quæ à ſuperiori igne pati aut conſumi poteſt.* Citat Al-
" lix. de Sang. Chriſti, p. 68."

† Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, τουτέστι, δοκιμασθήσεται· ὅπερ καὶ ὁ Παῦλος λέγει, ὅτι ἐν πυρὶ δοκιμασθήσεται πάντα. Theophil. *in locum.*

minum loquitur Chriſtus, quemadmodum ex contextu patet: & de eorundem aliquali probatione vel purificatione. Cùm verò dicit πᾶς πυρὶ ἁλισθήσεται, Ignem & Salem conjungere videtur, quorum utrumque vim habet abſtergendi. Sal arcet putredinem in corporibus mollibus & humidis: Ignis autem emollit, fundit, purificátque duriſſima. Metallorum ſitum & rubiginem, ſcoriam & fæces, expurgat: excoctiſque vitiis, quaſi nova & puriora reſtituit. Ita creditur à nonnullis, Animas, quæ, ſub hâc ſpecie & figurà, metallis comparantur ab Apoſtolo, quaſi refundi & refingi in ſupremo igni. Aut quemlibet hominem, Deo acceptum, quâdam doloris acrimoniâ, tanquam ſale condiendum eſſe: Improbos autem igne purgandos, aut inſtar holocauſti conſumendos. Veriſimile eſt quidem ex antecedentibus ad Ignem futurum hic reſpici: ſed obſcurior eſt hic ſermo Chriſti, quàm cui poſſit ſuperſtrui ſingularis aliqua doctrina aut concluſio.

TRANSEO ad dictum *Johannis Baptiſtæ*, qui duplicem baptiſmum memorat, Aquæ & Ignis: quemadmodum veteres dixère purgandum eſſe mundum duplici modo: Aquà & Igni. *Ego quidem*, inquit Baptiſta,
Mat. iii. 11. *baptizo vos aquâ ad reſipiſcentiam.* ------ *Ipſe verò qui ponè me venit, vos baptizabit Spiritu Sancto & Igne.* In hoc dicto reſpici

reſpici non tantùm ad tempora Evangelii, ſed etiam ad ſecundum Chriſti adventum, ignémque extremum, id quod ſequitur argumento eſſe poteſt: ſequitur enim, *Cujus ventilabrum in manu —— triticum coget in horreum, paleam autem exuret igni inextincto.*

Baptismus dicitur λοῦτρον τῆς παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως: Et Renovatio mundi per ignem dici ſolet apud Græcos παλιγγενεσία & ἀνακαίνωσις. Eſt quidem λοῦτρον duplex, θερμὸν & ψυχρόν: Balneum frigidum eſt baptiſmus aqueus: calidum & ſiccum, igneus. Hoc autem illo eſt efficacius & penetrabilius. Qui aquæ luſtrali illam vim concedunt, ut, cooperante Spiritu Sancto, indè regenerentur infantes: Eodem operante Spiritu, non minorem vim flammis adfuturam, negare vix poterunt. Deſcendit Spiritus Sanctus in lingulis igneis: qui etiam dicitur Baptiſmus, ac ſi typus eſſet futuri baptiſmatis ignei. Diluvium aquæ erat quidam baptiſmus mundi: Diluvium Ignis erit multo magìs: purgabit acriùs, ſordéſque eluet efficaciùs. Et quemadmodum cohibere poteſt Deus vim flammarum, ut corpora non afficiant; ut in fornace Babylonicâ: ita eandem poteſt intendere & corroborare ut animas tangant; vel potiùs nova illa corpora, quibus tunc temporis conjungentur.

Tit. iii. 5.

Act. ii. 3.
c. i. 5.

1 Pet. iii. 21.

 Hæc

Hæc attulimus ex * ſacris literis ad præfatam ſententiam, ſive probandam, ſive illuſtrandam. Eidem, ut diximus, conſentiunt & aſtipulantur ex antiquis Patribus non pauci: quos jam opportunum erit attexere. *Origenis* teſtimonium antea adduximus, ex quinto libro contra Celſum: cui loco alter geminus eſt in quarto, his verbis, οὐκ ἀρνούμεθα τὸ καθάρσιον πῦρ, καὶ τὴν τοῦ κόσμου φθορὰν, ἐπὶ καθαιρέσει τῆς κακίας καὶ ἀνακαινώσει τοῦ παντός· λέγοντες ἀπὸ τῶν προφητῶν ἐκ τῶν ἱερῶν βιβλίων μεμαθηκέναι. Quod ita reddidit interpres, *Non negamus luſtratorium Ignem abſumpturum, unà cum ipſo mundo, univerſam malitiam: quandoquidem è ſacris Prophetarum libris hoc didicimus.* Eandem doctrinam fuſiùs explicat, hìc illìc, in ſuis commentariis. *Homiliâ tertiâ in Pſalmum* xxxvi. cùm dixiſſet omnes omnino, Apoſtolis ipſis non exceptis, hoc examen igneum ſubituros, Oceanum ignis in mundi conflagratione futurum comparat mari rubro: Malos autem & bonos Ægyptiis & Iſraelitis: Atque hos, illud mare rubrum, vel ſtagnum ignis, tranſituros eſſe ait illæſos & impunes: alteros autem demerſum iri. *Homiliâ ſexta in Exodum, idem docet explicitè:* atque hunc ignem

" * Dictum illud Chriſti Mat. xii. 32. de Blaſphe-
" miâ in S. S. irremiſſibili in hodierno ſæculo aut in
" futuro, variè explicant interpretes: Qui literaliter
" accipiunt, non aliam remiſſionem intelligere poſſunt
" quàm quæ peragitur πυρὶ καθαρσίῳ in fine mundi."

ignem expurgatorium Domini *Conflatorium* appellat, *ad quod*, inquit, *veniendum eſt omnibus.* Pariter in *Homilia* 13. *in Jeremiam*, repetitâ eâdem doctrinâ, hunc ignem ſupremum, alio nomine à ſacris literis itidem deſumpto, *baptiſmum ignis*, & *Lavacrum ignis*, nuncupat. Denique ut reliqua prætercam, in fine libri octavi * commentariorum in epiſtolam ad Romanos, hæc habet: *Qui verò verbi Dei, & doctrinæ Evangelicæ purificationes ſpreverit, triſtibus & pœnalibus purificationibus ſemet ipſum reſervat.* ------ *Hæc verò ipſa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus quantíſve ſæculis de peccatoribus exigat cruciatus, ſolus ſcire poteſt ille, cui Pater omne judicium tradidit.*

NEQUE fingere licet, ut nonnulli fingunt, hanc ſententiam de probatione & purgatione igneâ fuiſſe propriam *Origenis:* erat enim omnium ferè Patrum communis, uſque ad tempora *Auguſtini.* *Lactantius* imprimis hoc idem docet apertè, tam de juſtis, quàm injuſtis. *Juſtos*, inquit, *cùm judicaverit Deus, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata, vel pondere vel numero, prævaluerint, perſtringentur igni, atque amburentur. Quos autem plena juſtitia, & ma-* *Inſt. Div. l. 7. c. 21.*

---

* " *Locus* Orig. *eſt apud* S. Sen. *ſed vide locum ipſum, & ſi reticendum eſſe dicit ut myſterium.*"

maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. Habent enim aliquid in ſe Dei, quod vim flammæ repellat ac reſpuat. Hoc non minùs audacter affirmat *Hilarius*, Epiſcopus Pictavienſis: nec his flammis ipſam Beatam Virginem penitùs exemit. *Quomodo*, inquit, *deſiderabile poteſt eſſe judicium, in quo nobis eſt ille indefeſſus ignis obeundus: in quo ſubeunda ſunt gravia illa expiandæ à peccatis animæ ſupplicia. Beatæ Mariæ animam gladius pertranſivit, ut revelentur multorum cordium cogitationes. Si ergo in judicii ſeveritatem, capax illa Dei virgo, ventura eſt, deſiderare quis audebit à Deo judicari?* Et Canone 2. in iii. Matthæi, cùm illud explicat, *Baptizabit vos in Spiritu Sancto & igni: Baptizatis*, inquit, *in Spiritu Sancto, reliquum eſt, ut conſummentur in igne judicii.*

Pſal. cxviii.

Ps. xxxvi.

Sanctus Ambroſius iiſdem inſiſtens veſtigiis, & authoritate ſacræ Scripturæ, ut ſibi videtur, ſuffultus, de futuro judicio & examine, in die Domini eodem modo diſſerit; *Igne nos examinâſti, dicit David: ergo omnes igne examinabimur. Et Malachias dicit, Ecce venit Dominus omnipotens, & quis ſuſtinebit diem introitûs ejus? quoniam ipſe introibit, ſicut ignis conflatorii: & ſedebit conflans & purgans, ſicut aurum & argentum, & purgabit filios Levi. Igne ergo purgabuntur filii Levi,*

vi, igne Ezekiel, igne Daniel, &c. cum multis aliis eodem pertinentibus. Rurſum in expoſitione Pſalmi cxviii. *Omnes,* inquit, *oportet probari per ignem, quicunque ad Paradiſum redire deſiderant,* &c. atque illud ſubindicari dicit, per gladium igneum verſatilem, ad ingreſſum Paradiſi poſitum. Concludit denique, *Ergo, quia examinandi ſumus, ſic nos agamus, ut judicio mereamur probari divino. Teneamus hic poſiti humilitatem, ut cùm unuſquiſque veſtrûm venerit ad Judicium Dei, ad illos ignes quos tranſituri ſumus, dicat, Vide humilitatem meam & erue me,* &c.

Vide Eze. xxii. 18, 19, *&c.* *Et* Zach. xiii. 9.

BASILIUS Magnus ejuſdem erat ævi & ſententiæ, mentémque ſuam teſtatur ſuis in prima capita Iſaiæ Commentariis. Primò, in caput quartum, cùm Propheta loquitur de *ablutione Jeruſalem ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris.* Hic diſtinguit Baſilius Baptiſmum aquæ, ſpiritûs, & ignis: quorum ultimus eſt, ſecundùm illum, ἡ ἐν τῷ πυρὶ τῆς κρίσεως βάσανος, *Examen quod igni fiet in die judicii.* Subdítque, τὸ δὲ πνεύματι κρίσεως καὶ πνεύματι καύσεως πρὸς τὴν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι διὰ τοῦ πυρὸς δοκιμασίαν. Cum aliis in eundem ſenſum. Præterea, ad illud Prophetæ capite nono, *propter indignationem Domini,* &c. inquit, δείκνυσι ὅτι τὰ γήϊνα τῷ πυρὶ τῷ κολαστικῷ παραδίδοται, ἐπὶ εὐεργεσίᾳ τῆς ψυχῆς *Monſtrat igni punitivo tradenda eſſe terrena, in beneficium animæ.* Dein ſubdit,

Ver. 4.

Ver. 19.

non

non omnimodam internecionem & exterminium comminatur; Sed innuit expurgationem juxta Apoſtoli ſententiam, Si cujus opus exarſerit, damnum patietur: ipſe autem ſalvus fiet, ſic tamen quaſi per ignem. Vide etiam ſi libet, *de Spir. Sancto*, cap. 15 & 29. & pluribus in Iſaiam locis.*

"Ut in cap. "vi. p. 172. "& cap. xi. "p. 224, "*&c.*"

Hæc de Baſilio: cui adjungere licet ὁμοψήφους utrumque Gregorium, Nazianzenum & Nyſſenum. Apertior eſt Nyſſenus in hâc doctrinâ explicandâ: ad quem ideo liberandum ab hâc opinione, aliiſque cognatis, tanquam à tot labeculis interſperſis ſuis operibus, *Germanus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſermonem apologeticum conſcripſit: ut videre eſt apud Photium. Sed fruſtra. Conſule, cùm vacat, Nyſſeni tractatum de *Animâ* & *Reſurrectione*: & Catecheticæ Orationis, *cap.* 8, & 26, & 35. Hiſque lectis, quæ fuit mens Authoris in hâc materiâ, facilè perſpicies.†

Cod. 233.

Na-

---

* " Et in ſuo Heptaemero cùm de condendo ſole " differit, *p.* 61. in igne illo futuro vim lucendi " a vi urendi diviſum iri aſſerit, ut lucendi qualitas " juſtos afficiat, improbos autem vis uſtiva. Quod " *ab arcanâ quâdam doctrinâ nos doctos* eſſe ait: ὅθεν " κ̀ ἐν ταῖς, &c.

† " Quin & in *Oratione pro mortuis* hæc habet verba de purgandis animis, ἤτοι κατὰ τὴν παροῦσαν ζωὴν διὰ " προ-

NAZIANZENUS Platonem & Origenem mihi ſapere videtur in pluribus: & in hoc argumento perinde ac in aliis: ſed Oratores & concionatores quandoque loquuntur populariter, quandoque ex animo: id quod lectori cordato ſemper obſervandum eſt in legendis Patribus; & quo magis ab opinione vulgi recedit oratio, eo magìs authoris mentem indicat. Vide, ſi placet, ipſius Orationem 39 & 40. ubi de baptiſmo Ignis, ad expurgandam mentem, verba facit: & de ſuppliciis nunquam deſituris dubitat. Denique, in Orat. 26. in Princip. ubi loquitur de cenſoribus ipſius doctrinæ, ὁ θεὸς, inquit, οἶδε, φησὶν ὁ θεῖος Ἀπόστολος, καὶ δηλώσει σαφῶς ἡ τῆς ἀποκαλύψεως ἡμέρα, καὶ τὸ τελευταῖον πῦρ, ᾧ πάντα κρίνεται ἢ καθαίρεται τὰ ἡμέτερα. *Deus ſcit,* inquit Apoſtolus, *idque revelationis dies perſpicuè revelabit, Igniſque ille poſtremus, quo noſtra omnia expendentur vel purgabuntur.*

DENIQUE S. *Hieronymus* accuſatur, ut notum eſt, à *Rufino,* quòd dogmatis Origenianis

---

" προσευχῆς τὲ καὶ φιλοσοφίας ἐκκαθαρθεὶς, ἢ μετὰ τὴν ἐνθένδε
" μετανάστασιν διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας. *Velin præ-*
" *ſenti vitâ precibus & philoſophiâ purgatus, vel poſt*
" *obitum per expurgantis ignis fornacem.* Neque mi-
" ror Nyſſenum adhæſiſſe Baſilio, cujus ſcripta ſe-
" cundas ad illa divinitus inſpirata habere ſtatuit,
" nec ipſis Moſaicis minùs admiranda, Hexaëm, *p.*
" 2, & 5."

genianis clanculum adhæſerit: inter quæ eminet illud de terminandis damnatorum pœnis poſt expurgatam malitiam. Lites illas componere inter Hieronymum & Rufinum, non meà intereſt: ſed quoad argumentum noſtrum, in varias partes ſeſe flexiſſe videtur Hieronymus, aut mutatâ ſententiâ, aut diſſimulatà. Et repetendum animo quod ſuprà diximus, Magìs illa valere ad prodendam Authoris mentem, quæ contra vulgi ſenſum proferuntur, quàm quæ dicta ſunt populariter, vel ita intelligi poſſunt. Interea, ad rem noſtram quod attinet, de purgandis animabus in die judicii & finiendis tandem pœnis Chriſtianorum (præter ea quæ dixit ad *cap.* iv. Amos) mentem aperit diſtinctè in fine Commentariorum in *Iſaiam*, his verbis, *Et ſicut Diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus, credimus æterna tormenta; Sic peccatorum atque impiorum, & tamen Chriſtianorum, quorum opera IN IGNE PROBANDA SUNT, ATQUE PURGANDA, moderatam arbitramur, & miſtam clementiæ ſententiam Judicis.* Monet autem hoc dogma minime ſpargendum eſſe in vulgus, ne majorem ad licentiam eo abutantur. Cùm verò Dæmonas, Atheos, & Apoſtatas excipit, id firmat regulam in non exceptis: atque etiam hoc modo, & in hac

hâc parte, ſe diſcrepare ab Origene alibi oſtendit *. *L. 1. contr. Pelag. c. 9.*

HÆC notâſſe ſufficiat ex Patribus uſque ad Auguſtinum: quo tempore degenerare cœpit hæc doctrina de purgandis Animabus in ſupremo Igne & in die judicii. Degenerare, inquam, incepit in Purgatorium ſpurium & adulterinum: Ignémque fictitium, nullibi locorum reperiundum. Quem fingunt hi novatores ſtatim à morte animas excipere & excruciare: ante diem judicii, ante adventum Domini, ante conflagrationem mundi. Hoc utique nuncupare licet *Purgatorium Suppoſititium:* quandoquidem, loco genuini πυρὸς καθαρσίου, cujus meminere Scriptores Sacri & antiqui Patres, hi doctores ſubſtituerint alienum, ſuorum cerebrorum prolem. Ignis καθάρσιος in ſacris literis & à Patribus memoratus, accenditur in die Domini, in die Judicii, in conflagratione mundi; ut ex authoribus & locis ſuprà notatis, apertiſſimum eſt: Pontificii verò ſuum ignem Purgatorium flagrare volunt hodie, & à principio mundi flagrâſſe: ex quo nempe

* "His addit Suicerus (voc. Βαπτισμὸς, p. 630.) Nazianzenum & Damaſcenum. Conſule loca ab ipſo notata. His adde Cæſarium Arelatenſem, qui nonnulla peccata juſtorum poſt reſurrectionem igne ait expianda. Q. locum apud Authorem in BB. PP. notante *Cave*. Citatur etiam Chryſoſtomus in eandem ſententiam, ſed locus non mihi occurrit impræſentiarum.

pe Mors intravit in mundum, & animæ peccatrices è ſuis corporibus immundæ exierunt. Sed ubinam, quæſo, terrarum ardet hic Ignis? Trans Oceanum in altero hemiſpærio, vel nobiſcum? Quo inſtinctu eò confluunt Animæ: vel quo Lictore eò trahuntur invitæ? Nullus eſt iſtiuſmodi Ignis, immanis & perennis, in ſuperficie Terræ: ſuá enim ipſius luce ſeſe proderet. Et ſi latet in viſceribus Terræ reconditus, ſaltem aliquo ſpiraculo, ut in Montibus ignivomis, opus eſt: ne ſuo ſuffocatus pereat fumo & fuligine. In rebus quæ ſpectant ad mundum naturalem, aut aliquam ipſius partem, Theologi plerumque ſunt incurioſi aut imperiti: crudáſque proferunt ſententias, & à rerum naturâ alienas. Ecce Ignem, ingentem & formidabilem, quem ſtruunt hi Doctores; ſed neque originem nobis indicant tanti Ignis, neque fomitem quo alatur, neque locum idoneum quo ſubſiſtat & expiret. Hæc, inquiunt, non curat populus: rectè, ſed apud ſapientes habebitur Ignis phantaſticus cujus nulla reddi poteſt ratio. Et ſtultitiæ proximum eſt, ut lucrifacias inſipientes, ſapientes perdere. Id mali & vitii habet Religio Pontificia, quòd ſe nimiùm accommodat vulgo: Neque tantùm ignorantiæ vulgi, ſed etiam ipſius affectibus ſuperſtitioſis. Evehere potiùs debemus naturam humanam, quantùm licet: populúmque ad veritatem & ſanam

mentem

mentem propiùs adducere. Crevit hominum ſcientia à primis ſæculis, creſcitque indies: & quæcunque fuerit olim, nulla eſt hodie neceſſitas aut utilitas, piis utendi fraudibus. Quinimo magno id videtur eſſe nocumento pietati & fidei noſtræ: dum homines naſuti, qui dolo ſubolent, ab hâc aut illâ parte ſubornatâ, totam Religionem nil aliud eſſe, quàm Artem Lucroſam, præproperè judicant. Ab inventis humanis & additamentis primùm purganda eſt Religio Chriſtiana: Dein quæ dicta ſunt in ſacris literis more humano, & ad captum vulgi, ita ſunt explicanda, ut veritati ipſi non officiant, neque viris ſapientibus ſint offendiculo. Sed hæc obiter.

De modo Judicii ſupremi, pœnarum & diſcriminis faciendi inter bonos & malos, hæc dixiſſe aut quæſiviſſe ſufficiat. Nempe quantum erit apparatûs externi in illo rerum ordine, quantum vi divinâ aut naturali peragundum. Speciem veri præ ſe fert veterum Patrum hàc in re ſententia: & fundari videtur in ſacris literis: ſed cùm Revelatio in hâc parte non ſit plena & explicita: nec poſſit naturæ lumen hujus myſterii rationes attingere: Hunc articulum doctrinæ Chriſtianæ, quoad rem ipſam, inter clara: quoad modum rei, inter obſcura numerandum cenſeo.

Solet hìc præterea diſceptari de *Signis* antecedentibus Judicium generale, & de ipſius

ipſius *tempore* & termino; de quorum utriſque ſententiam noſtram protulimus in dicto Tractatu de *Conflagratione Mundi.* Id tantùm adjicere libet, Primorum ſæculorum Chriſtianos, in metiendis temporibus mundi malè ſubduxiſſe calculos: credebant enim communiter, inſtare diem Domini tunc temporis, ſive iſtâc ſuâ ætate; Elapſis tamen exinde, ſedecim, & quod excurrit, ſæculis, nondum illuxit beatus ille Dies; nec illius crepuſculum adhuc vidimus.

INCOEPIT hæc opinio de inſtanti rerum fine, a temporibus Apoſtolicis: unde dimanavit, per aliquot ſæcula, tam ad * Doctores, quàm ad populum. Sed deficiente primo calculo, quo indies expectabant adventum Domini, vel ſtatim ab everſis Hieſolymis: protrahebant uſque in ulteriora tempora, ſed nunquam in longinqua, ſuam ſpem

* *Tertull*, de cult. fœm. *l.* 2. *c.* 9. & ad uxor. *l.* 1. *c.* 5. *Lactan.* *l.* 7. *c.* 14, & 25. *Ambroſ.* Orat. in obitum *Satyri* fratr. & *l.* 9. in *Lucæ* xxi. *Chryſoſt. Hom.* xxxiii. in *Johan.* prope finem. *Hieron.* Epiſt. 11. ad Ageruchiam. & *l.* 4. in *Mat.* xxv. E veteribus plures credidere adventum Chriſti ſtatim ſecuturum eſſe adventum Antichriſti: cujus adventum jam tum inſtare credebant, adeóque adventum Domini & finem mundi. Vid. eundem *Tertull.* de Reſurr. carn. *c.* 27. *Cyprianum*, ipſius Diſcipulum, Epiſt. ad Tribaritanos, *m.* 56. Et Epiſt. 58. ad *Lucium* Pap. Et præfat. ad Fortunatum de Exhor. Martyrii, alióſque plures. Vid. 1 *Joh.* ii. 18. & 2 *Theſſ.* ii. 8.

ſpem & expectationem. In ipſis temporibus Apoſtolorum increbuiſſe hunc ſermonem, teſtantur tam S. *Pauli* quàm *Petri* Epiſtolæ. Ille ad *Theſſalonicenſes* ſecundâ, monet nè terreantur ac ſi inſtaret dies Domini. Oportet, inquit, ut priùs adveniat Antichriſtus: ſed, nec tempus, nec moram Antichriſti indicat: permanſurum autem indicat uſque ad adventum Chriſti. Dein Irriſores illi, apud S. *Petrum*, haud exprobrâſſent Chriſtianis tardum domini ſui adventum, quæritantes, *ubi eſt pollicitatio adventûs ejus?* niſi hujuſmodi promiſſum de ſubito Chriſti adventu crebriùs teſtati & profeſſi fuiſſent Chriſtiani. Neque id negat Apoſtolus in ſuo reſponſo aut Apologiâ, ſed hanc retardationem miſericordiæ & longanimitati Dei adſcribit.

Cap. ii. 2.

2 Eph. iii. 4.

SED quid miramur privatos aut inferioris ſubſellii Chriſtianos, à vero aberrâſſe in hâc parte, quum Apoſtolos ipſos in eâdem fuiſſe ſententiâ, ex eorum dictis colligant Interpretes. Neque id tantùm arguitur ex eo, quòd ætatem illam, & ſæculum tunc decurrens, *Tempora noviſſima*, *& fines mundi*, ſæpius appellitent Apoſtoli: (1 *Cor.* x. 11. *Heb.* ix. 26. 1 *Joh.* ii. 18.) ſed quòd appropinquatione & proximitate adventûs Domini uſi ſint inſtar calcaris aut acrioris argumenti, ad excitandum ſui temporis Chriſtianos, ad vigilantiam, ſobrietatem, moderationem in rerum mundanarum

uſu, patientiam, bona opera, charitatem & pietatem. (*Heb.* x. 24, 25. 1 *Pet.* iv. 7, 8. 1 *Cor.* vii. 29. 2 *Pet.* iii. 11, 12. *Philip.* iv. 5.) Denique, quòd crederent adventum Domini & Diem judicii, ſibi ipſis adhuc in vivis ſupervenire potuiſſe. Id ſæpius inculcat *Paulus*, 1 *Theſſ.* iv. 15, 16, 17. 1 *Cor.* xv. 52. Et corpus ſuum mortale abſorptum iri *à vitâ*, hoc eſt, à corpore immortali & vivifico, credit aut expetit: nec ſe inveniri *nudum*, aut exutum carne & corpore, in Die Domini.

Vid. *Grot. in loc.*

2 Cor. v. 3, 4.

Hæc de Apoſtolis eorúmque fide circa præmaturum Chriſti adventum. Sed unde acceperunt Apoſtoli hanc ſententiam? A verbis Chriſti, ut videtur, perperam intellectis. Quæſierunt à Chriſto Diſcipuli ipſius, tempus excidii Hieroſolymitani, & Adventús ſui. Et cùm ſigna & circumſtantias iſtius excidii iis enarraſſet Chriſtus, ſubdit, εὐθέως μετὰ τὴν θλίψιν, &c. *Statim poſt afflictionem dierum iſtarum, Sol obſcurabitur*, &c. *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cœlo: & tunc omnes Tribus Terræ plangent: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potentiâ & gloriâ multâ.* His auditis ab ore Chriſti, poſt excidium urbis & Templi, ſtatúſque Judaici, ſe ſtatim venturum, vel Filium hominis rediturum in nubibus, cum magnâ gloriâ: parum temporis interfuturum credebant, inter hanc cladem & reditum Chriſti;

Mat. xxiv. 3.

Mat. xxiv. 29, 30.

ean-

eandémque ſuis poſtea diſcipulis tranſmittebant fidem & notitiam. Præterea cùm alia Chriſti dicta recolerent, in eâdem confirmati hæſerunt ſententiâ. Dixerat enim antea, nonnullos, qui adſtabant, illum viſuros venientem in gloriâ Patris ad judicium, antequam mortem guſtârint. Et in præfato capite, cùm de ſuo adventu, ipſiúſque ſignis, verba fecerat, ſubjicit, *Amen dico vobis, nequaquam præterierit hæc generatio, uſque dum omnia iſta facta ſint. Cælum & Terra præteribunt, ſermones autem mei nunquam præteribunt.* Denique, cùm *Petrus* Chriſtum interrogâſſet de ſorte Johannis, quid de illo fieret? reſpondit, *Si velim eum manere donec veniam, quid ad Te?* Mar. xvi. 27, 28. Mat. xxiv. 34, 35. Joh. xxi. 20, 21.

HIS unà collatis, & ad Literam expoſitis, nil miror, Diſcipulos Chriſti opinionem illam imbibiſſe, de ſubito ipſius reditu ad Terras, ad judicandum vivos & mortuos. Nec miror quòd eos permiſerit providentia delabi in errores innocuos, quibus non tam læſa fuit, quàm promota pietas, &, pro causà Dei, moriendi patientia & promptitudo. Denique, non mirabimur, id Deum celâſſe Apoſtolos, quod celârat Angelos, & ipſum Filium hominis. Ait enim Chriſtus, *De die illâ & horâ nemo ſcit: ne Angeli quidem, qui in cælo ſunt, neque Filius, ſed Pater.* Vel, ut eſt a- Mar. xiii. 32.

pud Matthæum, (*Cap.* xxiv. 36.) *ſed Pater meus ſolus.**

Hæc ita enarravimus conformiter ad literam & hiſtoriam: quòd ſi materiæ ſubjectæ non conveniat interpretatio literalis, recedendum eſt à literâ, & quærenda commodior explicatio. Id ſaltem patere videtur, ignotum fuiſſe Apoſtolis tempus certum Judicii futuri, adventûs Domini, aut finis mundi. Neque id quidem ſolicitiùs quærendum eſſe, innuit reſponſum Chriſti, cùm interrogantibus Apoſtolis de reſtitutio-
Act. i. 7. ne Regni ad Iſraelem, ait, *Non eſt veſtrûm nôſſe tempora ſive opportunitates, quas Pater in ſuâ ipſius auctoritate ſtatuit.* Quòd ſi verò calculo rotundo uti liceat, & conjecturas inſerere, cùm jam effluxerint quinque millennia, & quod elabitur, à mundo condito: Vaticinium illud, receptum, tam inter † Judæos, quàm primos Chriſtianos, *de ſex Millenniis* pro duratione Mundi, & indè ſecuturo Sabbatiſmo, quo minùs effectum ſuum ſortiatur, nihil video, aut in ſacris literis, aut in rebus humanis. Sed de hâc re ſatìs alibi dictum
Theor. Tell. l. 3. c. 5. eſt. Id nobis curæ ſit interea, ut puri & inculpati

* "Vid. P P. *de hujus loci interpretatione in noſtrum ſenſum*, Gerard. Tom. 9. de extrem. Judic. "p. 126.

† "Vid. *Hiſtoriam hujus prophetiæ apud Gerard.* "Tom. 9. de extrem. Judic. p. 127."

inculpati reperiamur in illo Die: & examen, quodcunque fuerit, aut quandocunque, ſubeamus fœliciter: in Dei gloriam, & animarum noſtrarum ſalutem æternam. 2 Pet. iii. 14.

CAP. VIII.

De Reſurrectione mortuorum, & de Reſuſcitatorum ſtatu & corporibus.

HACTENUS progreſſis ſupereſt caput maximum & graviſſimum, de Reſurrectione mortuorum, & Reſuſcitatorum Statu. In quo tractando conſuetam ſequemur methodum, ut priùs expediamus rem ipſam: dein modos & adjuncta proſequamur. Idque pro lumine nobis dato, vel à ſacris Literis, vel ab ipsâ rerum naturâ.

QUOAD rem ipſam, nihil eâ clariùs revelatur in doctrinâ Chriſtianâ. Habuerunt etiam, tam Gentes, quàm Judæi, ideam aliquam Reſurrectionis futuræ: ſed generalem & confuſam: Illæ, totum Mundum renovatum iri, hominéſque unà renovandos & revicturos, ſtatuebant. Id apud Stoicos & Platonicos vulgatiſſimum eſt. Nec apud Græcos Philoſophos tantùm, ſed primariò apud Orientales: Ægyptios, Chaldæos, *Vid. Theor. Tell. l. 4. c. 5.*

dæos, Perſas; de *Magis* dicit Theopompus apud Laërtium, ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς Μάγους τοὺς
In Proœm. ἀνθρώπους. *Reviviſcere, vel revicturos eſſe homines ex Magorum Sententiâ.*

Ad Judæos quod attinet, nihil quidem eos docuit explicitè Moſes in ſuâ Lege, de Reſurrectione mortuorum aut immortalitate Animæ. Hæc autem Moſi innotuiſſe nihil dubito, ac etiam * ſapientibus à Moſe inſtructis, & arcanæ doctrinæ conſciis. Poſtea, apud Prophetas exhibita fuit reſurrectio συμβολικῶς: in Hagiographis apertiùs, & tandem apud Danielem apertiſſimè. Sed tamen non niſi *Diebus Meſſiæ* pleno jubare erat effulſura hæc doctrina ſalutaris, omnibus ſuis numeris & partibus expleta.

In hoc igitur triumphamus Chriſtiani, in hoc læto nuncio: Victâ morte & debellatis

* "Sed ad juſtos plerumque & ad Iſraelitas reſtringunt Reſurrectionem. Vid. *Buxt.* Syn. Jud. *c.* 1. *p.* 31. & *Gerard.* de Reſur. *tom.* 8. *p.* 869. antepen. & *Daſſovium.*

"Dein Reſurrectionem primam intelligere videntur ad vitam terreſtrem, & corpora ultra cœleſtia non agnoviſſe.

"Supponunt etiam ex eorum Rabbinis nonnulli ſe non tantùm in iiſdem corporibus, ſed etiam in iiſdem veſtibus, reſurrecturos eſſe; ídque tantùm in terrâ Canaan: atque eò revolutum iri per cavernas ſubterraneas Iſraelitarum, qui in extraneis regionibus mortui ſunt, corpora: vel ſaltem officulum Luz, unde, tanquam à ſemine, totum corpus repullulabit. Vid. *Daſſov.* de Reſur. mortuor. ſecundùm Judæos."

latis Inferis, nos tandem in lucem reduces, immortalitate beatâ fruituros; non hæc indutos cadavera quæ nunc circumgeſtamus, ſed corpora cœleſtia: nec in his terris verſantes, ſed in alto æthere, in ſedibus & conſortio Angelorum, æternùm fœlices. Erigite animos Chriſtiani, attollite capita: Et *has cùm habeamus promiſſiones, purificemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs: perficientes ſanctimoniam in timore Dei.* His breviter prænotatis, Quâ authoritate divinâ, Quibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis, nitatur hæc ſpes tanta Chriſtianorum, proximò & diligenter perſpiciendum. 1 Cor. vii. 1.

IMPRIMIS Chriſtus ipſe ſæpius aſſeruit, ſuiſque ſæpius pollicitus eſt, Reſurrectionem à mortuis: Idque ſe præſtiturum dixit, utpote Dominum vitæ & mortis. Denique, ſe haud imparem eſſe excitandis aliis, ſeipſum excitando à mortuis, præmonſtravit. Primó, Reſurrectionem aſſeruit contra Sadducæos, & argumento uſus eſt optimo quod depromi poterat è Scriptis Moſaicis: quæ ſola pro Canonicis & Authenticis habuere iſtius ſectæ homines. Dein præmia proponit ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων, *in Reſurrectione Juſtorum*, iis qui benefaciunt egenis & infirmis: à quibus nullam ſperare poſſunt in hâc vitâ compenſationem. Sed quæ diſcipulis ſuis, & rerum jacturam paſſis ſui nominis gratiâ, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ (*in renaſcentiâ vel Reſurrectione*) promittit, majora Mat xxii. Luc. xiv. 14. Mat. xix. 28.

ſunt & clariora. Præterea, ſe penes eſſe imperium *vitæ & mortis:* atque ſuâ vi, ſuâ voce, mortuos evocaturum è ſuis monumentis, ipſe palàm & perſpicuè affirmat.
Cap. i. 17, 18. Prius, in principio viſionum Apocalypticarum, cùm Johannem alloquitur his verbis, *Ego ſum primus Ille & ultimus: & qui vivo & fui mortuus, & ecce vivo in ſæcula ſæculorum. Amen. Et habeo claves Inferorum & mortis.* Poſterius, apud eundem Johannem in ſuo Evangelio, capite ſexto ſæpius: ver. 40. *Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me, ut quiſquis conſpicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ET SUSCITEM IPSUM EGO ULTIMO ILLO DIE.* Dein ad Martham, *cap.* xi. inquit. *Ego ſum Reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet. Et quiſquis vivit & credit in me, non morietur in æternum.* Denique, utrumque reperies conjunc-
Ver. 26, 27, &c. tum, *cap.* v. ejuſdem Evangelii: *Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo. Et auctoritatem ei dedit judicium exercendi, quatenus* Filius *hominis. Ne hoc miramini: nam veniet hora, quâ omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem EJUS: & prodibunt qui bona fecerint, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerint, in reſurrectionem condemnationis.*

HIS omnibus, ab ore Chriſti receptis, abunde probatur futura mortuorum Reſurrectio.

rectio. Sed animatur fides & fortior efficitur, cùm dicta factis corroborantur: & datis teſtamur exemplis, ea nos præſtare poſſe, quæ ſumus polliciti. Proinde Chriſtus non tantùm alios, cùm in terris verſatus eſt, excitavit à mortuis: quod etiam, fateor, à Prophetis olim factum; ſed excitavit etiam ſeipſum: crucifixum, mortuum, ſepultum. Excuſſis nempe mortis vinculis, tertio die, Anima remeavit ad ſacras reliquias, vitámque iis inſpiravit immortalem.

In hoc gloriamur Chriſtiani: In hâc victoriâ, hoſti ultimo & potentiſſimo, Regi terrorum, extortâ. Ecquis unquam Sapientum, aut Magorum Orientalium: Ecquis Philoſophorum, cujuſcunque gentis aut nominis: aut Legiſlatorum celebrium: aut denique Sacrorum Prophetarum, à mortuis ſurrexit? Animam depoſuit & reſumpſit? mortem vicit & ad vivos rediit? Solus hic Dux, & Deus noſter triumphavit de Inferis: & ab hoc victore lætam ſperamus à morte liberationem.

Neque hæc reſurrectio à mortuis contigit Chriſto inopinanti, aut præter ſpem & expectationem, quaſi vi alienâ facta. Nôrat enim, & prædixerat, tam ſuis quàm aliis, hoc eventurum: ídque infra triduum à morte ſuâ. Dixit ad Judæos, *Deſtruite* Mar. viii. 31.
Templum hoc, & intrà triduum excitabo Joh. ii. 22.
illud. Loquebatur autem de Templo corporis ſui, inquit, Apoſtolus interpres. Et Joh. ii. 19, 21.

hoc

hoc ipſum Chriſti dictum allegabant poſtea,
Mat. xxvi. 61. loco criminis, ipſius accuſatores. Ejuſdémque memores primarii Sacerdotes & Phariſæi, petierunt à Pilato, ut muniretur
Mat. xxvii. 62, 63, &c. Sepulchrum : quod proinde factum fuit. Præterea, & Judæis ſignum petentibus ſuæ miſſionis divinæ, ſimile reſponderat antea
Mat. xii. 40. Chriſtus, *Sicut fuit Jonas in ventre ceti, tres dies & tres noctes : ita erit Filius hominis in corde Terræ, tres dies & tres noctes.* Hæc ſatìs aperta ſunt : atque horum dictorum, aut conſimilium, oblivionem exprobrat Angelus mulieribus, quæ Chriſti corpus venerunt quæſitum in ſepulchro,
Luc. xxiv. 6, 7, 8. cùm jam ſurrexerat. *Non eſt hîc, ſed ſuſcitatus eſt ! Mementote ut locutus ſit vobis, cùm adhuc in Galilæâ eſſet : dicens, Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi : & die tertio reſurgere. Recordatæ ſunt igitur*
Joh. ii. 22. *verborum illius.* Utì etiam ipſius Diſcipuli.

Nec ſignis & Symbolis tantùm, ſed verbis etiam explicitis, ſuam mortem & reſurrectionem : & utramque ſpontaneam, ſæ-
Joh. x. 18. pius indicavit. *Nemo tollit vitam à me, ſed ego depono eam per meipſum. Poteſtatem habeo deponendi eam : & poteſtatem*
Joh. xvi. 16. *habeo rurſus eam aſſumendi.* Dein inquit, *Pauliſper & non conſpicietis me, & rurſum pauliſper & videbitis me.* Quod in ſequentibus explicat de ſuâ morte & reditu.

Atque

ATQUE hæc potentia, vitam ſuam, ſi voluiſſet, tutam & incolumem conſervandi, ſatis eluxit, cùm, prementibus inimicis, ſubitò ſe reddidit inconſpicuum, Eóſve ſtupefactos & impotentes. Solo etiam aſ- Joh. viii.
pectu, vultûſque ſui radiis, proſtravit alios, 59. Luc. iv.
qui eum perditum veniebant. Denique in 30.
Transfiguratione ſuâ in ſancto Monte, ſe Mat. xvii. Joh. xvi. 6.
totum convertit quaſi in flammam vitalem: in corpus lucidum, formæ Angelicæ, vel potiùs gloriæ divinæ. Quâ transformatio- Mat.
ne ſui corporis ſatìs oſtendit, ſe *vitam ha-* xxviii. 3. Dan. x.
bere in ſeipſo: aut ſe penes eſſe mortem 5, 6.
obruere, & mortalitatem omnem abſorbere, 1 Pet. i. 16, 17.
quoties & quandocunque ei libuerit. Atque, ut hoc etiam adjiciam, cùm ad rem noſtram pertineat: In hâc ſuâ Glorificatione, adductis de cœlo Moſe & Eliâ, vivis & immortalibus: immortalitatis noſtræ, & futuræ reſurrectionis, pignora & exempla in his nobis exhibuit. Id quod poſtea apertiùs exhibitum fuit, cùm, reſurgente Chriſto Sanctorum plures à mortuis unà excitati, in urbe Hieroſolymitanâ multis apparuerunt. *Mat.* xxvii. 52, 53.

DENIQUE ut huic ſermoni coronidem imponamus: Non tantùm à mortuis ſurrexit Chriſtus, ſed in cœlum etiam aſcendit. Partâ victoriâ triumphum egit: atque nube vectus lucidâ, veluti triumphali curru: aſpectantibus diſcipulis, comitantibus Angelis, Terras deſeruit, & ad priſtinas ſedes,

des, in patriam & ad Deum Patrem rediit. Hæc eſt vera ἀποθέωσις, quam fruſtra affectârunt Cæſares, & Heroes, aliique inter Gentes, dignitate, fortitudine, aut ſapientiâ eximii. Atque hæc cùm dixerit, fecerítque Chriſtus, Servator noſter, apud vivos & mortuos: tandémque regnet in cœlis, corpus glorioſum indutus: quod de Reſurrectione noſtrâ futurâ docuit aut promiſit, certum, ratum & immutabile, æquum eſt habeamus.

His ſummatim expoſitis, de dictis factíſque Chriſti, quæ Reſurrectionem noſtram reſpiciunt: ſequitur jam doctrina Apoſtolica de eodem Argumento: quæ prædictis conſona, diffuſior eſt, & plura capita complectitur.

"Hæc teſtimonia Apoſtolorum aptiùs digerenda "ſunt. Atque illud primò notandum: In prædicatoinibus Apoſtolorum ad Judæos & Gentes, cùm "jam Chriſtus terras reliquerat, illud primarium fuiſſe argumentum & materiam, *Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis.* Unde duplex fundamentum religionis "Chriſtianæ, *Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam, & futuram à mortuis reſurrectionem*, ſtabilitum dedere. "Cùm in vivis eſſet Jeſus, ſuis operibus, aſcitis etiam "prophetarum oraculis, ſe teſtatus eſt eſſe Meſſiam: "cùm verò ſurrexiſſet à mortuis, & aſcendiſſet in cœlum, ſpectantibus Apoſtolis, hinc illi novum arripuere argumentum, ad demonſtrandum tam eundem "Jeſum eſſe verum Meſſiam, quàm ſpem Chriſtianorum de futurâ reſurrectione vitâque æternâ, in eo "rectè fundari: Hinc in Actis Apoſtolorum videmus "hoc caput ubique tractâſſe in ſuis concionibus primos Evangelii prædicatores Apoſtolos. Vid. exempla ordinémque apud *Gerard.* Tom. 8. de Reſurr. "p. 733. c. 16. & ***"

plectitur. Illud imprimis notare licet, Reſurrectionem Mortuorum cauſis aut potentiis naturalibus, nunquam: ſed operationi ſemper divinæ ab Apoſtolis attribui. Et ſæpiſſime quidem iidem Chriſto, Domino noſtro, cui hactenus ſoli hoc opus admirandum adſcripſimus. In diſſertatione illâ
ſolenni Sancti *Pauli* ad *Corinthios* de Re- 1 *Epiſt.*
ſurrectione futurâ, in exordio, medio, & *c.* xv.
fine, Chriſtum facit Authorem reſurrectionis noſtræ: quam ita connexam exhibet cum illâ Domini, ut ſe invicem ponant &
tollant. *Si Chriſtus*, inquit, *prædicatur* Ver. 12.
ex mortuis ſuſcitatus eſſe: quomodo dicunt quidam inter vos, non eſſe Reſurrectionem mortuorum? Ubi ſequelam illam, à reſurrectione Chriſti ad noſtram, ſupponit indiſ-
ſolubilem. Dein, ex alterâ parte, *Si re-* 1 Cor. xv.
ſurrectio mortuorum, inquit, *non eſt*, *Chriſ-* 13 & 16.
tus quoque non eſt ſuſcitatus. Rectè igitur in principio ſui ſermonis teſtatiſſimam fecit Reſurrectionem Chriſti: utpote fundamentum ſuæ de reſurrectione noſtrâ doctrinæ & inſtitutionis.

Præterea, Radicem omnis vitæ cœleſtis ponit in Chriſto, ut mortalitatis in Adamo: quem ideo Chriſti facit typum vel
ἀντίστοιχον· *Sicut enim*, inquit, *in Adamo om-* Ver. 21,
nes moriuntur: ita & in Chriſto om- 22.
nes vivificabuntur. Quem propterea fac-
tum ait εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, *in Spiritum vivi-* Ver. 45.
ficum. Denique, per eundem Jeſum Chriſ-

tum,

tum, inſultat morti & inferis, jam victis
Ver. 55, 57. & exarmatis. *Ubi tua, O Mors, victoria? ubi tuus, O ſepulchrum,* vel inferi, *aculeus? Deo gratia, qui dat nobis victoriam, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Dixerat enim antea, oportet Chriſ-
Ver. 25, 26. tum regnare, *donec omnes inimicos ſuppoſuerit pedibus ſuis. Ultimus autem hoſtis aboletur Mors.* Mors autem non aliter aboleri poteſt, quàm univerſali reſurrectione à Mortuis.

Nec in hoc capite tantùm, ſed alibi, cùm incidit occaſio, cauſam & originem reſurrectionis noſtræ in Chriſto fundari do-
Rom. xiv. 9. Act. xvii. 31. cet: Eúmque ſuâ reſurrectione conſtitui Dominum vivorum & mortuorum, ac judicii poſt Reſurrectionem futuri. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cùm autem Chriſtus, vita noſtra, manifeſtabitur, tum & vos cum eo manifeſtabimini in gloriâ.* Inquit idem Apoſtolus ad
Cap. iii. 20, 21. *Coloſſenſes* iii. 3, 4. Ac etiam ad *Philippenſes* ait, *è cœlo ſervatorem expectamus, Dominum Jeſum Chriſtum: Qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioſo: pro vi illâ efficaci, quâ poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia.*

1 Pet. i. 3, 4. 2 Cor. iv. 14. 1 Joh. v. 11, 12. Nimius eſſem, ſi plura loca (quæ ſatis nota ſunt) hic adducerem, ad teſtandum, à Chriſto, capite noſtro, *Primogenito à mortuis* (Col. i. 18.) *Primitiis dormientium* (1 *Cor.* xv. 20.) ab ipſius, inquam,

vi & virtute pendere ſpem noſtræ reſurrectionis. Nec tamen ita pendet à Chriſto, ut non etiam originaliter pendeat à Deo Patre. Id ſæpius affirmant & * Chriſtus & Apoſtoli, *Act.* ii. 24, & 32. *Gal.* i. 1. *Epheſ.* i. 19. 1 *Cor.* vi. 14. *Heb.* xiii. 20. Quinetiam pendet à Spiritu Sancto, ſuo modo: & uterque concurrunt in hâc operatione divinâ. Ita Apoſtolus ad Romanos, *cap.* viii. 11. *Si Spiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum ex mortuis, habitat in vobis: Is qui excitavit Chriſtum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora veſtra, per inhabitantem ipſius Spiritum vobis.*

* Joh. v. 26. & xvii. 2.

NEC miror in reſuſcitandis mortuis quodammodo cooperari Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Eſt enim inſtar novæ creationis; cùm ex ſtatu inviſibili, velut ex nihilo, educuntur in lucem innumeræ Animæ: corporibus ſui generis reveſtitæ. Eſt etiam Animabus ipſis renaſcentia quædam, vel παλιγγενεσία: vita nova, novus mundus, & omnia nova. Ac proinde Apoſtolus ſupereminentem Dei potentiam, impenſam & quaſi exprompt am in hoc opere, cum magnâ verborum emphaſi, ſignificat. *Epheſ.* i. 19.

HACTENUS Reſurrectionis noſtræ certitudinem aut ſtabilitatem, & cauſas ipſius efficientes, ex ſacris literis expoſuimus. Et hæc quidem clarè revelantur. Ad alia jam

jam procedendum, quæ minùs clarè & explicitè definita ſunt. Atque illud imprimis occurrit, quod proponitur aut quæritur
1 Cor. xv. 35. ab Apoſtolo: *Quali corpore reſurrecturi ſumus?* πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροὶ; ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται; *Quomodo ſuſcitantur mortui: Quali corpore prodeunt?* Ut huic quæſito reſpondeamus, & corporis, quo ſumus amiciendi in Reſurrrectione, exploremus qualitates: Obſervandum primò, quas ei dotes & qualitates attribuunt Authores ſacri. Dein, illis ſuppoſitis, (quas ſcripturâ teſte ad hæc corpora pertinere novimus) diſpiciendum præterea, quæ exinde, rectâ ratiocinatione, deduci poſſunt aliæ, magìs particulares: quæque indolem & conſtitutionem Phyſicam iſtorum corporum propiùs & intimiùs indicant. Denique, conſulenda eſt rerum natura, & ad partes ſemper vocanda, cùm de rebus corporalibus agitur: nequid incongrui aut abſurdi, ex imperitiâ noſtrâ, ſacris oraculis imputemus.

SED ut compendio agamus, Quæſitum illud Apoſtoli, *Quali corpore ſumus reſurrecturi*, duo potiſſimùm includere videtur. Primò, *Quali corpore?* hoc eſt, num Organico, & inſtar hodierni: vel inorganico, & alterius ab hodierno formæ & ordinis. Secundò, *Quali corpore?* an Corpore craſſo & concreto, quale eſt hodiernum: vel tenui, raro, & levi: inſtar aëris aut ætheris. Horum dubiorum alterum,

ut

ut vides, futuri corporis formam reſpicit: alterum materiam. Et ſi hæc ambo poterimus expedire, ſatisfactum erit, opinor, propoſitæ quæſtioni.

E ſacris autem literis petenda eſt reſponſio ad utramque partem: idque non tantùm ex hoc capite Sancti *Pauli* ad *Corinth.* ſed ubicunque loci, à Chriſto vel Apoſtolis, conditiones Corporum quibus in cœlo gaudebimus, explicantur. Ex illis quidem conditionibus nonnullæ ſunt generales & communes: quæ nihil certi aut determinati indicant in hoc genere: aliæ ſunt ſpeciales & propriæ, quæ dici poſſunt *Characteres*, vel *Characteres indices*: Quibus utpote, ſi diligentiùs attendamus, indicatur materia aut forma Corporum Beatorum. Hos proinde Characteres indices pro ratione argumenti in duos ordines diſpeſcemus: quorum prior priorem, poſterior alteram quæſtionem enodabit. Corporis immortalis noſtri formam, an futura ſit organica vel inorganica, reſpicere & indicare videntur hi quatuor Characteres ſacri: *Non opus habebit ventre aut eſcis*: Non conſtabit *carne & ſanguine*: Erit ἀχειροποίητον, & denique ἰσάγγελον. Hi quatuor characteres examinandi ſunt ſigillatim: ut quantum quiſque valeat, quid in ſe involvat, quouſque pertingat, diſcernamus. Quoad primum, de quo ſic loquitur Apoſtolus, *Eſcæ ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc &*

illas abolebit. Quando verò abolebit? non in hac vita, ergo in futurâ; non in hoc corpore mortali, ergo in corpore glorioſo & immortali. Quod ſi ventre careat illud corpus, carebit etiam viſceribus, & parenchymatis, aliiſque quibuſcunque intra ventris cavitatem contentis. His verò omnibus ablatis, quale manebit corpus? Mutilum, hiulcum, & penitus imperfectum in ratione corporis organici. Præterea, quæ ſub ventre ſunt partes, vel deerunt vel aderunt inutiles: de quâ re poſtea. Denique, crura, tibiæ, & pedes, inſerviunt ambulationi: eáque peragitur ſuper aliquod immobile: ſed in aëre aut cælo, cùm nullum ſit ſolum immobile, aut pavimentum: nulla porticus aut pergula: motus de loco in locum non erit per modum ambulationis: ſed ut ſe movent Angeli. Hæc igitur inferiora omnia erunt unà abolita, ut nullius uſús, & ſupervacanea.

1 Cor. vi. 13.

Præterea, ubi nulla eſt *eſca*, nulla erit *Nutritio*: Nutritioni autem ſubſerviunt plures facultates & organa: quæ pariter abolenda ſunt unà cum eſcâ. Hujuſmodi ſunt organa guſtus, manducandi & deglutiendi organa: Concoctionis etiam, ſanguificationis & diſtributionis. E glandulis etiam non paucæ, quæ nutritioni aut ſecretioni conducunt. Qui ferre poteſt hæc damna corpus organicum? ferre tamen debet illud, quod habituri ſumus, corpus, ſi has

rationes rectè deduximus. Sepoſitis igitur, aut amputatis his partibus, quotquot ſunt, De *Carne* & *Sanguine* quid porrò ſtatuendum ſit, ſi cum præfatis unà ſint perituri, expendamus.

Cum diſſeruiſſet Apoſtolus de qualitatibus Corporum Beatorum, addit in fine ſui ſermonis, *Hoc autem dico, Fratres, quòd* 1 Cor. xv.
Caro & Sanguis regnum Dei hæreditare 50.
non poſſunt :* Non poſſunt, inquit: Eſt aliqua repugnantia, ut videtur, inter ſtatum cœleſtem & conditiones Carnis & Sanguinis: Proindéque neceſſitas quædam, ut corpus, quod Anima induit in cœlis poſt reſurrectionem, ſit ἄναιμον καὶ ἄσαρκον, carne & ſanguine careat.

At, inquies forſan, Caro & Sanguis, in hoc dicto Apoſtoli, non accipiendi ſunt literaliter, ſed myſticè, aut allegoricè: quatenus denotant opera carnis, vel pravitatem & impuritatem moralem. Reſpondeo, primò, hoc gratis dictum eſt: nec gratìs tantùm, ſed etiam contra receptam interpretandi regulam, quâ prohibemur recedere à literâ, niſi ad id nos premat neceſſitas, à naturâ rei & materiæ ſubjectæ; hic autem nulla eſt iſtiuſmodi neceſſitas. Quinimo

 reliqui

* "Reſurrectionem carnis appellant vulgariter, & "ſapientes aliter intelligebant. Vid. *Orig.* dicta apud "Huet. *Orig.* p. 132. med. τὴν [illegible] &c ut inquit "Origenes contra Celſum."

reliqui Characteres huic adeò ſunt conſoni, & cognati (quod clariùs patebit in ſequentibus) ut neceſſitas, nos premat potiùs ex altera parte, retinendi ſcilicet ſenſum literalem. Denique, quæ ſequuntur in eodem verſu ſatis indicant, *Carnem* & *Sanguinem*, hic *Phyſicè*, non *moraliter*, accipiendos eſſe. Sequitur enim, *neque corruptio incorruptionem.* Corruptio ibi intelligitur *Phyſica.*
Vid. Grot. *alioſque.* Et per φθορὰν vult intelligi Apoſtolus φθαρτὸν: Corpus hoc noſtrum corruptibile. Et per *Incorruptionem*, ſtatum incorruptibilem.

Sed adhuc forſan ſubterfugere tentabis per alteram viam: dicéſque, Carnem quidem & Sanguinem, tales nempe, quales habemus hodie, non poſſe hæreditare regnum cœlorum: Sed aliud genus carnis & ſanguinis, quale habituri ſumus poſt reſurrectionem, poſſe. At verò, ut tibi reſpondeam, nullibi diſtinguit Apoſtolus hoc modo duo genera carnis & ſanguinis: genus corruptibile & incorruptibile. Memorat quidem plura genera carnis: nempe
Ver. 39. hominum, pecorum, piſcium, & volucrum: & ſunt omnes perinde corruptibiles: nec ullibi mentionem facit carnis incorruptibilis, oblatâ licèt occaſione: nullibi, inter alias plures, diſtinctionem illam adhibet, *alia eſt caro corruptibilis, alia incorruptibilis.* Sed è contra, præſumere videtur aut ſupponere, omnem carnem ſanguinémque eſſe corruptibiles: ac proinde inſtituit propoſitionem

tionem univerſalem, ſine ullà limitatione aut diſtinctione, *Caro & Sanguis non poſſunt hæreditare regnum* Dei. Hoc eſt corpus carne & ſanguine conſtans: tantundem valet *Corruptio* in ſecundâ parte verſiculi, ac *caro & ſanguis* in priori: ut & *Incorruptio* tantundem ac *regnum Dei.* Cœlum Terrà miſcent, qui corruptibile & incorruptibile hoc modo confundunt. *Sanguis incorruptibilis* id mihi videtur, quod Logici appellant contradictionem in adjecto. Stamina enim ſanguinis ſunt admodum diſſolubilis texturæ & miſtionis: iiſque diſſolutis, ſequitur corruptio, vel putrefactio. Atque idem dici poteſt de carne; quæ ſanguinis, ſimiliſve ſucci, eſt quoddam coagulum. Sed de hâc re infrà plura, cùm de ſanguine Chriſti, & glorioſo ipſius corpore, diſceptabitur.

Interea, his ita diſcuſſis, ſatis conſtare mihi videtur, Dictum illud Apoſtoli, *Carnem & Sanguinem* cœli poſſidendi non eſſe capaces, intelligi debere, ſicut effertur, literaliter & univerſaliter: ac proinde corpora noſtra cœleſtia & incorruptibilia fore carnis & ſanguinis expertia: omniúmque pariter organorum & partium, quæ ex carne aut ſanguine conſtituuntur. Quod ſi deſideretur non ſanguis modò, ſed tota compages carnea, ſupererit nihil præter ſceleton exuccum; ornatu aut apparatu corporis organici denudatum.

Hactenus corpora ſanctorum in cœlis non eſſe organica, ex ſacris literis probavimus per partes: jam, qui totum corpus reſpiciunt & complectuntur, characteres alios
2 Cor. v. 1. conſulamus. Quemadmodum cùm corpus
Mar. xiv. 58. noſtrum cœleſte dicitur ab Apoſtolo ἀχειρο-
Heb. ix. 11. ποίητον: & cùm, reſpectu corporis illius, dicimur ἰσάγγελοι. Quoad primum, in illo loco ad Corinthios Apoſtolus inſtituit comparationem & antitheſin inter hodiernum corpus, & cœleſte futurum: Quæritur igitur quid ſibi velit, vel quomodo ſit reddenda vox illa ἀχειροποίητον. Si verbatim reddas, *non manu factum*, nulla erit antitheſis, ex illâ notâ, inter corpus quod habituri ſumus & hodiernum. Hodiernum enim non manibus fit, nec arte humanâ: ſed naſcitur è liquido ſemine, & ex parvâ guttâ creſcit in molem majuſculam, & in admirabilem compagem, vi internâ & quaſi divinâ: nullâ manu admotâ, nullâ cooperante hominum arte. Secundò, ſi ἀχειροποίητον reddas *non artificiale*: quod aliquantò latiùs videtur: neque hoc modò conſervabis antitheſin, aut diſtinctionem ab hodierno corpore: quod pariter eſt *non artificiale*, ſeu naturale, tam in ortu, quàm incremento. Sed alio quidem reſpectu & ratione habet ſpeciem corporis artificialis vel mechanicè conſtructi, hodiernum corpus, nempe quod ex multifariis partibus, diverſæ materiæ, apte & articulàtim

conjuctis

conjunctis aut coagmentatis, componatur. Hác ratione conſtituit fabricam mechanicam, vel organicam, & dici poteſt χειροποίητον. Atque eodem modo, & ſecundum hanc eandem analogiam, ἀχειροποίητον tantundem valet ac *INORGANICUM.* Quâ interpretatione conſervatur antitheſis inter illa duo genera corporum, hodiernum & cœleſte: & Beatorum corpus eſſe inorganicum arguitur.

DICTA autem antitheſis, licèt non exprimatur utrinque in hoc loco Apoſtoli: alibi tamen utraque pars oppoſitionis vel comparationis exprimitur: ut in dicto Chriſti apud Marcum, *cap.* xiv. 58. ναὸς χειροποίητος τῷ ἀχειροποιήτῳ opponitur: & utrumque intelligit Chriſtus de ſuo corpore, atque hodiernum, χειροποίητον: alterum ἀχειροποίητον nuncupat. In quâ comparatione, dicta antitheſis vix alio modo explicari poteſt, quàm quò ſuperiùs illam explicuimus. Denique, hanc explicationem confirmat Apoſtolus ad Hebræos, *cap.* ix. ubi ſimilitudinem Tabernaculi, ad quod hìc alludit tacitè, pluribus proſequitur. Et quemadmodum Chriſtus Templum, ita Apoſtolus Tabernaculum vel Sanctuarium appellat χειροποίητον (Ver. 24.) cui reſpondet corpus noſtrum terreſtre. Dein Corpus Chriſti in cœlis ἐ χειροποίητον appellat, (Ver. 11.) additque per modum expoſitionis, τυτέστιν, ἐ ταύτης τῆς κτίσεως: *hoc eſt, non hujuſce con-*

ſtructionis, aut fabricæ: Sed alterius formæ ab hoc corpore terreſtri & organico. Sed de hac voce, & de hoc charactere, ſatis.

ULTIMUS character deſumitur à paritate Beatorum in cœlo cum Angelis. Chriſtus dicit ad Sadducæos, * *filios reſurrectionis fore* ἰσαγγέλους: *ſimiles Angelis.* Quod quidem aſpectu primo reſpicit nuptias & concubitum, aliis tamen non excluſis. Imò, ea occaſione, ſententiam magis generalem Chriſtus ediddiſſe videtur, qua paritas filiorum reſurrectionis cum Angelis, ad plura poſſit, & debeat, extendi. Et ad plura quidem extenditur à Sancto Lucâ, qui hoc
Luc. xx. 35, 36. dictum Chriſti ita profert: *Qui verò digni habiti fuerint, qui ſæculum illud conſequantur & reſurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dantur. Nec enim mori poſſunt ampliùs, pares enim ſunt Angelis,* οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται, ἰσάγγελοι γάρ εἰσι. Ex his verbis, primò, conſtare mihi videtur, Angelos habere corpora; Dein nos talia habituros eſſe corpora, qualia

* " Filii reſurrectionis ſunt Filii Dei, inquit Chriſ-
" tus, *Luc.* xx. 36. בני אלוהים ut nuncupantur Angeli.
" Non neſcio dictionem illam *Filios Dei* ſanctis in hâc
" vitâ aliquatenus congruere, quatenus nimirum ſpi-
" ritum adoptionis receperunt, atque ſpem certam fu-
" turæ hæreditatis & gloriæ. Sed cum vitam futuram
" reſpicit, denotare mihi videtur ſtatum Angelicum,
" ſecundum dictum Chriſti hôc loco atque alibi. Mat.
" v. 9. Joh i. 12."

lia habent Angeli : † ac proinde inorganica. Quoad primum, Si paritas illa Beatorum cum Angelis conſiſtit tantùm in parte ſpirituali utriuſque, non in corporibus: tum corpora noſtra, poſt reſurrectionem, poſſunt eſſe mortalia, non obſtante hàc paritate. Chriſtus autem dicit, propter hanc paritatem nos ampliùs mori non poſſe. Oportet igitur, corpora utriuſque, ſive partem corporalem reſpiciat hæc paritas: morimur enim, ſeu mortales ſumus, ratione corporis tantùm: ſive in hac vitâ, ſive quavis aliâ. Præterea hæc immortalitas & paritas cum Angelis, de quibus loquitur Chriſtus, ſunt privilegia reſurrectionis, vel nobis accedunt poſt reſurrectionem: at immortalitas animæ ſemper fuit: & quæ nobis advenit per & poſt reſurrectionem, eſt immortalitas corporis. Hoc igitur reſpectu futuri ſumus

---

† Hoc apertè aſſeruit S. Auguſtinus: Talia, inquit, erunt corpora noſtra poſt Reſurrectionem, *Qualia ſunt Angelorum Corpora.* In *Pſalm* lxxxv. ad illa verba, *Eruiſti Animam meam ex Inferno inferiori.* Et in *Pſal.* cxlv. non procul ab initio, corpus noſtrum cœleſte appellat *Corpus Angelicum.* Tertullianus, ſuo modo, appellat *Carnem Angelificatam*, de reſur. carn. c. 26. & *demutationem in ſubſtantiam Angelicam.* Lib. iii. contra Marc. cap. ult. Lactantius *Transformationem in ſimilitudinem Angelorum.* Lib. vii. c. 26. Conſule, cum vacat, plura loca Auguſtini, ubi eundem prodit ſenſum: ut Epiſt. 111. ad Fortunatian. Gen. ad Lit. lib. xii. c. 35. dein lib. ii. c. 17. & lib. iii. c. 10. de corporibus Angelorum lapſorum & non lapſorum: aliáque conſimilia.

ſumus pares Angelis. Denique ſimiles eſſemus Angelis potiùs ante reſurrectionem, quàm poſt, ſi Angeli non habent corpora.*

Angelos non eſſe nudas ſubſtantias ſpirituales, ſed veſtiri corporibus ſui generis & ordinis, id præterea demonſtrare mihi videtur, quòd conſtituturi ſint comitatum
Mat. xxv. 31. 2 Theſſ. i. 7. & ſatellitium Chriſti in ſuo adventu glorioſo. Oportet igitur, ut ſint viſibiles & corporibus induti: iiſque nobilioris ordinis: ut cœleſtis illius pompæ majeſtatem & magnificentiam augeant & expleant. Nec ſuſtinebis, opinor, dicere, habituros quidem corpora tunc temporis, ſed mutuatitia, vel facta ex aëre, pro re natâ; diſſipanda iterum, aut deponenda, ubi finitum fuerit ſpectaculum. Haud patieris, inquam, hoc dici: Chriſtum quidem rediturum eſſe comitatiſſimum, ſed phantaſmatibus: fugitivis umbris millies mille, & inanibus viſis; & hujuſmodi larvatos Angelos ſolium Dei in
2 Cor. xi. 14. cœlis circumdare. Porro, cùm dicitur in ſacris literis, Satanam ſe transformare quandoque in *Angelum Lucis:* illa metamorphoſis ſupponit Angelum Lucis habere aliquam externam formam, aliquam ſpeciem viſibilem, quâ dignoſcitur & diſtinguitur. Id verò quicquid ſit, habere non poſſunt abſque omni corpore. Et quoad malos Angelos in

* "De hâc re vid. Huet. Orig. lib. 2. q. 5. "§ 8, 9. p. 71."

in genere, cùm ſint capaces pœnæ & cruciatûs per ignem corporeum, eòque deſtinati, exinde patet hos ſpiritus degeneres ſua habere qualiacunque corpora. Dein ex alterâ parte, Sanctis & Beatis nihil ſocietatis aut commercii intercedere poteſt cum bonis Angelis, niſi hi, perinde ac illi, ſint aliquo modo viſibiles & incorporati. Mat. xxv. 41.

DENIQUE, ut hoc addam, Ecquis ſanæ mentis, atque operum Dei æquus æſtimator, rem ſecum reputans, credere poteſt bonâ fide & ex animo, Regiones cœleſtes & æthereas, quantas quantas, vacuas eſſe omni creaturâ intelligente viſibili, omni animali ratione prædito, præter pauculas animas humanas? Quantas oportet fingere in rerum naturâ ſolitudines & eremos? ad quas tamen ſuis incolis replendas, Deo Optimo Maximo, rerum Conditori, nec potentia defuit, nec bonitas. Quod ſi nobiſcum ſtatuas, Angelos habere corpora ſui generis & ordinis: non quidem Organica: (Quid Angelis enim cum oſſibus, artubus, viſceribus, aqualiculo, aut membrorum compage?) Sed lucida & ætherea: quemadmodum è Patribus non pauci ſtatuerunt, ut alibi dictum eſt: Atque his corporibus Angelicis noſtra fore ſimilia ſi concedas: * Ex hâc Luc. xxiv. 39. Pſ. civ. 4. *Archæol. Philoſ. l. 2. c. 8.*

* " Angeli autem vehiculo lucido veſtitos ſeſe ex-
" hibere ſolent. Vid. loca apud *Gerard.* Tom. 9.
" p. 659.

hàc hypotheſi, Deo, univerſitatis Opifici, conſtabit ſuus honos: Cœlo ſuus apparatus, & illuſtrium Incolarum exercitus: Nobis denique cum Angelis vitæ ſocietas, iiſque par & cognata, corporis animíque indoles & immortalitas.

HACTENUS quæſtionis ab Apoſtolo propoſitæ, ποίῳ σώματι ἔρχονται, reſpondemus parti primæ: quæ Formam Corporis noſtri immortalis reſpicit. Sequitur pars altera, quæ Materiam ejuſdem, & materiæ qualitates complectitur. Diſquirendum hic igitur, quali gaudebimus in cœlo corpore, concreto, craſſo, hodierno ſimili: vel levi, raro, tenui, liquido: inſtar lucis, aut ætheris, aut materiæ cœlo cognatæ? In hâc parte quæſtionis excutienda, eâdem, quâ prius uſi methodo, per Characteres ſacros, vel indices in ſacris literis fundatos, progrediemur. Dicitur autem ab Apoſtolo *Paulo* Corpus Beatorum *Cæleſte*, *Spirituale*, *Potens*, *Glorioſum*, & *glorioſo Chriſti corpori conforme*. Cùm dicitur *Cæleſte*, notat id materiam ex quâ componitur. Quemadmodum enim hodiernum corpus conſtat ex materiâ terreſtri: ita corpus, quod cœleſte dicitur, ex materiâ cœleſti conſtabit. Vel

" p. 659. ante med. Et cum dicuntur à S. Judâ
" τὸ ἴδιον οἰκητήριον *proprium domicilium* dereliquiſſe,
" (Ver. 6.) vel corpus eorum denotat, vel locum
" corporeum."

Vel ſicut Corpus *Adami* compactum fuit ex pulvere vel limo terreſtri: ita, ex adverſo, Corpora Filiorum Dei in reſurrectione, ad imaginem Chriſti, ex materiâ cœleſti, vel conſimiliter modificatâ, conſtituentur: ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκὸς· ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, κύριος ἐξ οὐρανοῦ· οἷος ὁ χοϊκὸς, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοὶ· Καὶ οἷος ὁ ἐπουράνιος, τοιοῦτοι καὶ οἱ ἐπουράνιοι· 1 Cor. xv. 47, 48, &c. 2 Cor. v. 1, 2. &c. Reſpectu Corporis in hâc vitâ, aſſimilamur *Adamo*: &, reſpectu corporis in futurâ, aſſimilamur Chriſto. Quòd ſi eaſdem qualitates aut modificationes cum materiâ cœleſti habiturum ſit corpus noſtrum cœleſte, ſupereſt tantùm quærendum, qualis ſit materia cœlorum, vel qualiter modificata? Reſpondeo, non eſt dura, aut ſolida, inſtar vitri, cryſtalli, aut glaciei: ut è veteribus nonnulli ſomniabant. Sed eſt puriſſima & tenuiſſima, ſicut aër aut æther: Hujuſmodi proinde erit Corpus noſtrum Cœleſte.

Secundo, dicitur *Spirituale*; τὸ πνευματικὸν aut πνεῦμα, vel notat aliquid expers omnis materiæ: quo ſignificatu nulli corpori qualicunque congruit: vel materiam aliquam levem & tenuem, inſtar venti, halitûs, aut aëris. Quo ſenſu etiam רוח apud Hebræos uſurpatur: & *Spiritus* apud Latinos: ut cùm tenuiores ſanguinis noſtri partes aut particulæ nuncupantur *Spiritus*: ſive animales, ſive vitales. Neque aliter accipienda mihi videtur illa vox, cùm corpus

pus noſtrum cœleſte dicitur *Spirituale*; modò illud, ex conſequenti, adjicias, Corpus illud eſſe magis vivificum quàm hoc mortale: hominémque tum factum εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, vim habere conſervandi ſuum corpus ſinè cibo, potu, ſomno, aliiſque, quibus ſemper indiguit *Adami* corpus ψυχικὸν, ſeu animale.

Ver. 43. TERTIO, dicitur *Potens* & actuoſum: σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, Cadaver, ſiné vi aut motu, ἐγείρεται ἐν δυνάμει· Potentia corporis conſiſtit in motu, aut in vi movendi ſeipſum, & alia. Quod facilè & celeriter ſe movet de loco in locum, dicitur Agile: Et ſi præterea vim habeat movendi alia corpora, eo potentius habetur, Notandum verò, Corpus, cujus partes ſunt in quiete, & cohærent aliæ aliis, nullam in ſe habere vim movendi ſeipſum: motus enim, inter corpora, non producitur niſi à motu, vel à corpore moto. Proinde, ut corpus ſit agile, neceſſe eſt ut partes ipſius ſint in motu: ut in aëre, vento, flammâ, & luce. Corpora quidem dura & cohærentia, quæ ſe flecti patiuntur, & dicuntur Elaſtica, reſiliunt, & ſe reſtituunt, in ſitum priſtinum: ídque magnâ vi: Sed vis movens non provenit à corpore duro, ſed ab aliâ materiâ, ſubtili & mobili, intrà illud corpus incluſâ. Præterea, in machinis ex materia firmâ durâve, & ex aliâ fluidâ aut volatili, compoſitis; partes ſolidæ impelli poſſunt à parte ſpirituoſâ,

ſpirituosâ, & totum compoſitum ſimul moveri, aut aliquam ipſius partem: ut in motu corporis noſtri, aut membrorum, videre eſt. Quòd ſi nulla ſit materia mobilis aut inquies: nec propria, nec aliena, intrà corpus durum: manet in ſe immobile, & non niſi vi externâ, moveri poteſt.

HÆC ſi rectè à nobis dicta & conſtituta ſunt, ut corpus noſtrum in cœlis ſit agile & actuoſum, debet conſtare ex materiâ, non inerti & torpidâ, qualis eſt materia corporum concretorum; ſed levi, vividâ, & volatili. Ut, eâ ratione, obſequioſa mentis imperio, facilè feratur in quaſlibet partes: alia corpora pervadat: rarefiat aut condenſetur, pro arbitrio. Denique vis unita partium aut particularum, quibus conſtat hujuſmodi corpus, erit fortiſſima: & ſi omnes eâdem viâ & in eundem terminum dirigantur, obvia quæque, inſtar venti aut fulguris, penetrabunt aut proſternent.

NEQUE mirari licet, ut illud adjiciam, penes animam eſſe, hujuſce ſui corporis ſpiritualis partes, quomodocunque libet, moderari & dirigere: cùm etiam in hoc craſſo hodierno corpore, ſpiritus & tenuiores ſuccos amandet, huc illûc, in nervos & muſculos, pro ſuæ voluntatis imperio. Et cùm totum illud corpus πνευματικὸν nil aliud ſit quàm congeries Spirituum & mobiliſſimæ

biliſſimæ materiæ, rationi conſentaneum eſt, jus plenum in tale corpus, impellendi, retinendi, aut quaquaversùm determinandi ipſius partes, Animæ glorificatæ concedere.

Sequitur Character quartus: quo Corpus Beatorum dicitur *Glorioſum*. Vox illa denotat aliquid majus pulchritudine, aut partium proportione; nempe lucem aliquam aut fulgorem. Neque aliâ fere ratione, materia, vel corpus, pulchrum licèt, apparere poteſt *glorioſum*, niſi lumine & radiis illuſtretur. Præterea, vox illa δόξα, *gloria*, in ſacris literis, cùm de corporibus naturalibus prædicatur: aut etiam de manifeſtationibus Divinis, vel Angelicis, aliquid lucidum & illuſtre fere ſemper connotat: ut ſtatim patebit ampliùs Interea,
Ver. 40, 41, 42. vides in hoc ipſo capite memorari gloriam Stellarum, (quæ in luce poſita eſt) ídque ut explicetur gloria corporum noſtrorum cœleſtium. Denique, Propheta *Daniel*, de ſtatu juſtorum poſt reſurrectionem verba faciens, ad eum exhibendum eodem uſus eſt exemplo Stellarum, fortiúſque applicat.
Dan. xii. 2, 3. *Multi*, inquit, *ex dormientibus in pulvere Terræ, expergiſcentur: Hi ad vitam æternam, Illi ad opprobria & contemptum æternum. Et intelligentes ſplendebunt quaſi ſplendor Firmamenti: Et qui ad juſtitiam erudiunt multos, ut ſtellæ in ſempiterna ſæcula.* Eundem ſtatum & tempus,

pus, eandémque gloriam deſignavit Chriſtus, cùm dixit, *Tunc juſti effulgebunt ut Sol, in regno Patris ſui.* A Prophetà, Chriſto, & Apoſtolo, in aperto eſt eandem gloriam deſcribi: Illámque porrò gloriam eſſe lucis & ſplendoris participationem. Mat. xiii. 43.

SED quæri hîc poteſt, an lux illa & ſplendor inhæreant corporibus glorificatis, vel forìs adveniant: & reflectantur tantùm, aut tranſmittantur. Ut in gemmis aut metallis politis, aliiſque corporibus duris. Hoc utique à datis exemplis Solis & Stellarum decidi poſſe videtur: utcunque id pleniùs excutiemus in ſequenti charactere: quo corpus noſtrum in cœlis dicitur conforme glorioſo Chriſti corpori. Interea, id ratum fixúmque maneat, Corpora Beatorum eſſe aliquo modo lucida & fulgida: atque eo modo glorioſa.

SUCCEDIT tandem Character ille ultimus & illuſtriſſimus, *De conformitate corporis noſtri cœleſtis ad glorioſum Chriſti Corpus.* Hæc nota priorem confirmat: & præterea indicat lucem illam inhærere vel inhabitare ſanctorum corpora in cœlis, & ab interno manare fonte & principio. Chriſtus enim, dum in terris eſſet, ſe totum lucidum reddidit in ſuâ transfiguratione: non lumen aliunde illapſum reflectendo: ſed ex ſeipſo virtutem illam emiſit, quâ corpus, vultum, & veſtitum, gloriâ imbuit: luce Phil. iii. 2. 1 Cor. xv. 48. 49. 1 Joh. iii. 2.

Mat. xvii. 2. inundavit & immerſit: ἔλαμψε τὸ πρόσωπον ἀυτȣ̃ ὡς ὁ ἥλιος· τὰ δὲ ἱμάτια ἀυτȣ̃ ἐγένετο λευκὰ, ὡς τὸ φῶς. *Fulſit facies ejus ut Sol: Veſtimenta autem ejus candicabant, ut Lux.* Sic ait Evangeliſta.

DEIN, poſt ſuam Reſurrectionem, aliá atque aliá formá comparuit. (*Mar.* xvi. 2. *Luc.* xxiv. 16. *Joh.* xx. 15. & xxi. 5.) ſe viſibilem aut inviſibilem præſtitit, pro arbitrio: *Luc.* xxiv. 31. Clausíſque foribus, bis ingreſſus eſt ædes, ubi erant Diſcipuli: *Joh.* xx. 19, & 26. Et tamen ſe præbebat oſſeum & carneum ſuis Diſcipulis, ut, iis dubitantibus, fidem faceret ſuæ reſurrectionis. * Quibus indiciis ſatìs oſtendit, ſe corpus

---

* *Clem. Alexandr. Strom.* 6. *p* 649. ἔφαγεν γὰρ ȣ̓ διὰ τὸ σῶμα, &c. Comedebat enim non proper corpus, quod ſanctâ virtute continebatur: ſed ne iis qui cum eo verſabantur, in mentem veniret de eo aliter ſentire: Sicut certè poſtea quidam ſuſpicati ſunt eum apparuiſſe ut viſum & phantaſma. *Origen. apud Hieron. in Proœm. ad lib.* xviii. *in Iſa.* Comedit poſt reſurrectionem ſuam, & bibit, & veſtitus apparuit, tangendum ſe præbuit, ut dubitantibus Apoſtolis fidem faceret reſurrectionis. Sed tamen non diſſimulat naturam aërii corporis & ſpiritualis: clauſis enim ingreditur oſtiis, & in fractione panis ex oculis evaneſcit.

" Pariter Damaſcenus hoc eum feciſſe ait, ȣ̓ νόμῳ " φύσεως, οἰκονομίας δὲ τρόπῳ τὸ ἀληθὲς πιςȣ́μενος τῆς ἀνας᾽ά- " σεως. De *Orthod. Fid. lib.* 4. *c.* 1."

" Citantur præterea in hunc ſenſum *Theophyl.* in " *cap.* xxiv. *Lucæ, & Beda in cap.* xx. *Johan. apud* " *Gerard. tom.* 9. *p.* 672. *med.*" *Chryſoſt. hom.* 87. *cod. Gr. in Johan.* ἄξιον δὲ διαπορῆσαι, πῶς *&c.* Dignum autem

corpus ſuum in tenue & volatile reſolvere; aut in concretum craſſiúmve recolligere potuiſſe.

Denique, cùm aſcendit in cœlum, more alitis Angeli, quale fuit ipſius corpus aut vehiculum? Erat leve & mobile inſtar currûs ignei, quo vectus olim Elias, cœlum vivus adiit. Pariter cùm poſtea viſus eſt Chriſtus à Sancto Johanne in Patmo, *Oculi erant ut flamma ignis: pedéſque* Apoc. i.
ſimiles chalcolibano, velut in fornace ardentes. 14, 15.
Ut antea fuerat à Daniele viſus Dan. x.
Filius hominis. Denique rediturus eſt tan- 5, 6.
dem in eâdem formâ glorioſâ, lucidâ, flammeâ: aliter habitantibus terram haud viſibilis eſſet in alto æthere, nocte dieque. Quinetiam illa *Gloria Patris*, quâcum appariturus dicitur, eſt ipſiſſima hæc forma lucida: prout Pater, vel *Antiquus dierum*, ab

autem dubitatione, quomodo corpus incorruptibile formam clavorum acceperit, & mortali manu tangi potuerit. Sed hoc te non perturbet, *hoc enim permiſſionis fuit: (vel condeſcenſionis*, συγκαταβάσεως) Corpus enim tam tenue & leve, ut clauſis januis ingrederetur, omni craſſitudine carebat: ſed, ut reſurrectio crederetur, talem ſe exhibuit. *Sanct. Auguſt. de Civ. Dei, lib.* xxii. *c.* 19. Claritas in Chriſti corpore cùm reſurrexit, ab oculis Diſcipulorum potiùs abſcondita fuiſſe, quàm defuiſſe, credenda eſt. Non enim eam ferret humanus atque infirmus adſpectus, quando ille ita à ſuis deberet attendi ut poſſet cognoſci. *Noluit ſe tangi*, Joh. xx. 17. *Quòd non eſſet in ſtatu tangibili & palpabili, ut antea: jam redux à mortuis & aſcenſurus ad Patrem.*

Dan. vii. 9, 10. ab eodem Prophetâ deſcribitur: cum apparatu flammanti & luminoſo.

Atque ut hæc finiam, adjicere libet, Gloriam Dei, quæ dicitur ab Hebræis *Shechinah*, שכינה & eſt præſentia Dei Majeſtativa, habere ſemper ſpeciem Lucis, flammæ, aut candentis nubis. Ut in Itinere ex Ægypto, & in Sancto Sanctorum. Eademque res quæ dicitur *Gloria Dei*, dicitur etiam Nubes, vel Nubes lucida: *Num.* xii. 5. & xvi. 19, 42. *Mat.* xvii. 5. *cum* 2 *Pet.* i. 17. Multiſque aliis in locis, in utroque fœdere, patet, Gloriam Dei, vel glorioſam ipſius præſentiam, materiâ aliquâ lucidâ flammeâ, aut candenti exhiberi. Erat autem hujus gloriæ divinæ, hujuſce *Shechinah*, eximium habitaculum Corpus Chriſti, & quaſi Sanctum Sanctorum in quo hæc gloria clarius elucebat. Ad quod etiam ſæpius alludi ſolet ab Authoribus ſacris, *Joh.* i. 14. *Hebr.* ix. 11. *Apoc.* xxi. 3. His ita expoſitis, Statuendum eſſe videtur, Corpus Chriſti glorioſum quod in cœlis gerit, eſſe inſtar flammæ, ætheris, aut lucis liquidæ; ac proinde corpus noſtrum cœleſte non diſſimilis eſſe materiæ: quandoquidem eidem futurum eſt conforme. Et revera, ſi * rationem & Philoſophiam conſulas, aliud genus materiæ vix poteſt ſubſiſtere, aut ſe ſuſtinere,

* "Vid. Origen. cont. Celſum, lib. 3. m. p. 136."

ſuſtinere, in cœlis & regionibus æthereis: ubi omnia ſunt liquida, omnia tenuiſſima. Denique, cùm in cenſu & ordine Corporum, aut in naturâ materiatâ, nihil norimus glorioſius Luce & Flammâ: ex iis conſtare corpus Chriſti glorioſum, noſtrúmque, pro ſuo modulo, donec quid præſtantius extiterit, æquum eſt ut judicemus.

NON alienum eſſet à ratione, aut à ſacris literis, forſan dices, gloriam corporis Chriſti in cœlis hoc modo exponere, niſi obſtaret recepta doctrina de *carne* & *ſanguine* Chriſti, etiam in ſuo corpore cœleſti remanentibus. Reſpondeo, aliud atque aliud ſenſiſſe Patres, aut dubios hæſiſſe, in hoc argumento de carne & ſanguine cœleſtis Chriſti corporis. Negant, ut nôſti, omnes Origeniſtæ, atque multò aliter philoſophantur. Præterea, Patribus ſecundæ Synodi Nicænæ, inter illas definitiones & capita * Concilii Conſtantinopolitani (quod dicitur Iconoclaſtarum) quæ publicè relecta

* *Ει τις ȣ̓χ ὁμολογεῖ τὸν κύριον*, &c. Siquis non confeſſus fuerit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum poſt aſſumptionem animatæ rationalis & intellectualis carnis, ſimul ſedere cum Deo Patre, atque ita quoque rurſus venturum cum Paternâ Majeſtate judicaturum vivos & mortuos, non amplius quidem carnem, neque incorporeum tamen; ut videatur ab iis à quibus compunctus eſt, & maneat Deus extra craſſitudinem carnis; Anathema ſit.

approbârunt,* Illud erat unum, Chriſtum cum Patre jam ſedere, & tandem huc rediturum, οὐκ ἔτι μὲν σάρκα, οὐκ ἀσώματον δέ· *Non ampliùs quidem carnem, nec tamen corpore vacantem :* nempe ſubtili & ſinè craſſitie. Sequitur enim, *ut & ab his, à quibus compunctus eſt, videatur : & maneat Deus extra craſſitiem carnis.* Quid his apertius ? Notandum etiam, hæc verba, οὐκ ἔτι σάρκα, οὐκ ἀσώματον δέ, quæ ad cauſam noſtram proximè ſpectant, ipſiſſima eſſe Gregorii Nazianzeni verba, de eâdem tractantis materia : Nempe in Orat. xl. versùs finem, hæc habet de Chriſto, καὶ ἀναστάντα τριήμερον ἀνεληλυθέναι, &c. *Tertio demum die ad vitam rediiſſe atque in cœlos aſcendiſſe : ac denique glorioſum & illuſtrem rediturum, ut de vivis ac mortuis judicium ferat,* οὐκ ἔτι μὲν σάρκα, οὐκ ἀσώματον δέ· *non ampliùs quidem carnem, nec tamen vacantem corpore : Sed auguſtius diviniúſque corpus habentem, qualéque ipſe ſolus novit : ut & ab his à quibus punctus eſt, videatur, & Deus omnis molis & craſſitiei expers maneat.*

FRUSTRA

* Μέχρι τούτων εὐγνωμονοῦσι, &c. Hucuſque rectè ſentiunt, & Patrum traditionibus convenienter dicunt ; imò potius tanquam propria dogmata aſſerentes, ſibi laudem & gloriam vindicant. *Ita loquuntur ore Epiphanii. L' Abbè Conc. Nic. 2. Act. 6. tom. 6. p. 541.*

FRUSTRA laborant Doctores Pontificii, ut hæc verba, οὐκ ἔτι σάρκα, ad ſenſum metaphoricum, vel aliquo modo figuratum, detorqueant: ad ſignificandum nempe, non ſubſtantiam carnis, ſed ipſius affectiones & infirmitates. Ea verò quæ ſequuntur verba, tam in dictis Conciliis, quàm in Greg. Nazianzeno: illic, *ut maneat Deus extra craſſitudinem carnis:* in altero, *ut Deus molis omnis & craſſitiei expers maneat.* Hæc, inquam, verba planè indicant, σάρκα, *carnem,* hìc accipi phyſicè, & ſecundùm naturam ſuam ſpecificam: quatenus opponitur materiæ tenui & liquidæ: atque eo ſenſu negari carnem de corpore Chriſti in Cœlo; ſuffragiis & conſenſu, ut vides, duorum Conciliorum.

DENIQUE, dixi nonnullos è Patribus dubios eſſe in hoc capite; Idque notiſſimum eſt ex reſponſo Sancti Auguſtini ad Conſentium, qui hanc illi propoſuerat quæſtionem, *Utrùm nunc corpus Domini oſſa & ſanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta?* Cui quæſito cùm generaliter & ex parte reſpondiſſet Auguſtinus, ſubdit, *Fides adſit, & nulla quæſtio remanebit: niſi fortè de ſanguine requirendum eſt: quia cùm dixiſſet,* palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, *non addidit ſanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere: & de compendio, ſi placet, finita ſit quæſtio.* *Epiſt.* 146.

Fortaſſis enim acceptâ occaſione ſanguinis, urgebit nos moleſtior perſcrutator, & dicet, ſi ſanguis, cur non & pituita? cur non & fel flavum & fel nigrum? quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam Medicinæ diſciplina teſtatur. Sed quodlibet quiſque addat, corruptionem addere caveat, ne ſuæ fidei ſanitatem caſtitatémque corrumpat.

Vides hic cautum dubiúmque hærere Sanctum Auguſtinum: & docilem, ſed ancipitem, Conſentium; Nonnulli quidem audentiùs craſſiúſque loquuntur de Glorioſo Chriſti corpore: non diffiteor: ſed aliis in alios impræſentiarum libratis, pergamus, ſi placet, in argumento. Quicquid enim ſtatuerint, ſive Concilia, ſive Patres, cedendum eſt ſacris literis & rationi.

Secundo igitur dico, vel ex dictis repeto, *Carnem & Sanguinem*, ſecundùm A-
1 Cor. xv. 50. poſtolum, *hæreditare non poſſe regnum Dei.* Hæc verba, ſi literaliter accipiantur, & ſignificatu proprio, κυριολέκτως, res confecta eſt. Ita verò accipi debere hoc in loco, ſecundùm receptas interpretandi leges, ſatis, ni fallar, ſuprà demonſtravimus.

Tertio denique, Rationi repugnat & rerum naturæ, ut caro & ſanguis ſint incorruptibiles: quale nunc eſt corpus Chriſti, & erit olim corpus noſtrum in cœlis. Sed reſpondebis forſan, non eſſe quidem incorruptibiles, ſuâ naturâ, carnem & ſanguinem;

guinem; ſed reddi poſſe incorruptibiles: manente, ſalváque eorum naturâ ſpecificâ. Hoc eſt quod nego: In hâc parte diſſentimur: & ne dolus lateat in generalibus, age, ſi placet, rem paucis aperiamus, ut de ſtatu quæſtionis manifeſtiùs conſtet. Quodlibet genus corporum habet ſuas proprietates: quarum nonnullæ ſunt accidentales & mutabiles: aliæ eſſentiales & immutabiles: quibus nempe abolitis aut immutatis, materia illa deſinit eſſe corpus ejuſdem generis & naturæ, cujus erat antea, transítque in aliam claſſem aut ordinem corporum. Exempli gratiâ, cùm herbæ quas comedimus, convertuntur in ſanguinem & carnem: non ſunt (licèt eadem maneat materia) ampliùs herbæ, ſed caro & ſanguis: alterius planè generis & naturæ corpora. Pariter, cùm caro & ſanguis viciſſim convertuntur in herbas & gramina: quod utique non raró fit, cùm humus pingueſcit ſanguine & cadaveribus: ita converſi deſinunt eſſe caro & ſanguis. Cùm Chriſtus in nuptiis Canæ vertit aquam in vinum, manſit eadem materia, ſed aliter modificata: & propter novas illas modificationes, nomen & naturam aquæ perdidit.

Dic igitur, ſi placet, & ne nos ludas, quæſo, verbis: Quam mutationem fieri velis in partibus & particulis carnis & ſanguinis, ut ex materia corruptibili fiant incorruptibiles?

corruptibiles? Salvâ naturâ carnis & ſanguinis. Vel, ſi id tibi potius fuerit, Dic quas proprietates aut conditiones carnis & ſanguinis eſſentiales eſſe velis & inſeparabiles: Quibus nempe conſervatis, manent ſemper caro & ſanguis: iiſdémque ablatis, pereunt, vel in aliud genus corporum tranſeunt. Si hæc te neſcire dixeris, te neſcire fateris, an id fieri poſſit, quod factum aſſeris: Quod temerarii & præcipitis eſſe videtur. Sed age, experiamur adhuc ſi, alio modo, in apricum proferre licuerit latentem veritatem. Dic ſi placet, ex quibus principiis aut ſtaminibus conſtet ſanguis. Nôſti, quæ apud omnes ferè recipiuntur ſanguinis principia: nempe ſal, ſulphur, ſpiritus, aqua, terra. Sive verò hæc ſumpſeris, ſive alia, mihi perinde eſt: modò ſint nota, determinata, & terreſtria. His interim poſitis, quæro, velíſne has partes, hæc principia manere in tuo ſanguine cœleſti. Putéſne Corpus Chriſti in cœlis compoſitum eſſe ex ſale, ſulphure, aquâ & terrâ? Niſi hæc retineat ſtamina & principia fundamentalia, ſanguis tuus cœleſtis, non erit ſanguis: niſi æquivocè & καταχρηστικῶς, neque enim ſubſtantiam ſanguinis habebit. Et hæc ſi retinet, non erit corpus cœleſte & incorruptibile.

NOTANDUM enim: poſitâ hâc materiâ ſanguinis, ipſius forma conſtituenda eſt in debitâ miſtione & texturâ harum partium

aut

aut principiorum. Sed quamcunque miſtionem aut texturam finxeris, erit diſſolubilis: imò diſſolvetur & diſſipabitur, ut lignum aut ſtipula in igne, à materiâ cœleſti, circumfusâ & intercurrente. Poteſt quidem conſervari, potentiâ divinâ, incorruptus: ut etiam ſanguis hodiernus: ut puerorum corpora in fornace Babylonicâ: ſed erit uſque ſuâ naturâ corruptibilis; modò iiſdem conſtet elementis, quomodocunque miſtis, quibus ſanguis noſter conſtituitur.

QUOD verò de *Sanguine* diximus, idem de *carne*, ſervatâ proportione, dici poteſt; Neque opus eſt eadem hîc fila retexere, aut conſimilem Analyſin inſtituere. Satìs eſt obſervemus: ſi mollities & humiditas maneant, manebit etiam corruptibilitas. Quòd ſi fiat dura & ſicca, naturam induet lapidis, aut vitri: aut ſaltem erit inſtar Mumiæ, in Arabicis aut Ægyptiacis arenis exiccatæ & induratæ. Hæc autem, cúm aliena ſint tam à ratione quàm à fide, non operæ eſt ulteriùs proſequi.

INTEREA dictorum in hoc argumento hæc ſumma eſt & concluſio. Corpus Chriſti glorioſum in cœlis non conſtare compage aliquâ oſſium, carnis, & ſanguinis: cæteríſve humoribus aut viſceribus terreſtris & hodierni corporis. Sed præſtantioris eſſe materiæ, alîus indolis, puritatis, & perfectionis. Ut verbo dicam, conſtat ex materiâ

riâ penitùs cœleſti, tam quoad ſubſtantiam, quàm accidentia. Denique, gloria hujus corporis cœleſtis, externa & viſibilis, in eo propriè conſiſtit, quòd ſit Luminoſum, atque ſuis radiis illuſtre. *Suis*, inquam, radiis: non mutuatitio lumine, tranſmiſſo, aut reflexo: ſed innato & vivo: inſtar fontis vivæ aquæ. Atque hujus illuſtris gloriæ Chriſtus è cœlo ſpecimen dedit, cùm Saulum allocutus eſt, & emiſſis radiis, quaſi fulgure, occæcavit & proſtravit, *Act.* ix. 3. περιήστραψεν αὐτὸν, inquit Apoſtolus, φῶς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ· Καὶ πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν, &c. Lumen ſpargebat vel effundebat Corpus Chriſti glorioſum, luce Solis meridianâ clarius & fortius. Confer *Act.* ix. 17, 27. cum *Act.* xxii. 6. & xxvi. 13.

Hic mihi videtur habitus ſtatúſque proprius glorioſi corporis Chriſti. His tamen non obſtantibus, facilè concedimus penes eſſe Chriſtum, ſempérque fuiſſe, in quamcunque voluerit formam, & quodcunque temperamentum, corpus ſuum, vel partem corporis, tranſmutare. Dum in terris ageret, obambulavit undis, & non ceſſêre levi corpori: per quadraginta dies ἄσιτος καὶ ἄποτος permanſit: poterátque corpus ſuum ἀπαθὲς reddere. Reddidit utique rarum, denſum: grave, leve: lucidum, opacum: viſibile, inviſibile: pro ſuo beneplacito. Multò magis nunc potens eſt ſui corporis in cœlis: & materiam ſequacem in ſanguinem aut

aut quemlibet ſuccum; in carnem aut quamlibet concretionem, pro arbitrio poteſt convertere. Proinde eâ de re non diſceptatur, nec de potentiâ Chriſti, aut in elementa externa, aut in ſuum corpus: ſed de ſtatu ipſius proprio, & de formâ illâ quæ dicitur *Glorioſa* & *Cæleſtis:* Hæc, inquam, non eſt oſſea, carnea, aut ſanguinea: ſed liquidæ lucis & ſtellantis auræ congeries; prout dignitati ſuæ divinæ, & regionibus Æthereis, ubi reſidet Chriſtus, eſt maximè conſentaneum.

Hæc dicta ſunt, quà potui brevitate & perſpicuitate, de materiâ & formâ corporis Chriſti in cœlis: atque etiam Corporis noſtri, eidem, per vim ſuam divinam conformandi. Horum utrumque deprehendimus, facto examine, *Inorganicum*, & *Inconcretum:* At licèt hoc examen per characteres & indices è ſacris literis depromptos, exactoſque ad rerum naturam, inſtitutum fuerit, adeò tamen aſſueti ſumus corporibus craſſis, ex carne & oſſibus, & ſolidorum membrorum compage, conſtitutis, ut vix aliud genus Corporum animatorum concipere valeamus, aut probationibus quibuſcunque aſſenſum præbere. Quiſquis verò mediocriter verſatus fuerit in ſcriptis veterum Philoſophorum: aut etiam perlegerit quæ philoſophantur Patres Chriſtiani de Angelis & Dæmonibus, ab iſthoc præjudicio haud difficulter liberabitur. Quare il-

lis

lis author ſum, ut primùm expendant, num Angeli habeant Corpora: Dein qualia ſint. Quoad prius, habes veterum Patrum, Græcorum maximè, ſuffragia & conſenſum de Angelorum corporibus: prout alibi oſtenſum eſt. Dein, qualia ſint illa corpora Angelorum, diſces ab iiſdem Patribus Græcis, & inter Latinos ab Auguſtino, multis in locis: *Libro de Gen. ad Lit. in Epiſtolis: de Civ. Dei:* & alibi ſparſim. Docent nempe omnes, ea eſſe ſubtilia & tenuia, inſtar aëris aut ætheris: puriora bonis Angelis, malis craſſiora. Receptâ hâc doctrinâ Patrum, & eorum authoritate, quaſi ſecundariâ, (Primaria enim eſt illa ſacræ ſcripturæ, & rationis atteſtantis) diluetur & evaneſcet vulgare illud præjudicium, *Unicum eſſe genus Corporum animatorum*, Organicum ſcilicet, & materiæ concretæ, ut eſt hodiernum: carnoſum & membroſum. Eſt aliud genus corporum, ſortis & ordinis cœleſtis, qualia habent Angeli, & habituri ſumus nos ipſi, cùm Angelis erimus pares. Corpora craſſa, gravia & inertia, qualia habemus hodie, ſunt in infimâ claſſe Corporum quæ habitant mentes ſive naturæ rationales. Et quæ conſtant materiâ levi, ſubtili, & mobili, his multò nobiliora ſunt in genere corporum animatorum, & ad omnes actiones, tam corporis, quàm animi, habiliora

biliora & expeditiora. Quinetiam in hoc terreno corpore pars ſubtilis, fluida, & tenuis, quam *Spiritus* appellamus, eſt proprium & proximum vehiculum Animæ: His imperat, his utitur inſtrumentis, ad movendum corporis membra: & à ſubtilitate vel craſſitie, copiâ vel inopiâ, motu regulari vel irregulari Spirituum, pendent affectus & operationes mentis: plùs aut minùs valent vigéntque. Hæc itaque ſyſtaſis, aut collectio ſpirituum & tenuis materiæ, eſt ſedes Animæ, & corpus ſuum primarium & intimum: cui conſervando, integumentum cutis & carnis eſt tantùm inſtar capſulæ aut cruſtæ. Apage igitur vulgare illud deliramentum, ἀφιλόσοφον καὶ ἀθεόλογον, ſinè *ventre* & *viſceribus*, ſinè *carne* & *ſanguine*, nullum eſſe poſſe Corpus Animarum capax, aut cujuſcunque naturæ ſpiritualis habitaculum. *Spiritus*, inquit Luc. xxiv.
Chriſtus, *non habet carnem & oſſa.* Non 39.
dicit Spiritum eſſe ἀσώματον, *ſinè Corpore*, ſed non habere corpus carneum & oſſeum. Prout ſuprà dictum fuit de ipſo Chriſto à Patribus, οὐκ ἔτι σάρκα, οὐκ ἀσώματον δέ. Certè Chriſto expeditius fuiſſet dicere, nec minùs ad propoſitum, *Spiritus non habet corpus, quemadmodum me habere videtis*, ſi omni omnino corpore vacâſſet Spiritus: Hoc autem non dixit, ſed *Spiritus non habet carnem & oſſa:* nempe Corpus craſſum, viſibile

&

& palpabile, quale meum eſſe videtis & palpatis.*

HACTENUS quæ maximi ſunt momenti in doctrinâ Reſurrectionis, pro virili explicuimus. Superſunt alia, licèt non ejuſdem ponderis, digna tamen meditatione & examine. Quoniam verò plus nimio jam excrevit hoc caput, reliqua illa, ad hoc argumentum ſpectantia, ſeorſim in ſequenti capite complectemur.

---

* "Denique iiſdem vocabulis, epithetis, appellationibus, quibus utitur Apoſtolus in deſcribendo vel depingendo corpore noſtro futuro, iiſdem ipſiſſimis utuntur philoſophi, cùm corpus illud, quod habituros aiunt juſtos in vitâ futurâ ſive in cœlis, exprimunt & definiunt. Paulus corpus noſtrum futurum appellat cœleſte vel æternum in cœlis; illi pariter οὐράνιον & αἰθέριον inſcribunt, & Terreſtri itidem opponunt. Immortale appellat ille & incorruptibile; nec minùs illi ἀθάνατον, ἄφθαρτον, ἄμβροτον, ἀΐδιον. Sydcribus comparat ille, alteri ἀστεροειδὲς nuncupant. Hic lucidum & glorioſum, illi pariter αὐγοειδές. Denique uterque eâdem communi voce & titulo σῶμα πνευματικὸν *corpus ſpirituale* denominant. Dubitari non poteſt, quin idem genus, eadem ſpecies & natura corporum utrobique deſignetur: intelligunt autem philoſophi, ut nôrunt omnes, non craſſum & ſanguineum corpus, nedum machinamentum aliquod durum & organicum; ſed vehiculum, ut appellant, à tenui agilíque materiâ conflatum: ut Animarum ei, in quâ reſident, ſedi (id quod ſæpius repetunt) corpus fiat ſemper congener & cognatum."

CAP.

CAP. IX.

Quodnam Corpus habituri ſimus in reſurrectione: idem vel aliud ab hodierno.

ARGUMENTI de Reſurrectione inſtituti abſolutâ jam parte primariâ, quæ rei ipſius certitudinem & cauſas, novique Corporis materiam & formam continet: ſequitur pars altera & quaſi ſecundaria, quæ cætera ejuſdem ordinis, ſed inferioris loci, perſequitur quæſita. Quale eſt illud imprimis, *Utrùm in eodem Corpore, quod morientes depoſuimus, reſurrecturi ſimus?* Idem *numero* corpus hìc intelligitur, eâdem conſtans materiâ, iiſdémque ipſiſſimis particulis. Hæc eſt quæſtio celebratiſſima, ſed, ut mihi videtur, curioſa magìs, quàm neceſſaria. Quid enim tuâ aut meâ intereſt, ſive eaſdem habeamus particulas, ſive alias non minoris dignitatis & virtutis? vel quid fiat ab exuviis noſtris & cadaveribus,* dummodo habitemus in

* Sed ut ex barbâ capillos detonſos negligimus, ita ille divinus animus egreſſurus hominem, quò receptaculum ſuum conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magìs ad ſe judicat pertinere, quàm ſecundas ad editum infantem. *Senec. Epiſt.* 92.

in luce & inter Angelos? Sed quoniam eâ de re non exiguæ moventur lites, videamus, ſi placet, ſtatum cauſæ: dein in quam partem propendeant Scriptura ſacra & ratio libera.

PRIMO, convenit, opinor, utrinque, quoad corpora eorum qui reperientur inter vivos in adventu Domini: Ea ſcilicet mutatum iri immediatè, manentibus iiſdem particulis, aut earum magnâ parte. Nempe reſolutâ hâc mortali compage membrorum, eadem materia, (ſordibus exceptis) tranſmutabitur in aliam formam & in alias qualitates: utpote in eaſdem quas habent cor-
2 Cor. v. 4. pora immortalia & incorruptibilia. Hoc ab Apoſtolo dicitur, *non exui* corpore, ſed *ſuperindui: ut abſorbeatur mortalitas à vitâ.* Sive, ut *hoc Corruptibile induat incorruptibilitatem.* Qualis quidem tranſitus fieri non poteſt ſinè aliquâ fuſione aut reſolutione partium: ut corpora terreſtria purificantur, aut convertuntur in flammam. Præterea, convenit pariter utrinque, ni fallor, Corpus Chriſti, cùm reſurrexit à mortuis, iiſdem, quibus antea, conſtitiſſe particulis: & cùm aſcendit in cœlum, eaſdem etiam retinuiſſe, & ad puritatem cœleſtem evexiſſe virtute ſui Spiritûs vivifici.

HIS igitur utrinque conceſſis, manet tantùm lis aut dubium de cadaveribus ordinariis: ſive de corporibus vitâ defunctorum quæ computruerunt, diſſoluta & diſ-

ſipata

ſipata ſunt: Partibus eorum aut particulis, mutatis mille modis, diſperſis mille locis. Utrùm hæ particulæ recolligentur ſingulæ, in ſeparatas maſſulas, pro numero corporum defunctorum à principio ad finem mundi. Dein refingetur unaquæque maſſula in membra, & lineamenta, formámque integram priſtini ſui corporis.

Sunt quidem nonnulla ſacræ Scripturæ loca, quæ huic unitati, aut, ut dici ſolet, *indentitati* corporum, hodierni & futuri, favere mihi videntur, ſaltem primâ facie. Chriſtus ipſe de Reſurrectione verba faciens, *Veniet hora*, inquit, *quâ omnes* Joh. v. 28,
qui in monumentis ſunt, audient vocem 29.
ejus, nempe Filii Dei, & prodibunt, &c. Hîc innuere videtur Chriſtus, in reſurrectione ipſa cadavera quæ jacent in Sepulchris, ad vocem ipſius proditura: quemadmodum prodiit è Sepulchro Lazarus, ad vitam reductus. Atque huic conſonum eſt, quod ait idem Johannes in Apocalypſi, *Et reddidit mare mortuos ſuos*, in reſur- Cap. xx.
rectione univerſali. Utrumque Elemen- 13.
tum, Terra & Aqua, quæ abſorbuerant cadavera, eadem reſtituêre: ut animata iterum, ad judicium ſiſterentur. Pariter ejuſdem Prophetæ viſio, vel ſcena Reſurrectionis, idem teſtatur. *Vidi mortuos*, inquit, Ver. 12. &
magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu thro- cap. xi. 18.
ni. Si puſilli manent puſilli poſt reſurrectionem, viderítque Propheta Infantum,

 puerorum,

puerorum, & Epheborum greges, perinde ac adultorum, ante thronum Judicii: illud videtur indicare, Quemlibet habiturum eſſe idem corpus in quo mortuus eſt, ſive puſillum fuerit, ſive magnum.

Cap. xix. 25, 26. Mitto illud *Jobi*, quoniam Hebræi, aliique optimi interpretes, de redemptione & inſtauratione temporali id totum exponunt. Nec utique veriſimile eſt, hominem Arabem alienigenam, idque ante datam Legem, aut tempora Moſis, magìs perſpectum habuiſſe myſterium Reſurrectionis, quàm omnes Hebræos, aut Hebræorum Prophetas, à multis exinde ſæculis. Mitto alia in veteri canone & apud Prophetas figuratè adumbrata, quæ huc adduci ſolent. Id propiùs rem attingit, quod, non uno in loco, aſſerat Sanctus *Paulus*, Hæc corpora mortalia renaſci, aut immutatum iri in gloriosâ: & hoc capite ad Corinthios, licèt primo aſſerere videatur *aliud* Corpus ab eo quod cecidit, aut ſatum fuit, renaſciturum: tamen in ſequentibus, ſecundùm vim Literæ, & ſenſum maximè obvium, idem corpus novis qualitatibus imbutum, retinere videtur.

Rom. viii. 11. Phil. iii. 21. 1 Cor. xv. 37, 38.

His dictis Sacræ Scripturæ addunt nonnulli rationes & argumenta, quibus probare ſatagunt idem numero corpus reſuſcitatum iri, & in cœlos evectum, ex æquo & recto jure: Ut ſicut partes ſuas habuit in ſuſtinendis malis, aut peragundis bonis,

in

in hâc vitâ: ita particeps fiat præmii & gloriæ in futurâ. Neque enim æquum eſſe cenſent, aliud certare, aliud coronari: aut quod huic debetur, ſive bonum, ſive malum, in alterum conferri. Atque in hunc lapidem impegere multi Patres.

HÆC autem argumentatio, ut antea monuimus, eſt prorſus ἀνυπόστατος, nulli aut falſo innixa fundamento; neque enim præmii aut pœnæ, doloris, aut gaudii, capax eſt Materia quæcunque: ſemper inſenſilis, ſive in hodierno corpore, ſive in futuro. Anima ſola non tantùm *vult & intelligit*, ſed etiam ſola *ſentit*, ſive dolorem, ſive voluptatem: ſoláque habet affectus, bonos aut malos. Proinde hujus ſolius eſt bene aut malè agere, bene aut malè pati: Peccare aut placere Deo: puniri aut remunerari: Denique, miſera eſſe aut beata, ſolius eſt Animæ. Præterea Corpus noſtrum non eſt quid ſtabile, aut ſemper idem: Sed in perpetuo fluxu, motu, & mutatione. Plura geſſimus corpora in hâc vitâ, ſecundùm decurſum ætatum: & in uno forſan nos bene geſſimus, in altero malè, quomodo reddetur ſingulis par pari? Sed hanc rem antea tetigimus, & levi argumentationi refellendæ non eſt operæpretium diu immorari.

INTEREA, de ſuprà allatis ſacræ Scripturæ locis, quæ præ ſe ferunt, fore idem, quoad ſubſtantiam, corpus noſtrum mortale & immortale, Quid ſtatuendum? Uti-

 que

que adhærendum eſt Literæ, modò cætera conſentiant, & nihil ei adverſetur ex parte rei, de quâ tractatur. Diſpiciendum itaque imprimis, Quid in ſe contineat & includat illa ſententia de *identitate utriuſque Corporis*, terreſtris & cœleſtis: quæ commoda aut incommoda, & ſiquæ etiam repugnantia. Paulò ſuprà notavimus, Corpus noſtrum in hodiernâ vitâ eſſe multiplex: diſſipatur & reſarcitur indies, & poſt aliquot annos fit ex integro novum. Proinde in curriculo totius vitæ, ſex aut ſeptem habemus diverſa corpora; & adhuc quidem plura, ſi vivaces & longævi ſimus.

Mat. xxii. Hoc facit ut mihi veniat in mentem quæſtionis à Sadducæis malè propoſitæ, de fœminâ quæ ſeptem habuiſſet maritos: Quemnam ſcilicet ex iis habitura eſſet in Reſurrectione. Fœmina illa ſit Anima, quæ ſeptem habuit corpora, quaſi conjuges: Quæritur, ex his ſeptem quodnam habitura ſit in Reſurrectione? omnia enim habuit. Illud è ſeptem, opinor, dices, quod habuit ultimum. Cæterùm fieri poteſt, Animam multo plus boni aut mali perpetrâſſe in alio corpore, quàm in noviſſimo: proinde illud aliud potiùs ſocium habere deberet ſuæ gloriæ aut miſeriæ. Præterea, dedecet aulam cœleſtem, cœtúſque Angelicos, corpus aut vietum & attritum, aut puſillum & infantile: & in horum alterutro maxima pars humani generis fatis concedit.

Quòd

Quòd ſi corpuſculum illud infantile ad florem ætatis promovere velles, aut eodem reducere Corpus ſenio confectum, tot tantiſque opus eſſet additamentis & interpolationibus, ut, inſtar navis Argûs centies reparatæ, nomine tenus tantùm idem eſſet corpus. Denique mallem ego ædificium de cœlo novum, quàm tugurium terrenum quomodocunque adauctum aut refarcitum.

Secundo notandum, cùm idem *numero* corpus repoſcitur in reſurrectione, poſcitur ſaltem ut iiſdem *genere* partibus conſtet: iiſdem viſceribus, humoribus, & membris, quibus antea conſtitit in vitâ mortali. Sed quî hoc fieri poſſit non video, quum manifeſtum ſit ex ſacris literis, nonnulla viſcera & membra abolitum iri: utpote *ventrem*, cum iis quæ ad ventrem ſpectant, aut ſub ventre ſunt.* Præterea, *carne* & *ſanguine* non conſtiturum eſſe corpus cœleſte, ſuprà, ni fallor, luculenter oſtendimus. Nec denique conſtructione quâvis organicâ. Ut ſaltem formâ idem eſſe non poſſit, quamvis idem eſſet materiâ. Miror equidem nonnullos, eò, dicam audaciæ, vel temeritatis, perveniſſe, ut eaſdem partes omnes,

* Nullum fore ſexuum diſcrimen, ſtatuunt *Athan. Serm.* 3. *contra Arian. Hilar. Can.* 23. *in* Matth. *Baſil. in* Pſal. cxiv. *Theodor. quæſt.* 37. *in* Gen. *Macar. Hom.* 34.

Gulam, viſcera, & totam ſupellectilem culinariam: dein, ſexuum diſcrimina, & apparatum utrinque liberis procreandis inſtitutum: denique, partes quæ habentur excrementitiæ, dentes, ungues, capillos, barbam: has omnes reſurgere velint, & corpus noſtrum cœleſte conſtituere. Hæc olim anſam præbuere nonnullorum dictis vel dicteriis, quorum meminit S. Hieronymus: Si barbam & capillos, inquiebant, habituri ſumus in cœlo, tum *opus erit Tonſoribus.* Si infantes illic erunt, *opus erit Nutricibus.* Si ſanguis retineatur, inquit S. Auguſtinus, quæretur, *cur non & pituita; cur non & fel flavum, & fel nigrum?* Sed viderint ipſi qui hæc audacter ita ſe habere pronuntiant. Me judice, Hæc & hujuſmodi magis decent vitam animalem, quam Angelicam: qualem in cœlo vivent ſancti: *qui ſunt Filii Dei, cùm ſint Filii Reſurrectionis.*

בני אלהים
" Gen. vi.
" Job. i. 1.
" & xxxviii
" 7. Pſal.
" lxxxix. 7.

Neque valere mihi videtur commune reſponſum, Hæc viſcera, has partes, adeſſe quidem in corpore cœleſti, non tamen exerceri, neque ſuis fungi officiis, ut ſolent in hodierno corpore. Sed quorſum adſunt, quæſo à te, ſi nihil agunt; quorſum reſtituuntur partes, quæ futuræ ſunt inutiles? Deus non redundat in ſuperfluis: Et ſi in hoc, quod nunc gerimus, corpore, mortali & imperfecto, nullas habeamus partes, minimas licèt, inutiles aut ſuperfluas: viſne

in corpore multò perfectiori & præſtantiori, totam ferè compagem, vel ipſius partem maximam, eſſe ſupervacaneam? At regeres tandem, has omnes partes ſpectare ad integritatem naturæ humanæ, ideoque non defuturas in cœlo. Itáne verò: ſpectare poſſunt ad integritatem, humanæ naturæ, aut ullius naturæ, partes inutiles? Spectant quidem illæ partes ad integritatem corporis mortalis & terreni: minimè verò immortalis & cœleſtis: Horum autem utriuſque perinde capax eſt natura humana. Nec denique ornatûs causâ ſuperaddi dicas: Quæ enim gratia, quis decor partium, quas indecoras appellat ipſe Apoſtolus? Aut earum quæ alvo reconduntur, aut quæ ingeſtioni aut egeſtioni inſerviunt? * 1 Cor. xii. 23.

Hactenus quæſivimus, Quod Corpus, è multis quæ geſſimus in hâc vitâ: & quas partes iſtius Corporis, reſuſcitata velint: ut ſit, ad eorum mentem, *Idem Corpus.* Quærendum ultimò, Quem modum inſtituant recolligendi has partes, hos pulviſculos

---

* "Humanam quidem figuram Diis ſuis dederunt "Antiqui, præcipuè Epicurei: Quos refutat Cicero, "quòd nec uſus eſſet externarum partium, nec inter- "narum pulchritudo. Nihil autem in naturâ ſuper- "vacaneum. *Nec externa magis quàm interiora pla- "cent, cor, pulmones, jecur, cætera, quæ, detractâ "utilitate, quid habent venuſtatis?* De nat. Deor. l. 1. "ſect. 93. p. 134. Ac ſi nihil eſſe poſſit beatum & im- "mortale, niſi ſit *bipes*, ut idem alibi."

los deſiderati Corporis. Cineres & particulæ Cadaverum multifariàm diſperguntur, per mare, per terras: Neque tantùm per terrarum orbem, ſed etiam in regiones aëris: à calore Solis evecti, in mille plagas diſſipati. Præterea, non tantùm diſſeminantur ſparſim & ſolutè per omnia Elementa, ſed etiam inſeruntur in corpora animalium, arborum, foſſilium, rerúmque aliarum, unde facilè eximi aut extricari nequeunt. Denique, in his migrationibus ex aliis corporibus in alia, novas induunt formas & figuras, neque eandem retinent naturam & qualitates. His poſitis & conceſſis, quæritur à quibus cauſis fiat, & quâ ratione, hæc recollectio partium & particularum uniuſcujuſque corporis, quantumcunque diſſitarum, ubicunque latentium.

NATURAM fruſtra laceſſes, nihil habet virium in re tantâ & tali. Nec ad omnipotentiam divinam provocandum eſt, ſinè causâ juſtâ, dignâ, & neceſſariâ. Quum vero planè inutile ſit, eaſdem (numero aut ſpecie) nos habere partes in corpore immortali, quas habuimus in mortali, circa rem inutilem occupare non licet ſummam Dei potentiam. Apud homines dicitur, *Stultus labor eſt ineptiarum*: apud Deum, ne fando quidem audiendum. Miraculum eſſet, ut ita dicam, operoſiſſimum, omnium cadaverum humanorum, ab origine mundi ad ejuſdem finem, recolligere pulveres

veres & pulviſculos: dein ſeparatim referre unumquemque ad ſuam maſſam vel cumulum: Illámque maſſulam exinde in veterem corporaturam refingere & recomponere; hujuſmodi miraculi, multifarii & ſinè fructu, nullum adhuc novimus exemplum.

Hæc de rei inutilitate & ambagibus: cæterum an ſit in cenſu poſſibilium, à multis ambigitur; quum eadem pars materiæ non poſſit eſſe ſimul in diverſis locis, aut in diverſis corporibus. Aiunt illi Gentes aliquas eſſe Anthropophagos, alios aliis veſcentes: neque eandem numero carnem pluribus ſimul reddi Corporibus, par eſſe, aut poſſibile. Sed quid paucas Gentes memorant? ſumus omnes ἀλληλοφάγοι, alter alterius paſcimur reliquiis. Non quidem immediatè, ſed poſt aliquot tranſmutationes in herbas & animalia, in illis herbis & animalibus majores noſtros comedimus, vel eorum aliquas minutias. Si cujuſque cineres ab exordio mundi aſſervati fuiſſent in ſuis urnis & capſulis ſeorſim: vel potiùs ſi ſingula cadavera in mumiam converſa, manerent magnâ ex parte integra: aliqua eſſet ſpes recuperandi partes bene multas ejuſdem Corporis, abſque alienarum miſturâ. Quandoquidem verò cadavera, ut plurimùm, diſſolvuntur & diſſipantur, partéſque eorum magno ſe corpore miſcent: Exhalantur in aërem, recidúntque in rore &

pluviâ:

pluviâ: imbibuntur à radicibus plantarum, & faceſſunt in gramina, frumenta, & fructus, unde redeunt in orbem ad corpora humana: fieri poteſt, per hunc circuitum eandem partem materiæ plures ſubiiſſe μετενσωματώσεις, plura habitaſſe corpora, quàm Animam Pythagoræ; ſingulis autem horum corporum reddi non poteſt in Reſurrectione. Si reddatur primo Poſſeſſori, quod æquum eſſe videtur, deſiderabitur in cæteris: vel ſi reddatur ultimo, deerit prioribus. Fac ſi placet, exempli gratiâ, primos Adæ poſteros, vel primorum ſæculorum homines, ſua primùm repetere corpora: dein ordine cujuſque ſæculi populos, ſua itidem repoſcere: ſeris nepotibus Adæ, aut ultimis Terræ incolis, vix ſupererunt * dimidiata corpora: præreptis nempe partibus & particulis omnibus, quæ ad majorum ſuorum corpora pertinebant.

DENIQUE, eſt alter adhuc nodus in hâc causâ, nec facilè ſolvendus. Quum partes materiæ tranſeant quotidie ex uno genere

* "In dirutis oppidis & urbibus, quæ in agros campóſque convertuntur: & in regionibus limitaneis & regnorum confiniis, ubi prœlia multa commiſſa ſunt, hujuſmodi tranſmutationes fiunt maximè. De agris Maſſilienſibus poſt prœlium Cimbricum, *vid. Plutar. in vitâ Marii.* Et nota ſunt Poëtæ carmina:

Jam ſeges eſt ubi Troja *fuit: reſecandáque falce*
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

nere in aliud: mutatis earum figurâ, & magnitudine, aliiſque ſubinde qualitatibus: Caro non manet Caro, neque ſanguis, ſanguis, à principio ad finem mundi, vel à cujuſque obitu ad ipſius reſurrectionem. Rem clariùs explico: Quælibet ſpecies, vel ordo Corporum, conſtat ex particulis ſibi propriis: & diſtinctis ab aliis figurâ, mole, motu aut quiete. Quibus particulis certo modo diſpoſitis, debito ſitu, miſtione aut texturâ, fit corpus talis aut talis ſpeciei, ordinis, & nominis. Ponamus itaque carnem, exempli gratiâ, aut ſanguinem, conſtare particulis, ſibi propriis: hæ particulæ non ſunt immutabiles: cùmque, putrefacto cadavere, ſolutæ fuerint, & tranſierint in alia corpora, fieri non poteſt, quin, varios ſubeundo poros, & diſſimiles meatus in corporibus diſſimilibus, figuras & magnitudines mutárint, ceſſeríntque eo ipſo in alîus generis particulas: ac proinde ſi recollectæ eſſent, commiſtæ, non conſtituerent denuo carnem & ſanguinem, ſed alterius generis ſubſtantias aut ſuccos.

Hæc pauca, ni fallor, palàm faciunt, inutile ac operoſum eſſe, ſi non prorſus impoſſibile, ut unum idémque habeamus corpus in hàc vitâ & futurâ; perpenſis ſcilicet omnibus, quæ in illâ *identitate* includuntur. Atque his argumentis adjicienda ſunt illa præterea, quæ ſuprà tractavimus, tam de materiâ, quàm formâ, corporis noſtri

ſtri cœleſtis. Probant enim illa à fortiori non eſſe unum idémque utrumque corpus, ſi neque materiâ, neque formâ conveniant. Proinde connexa & cognata ſunt hæc duo capita, atque ſuum lumen trajiciunt alterum in alterius partes: conſpirant autem manifeſtò in eandem ſententiam, de * diverſitate corporis noſtri mortalis & immortalis: tam ſpecie quàm numero, tam quoad ſubſtantiam quàm accidentia. †

Hactenus examinavimus, Quid Scriptura Sacra, &, ex alterâ parte, quid Ratio

* At dices forſan non fore eandem Perſonam, niſi idem ſit corpus, ſaltem quoad partem ipſius maximam. Imò verò, nullam licèt partem haberet Anima corporis demortui: Quinimo nullum licèt omnino haberet Corpus, eſſet tamen eadem Perſona. S. Paulus ait ſe raptum eſſe in tertium cœlum, & neſciviſſe an in corpore fuerit, vel extra corpus. Ponamus eum raptum extra corpus, ideóne non fuit Paulus adhuc, atque eadem perſona? Chriſtus dixit Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiſo:* Corpus Latronis hæſit in Patibulo, nunquam abiit in Paradiſum: Quemnam itaque aſſumpſit Chriſtus ſecum in Paradiſum, aliam perſonam, vel eandem? Quinetiam Chriſtus ipſe erat idem, ſive eadem perſona in triduo mortis, dum jacuit in iſepulchro ſacrum depoſitum prioris corporis. Adhæc omnes Martyres & Sancti, Prophetæ & Patriarchæ; omnes denique defuncti, ſive boni, ſive mali, ante reſumpta corpora eædem manent perſonæ; ut patet ex cujuſque ſorte propriâ, & ab aliis omnibus diverſâ.

† "Si quem verò tantus inceſſit amor ſui corporis "Terreſtris, ut eo carere nequeat, reſurgat & reddatur ei per me licet ſub eâdem formâ & iiſdem particulis, modò ſtatim immutandum concedat *illud corpus terreſtre* in cœleſte alterius formæ & qualitatum."

tio & natura rei, dictet aut definiat de eodem vel diverſo corpore in hâc vitâ & futurâ, in cœlis & in terris: Quantúmque ex utriuſque teſtimoniis colligere licet, lis hoc modo terminanda mihi videtur; Secundùm hypotheſin literalem Scripturæ, idem corpus quod cecidit, reſurrecturum eſt: Idem cadaver quod jacet in ſepulchro, proditurum eſt. Ad *vocem* Chriſti, vel ad ſonitum tubæ, mare ejiciet mortuos ſuos, terra ſuos itidem: & quodlibet elementum aut regio hujuſce mundi inferioris, quæ abſorbuerat & recondiderat cadavera, in apricum proferet, vel intacta vel redintegrata.

Hæc mihi videtur idea Reſurrectionis in ſacris literis maximè obvia, & vulgo quidem accommodatiſſima: Quam ideo *hypotheſin vulgarem* appellare licet. Sunt autem præterea, in iiſdem ſacris literis, Corporis quod habituri ſumus in Reſurrectione characteres quidam occultiores, qui, rei naturam penitiùs inſpicientibus, ſatis indicant, cùm erimus ἰσάγγελοι, & conformes gloriæ & lumini ipſius Chriſti, alterius ordinis ab hodierno fore corpus noſtrum, &, tam materiâ, quàm formâ, diverſiſſimum ab hâc craſſâ membrorum compage, viſcerúmque & humorum farragine. Ac proinde aliam eſſe doctrinam arcanam, ſive hypotheſin rationalem, aliam vulgarem, in hoc argumento. Idque ſæpe accidit in ſty-

lo

lo ſacræ Scripturæ, rem exprimi aut repræſentari populariter, & ad captum vulgarem, nonnullis in locis: in aliis tamen non deeſſe indicia, quibus ſedulus inveſtigator
1 Cor. ii. 6. latentem veritatem eruere poſſit. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, inquit Apoſtolus. Et inter imperfectos ea quæ commodiùs capi poſſunt. Quo docendi modo & methodo elucere mihi videtur ſapientia di-
Heb. v. 13, 14. vina, quòd ſimul infantibus præbeatur lac, & adultis cibus ſolidus.

Hactenus quæ nobis viſa ſunt graviora capita in doctrinâ Reſurrectionis, Corporúmque ſanctorum in cœlis, quàm fieri potuit paucis & diſtinctè expoſuimus. Idque utramque adhibendo hypotheſin, Vulgarem & Rationalem. Nulli non notum eſt, & in confeſſo, Scripturam ſacram ſæpius ἀνθρωπολογεῖν; more loqui humano, in tractandis rebus abſtruſioribus: Et ni fallor, tam ſcena Judicii generalis, quàm ſcena Reſurrectionis generalis, more humano repræſentatur, in prima ſuâ facie, & apparatu exteriori. Intus autem, ſi introſpicias, eadem quidem res eſt, at ſub aliâ & ſimpliciori formâ. Quòd autem non ſatìs diſtinxerint hanc duplicem hypotheſin Veterum nonnulli, doctrinam Reſurrectionis minùs intelligibilem reddiderunt.

Est aliud præterea obſervandum, unde ſuborta eſt in tractando hoc argumento aliqua obſcuritas aut confuſio: Ex eo ſcilicet,

licet, quòd non ſatìs diſtinxerint iidem Authores Reſurrectionem primam & ſecundam, ex mente veterum: Has enim diſtinxere ex antiquiſſimis Patribus multi, atque aliud nos genus Corporis habituros eſſe in primâ Reſurrectione, aliud in ſecundâ, ſtatuerunt. In primâ quidem, Corpus carneum, oſſeum, & ſanguineum, inſtar hodierni: ſed purius & perfectius, quale fuiſſe creditur Adami corpus in Paradiſo. In ſecundâ autem reſurrectione erit corpus ſpirituale, cœleſte; Chriſti, ſecundi Adami, glorioſo corpori conforme: ſinè carne & ſanguine, quale deſcribitur à Sancto Paulo in ſuo ſermone de reſurrectione ad Corinthios. Atque hæc duo genera Corporum poſt hanc vitam, diſtinguebant Patrum quotquot (utique nec pauci, nec exigui nominis) millenne Chriſti regnum tuebantur. Eâque adhibitâ diſtinctione, quæſtionibus ſuprà propoſitis, de naturâ & de identitate Corporum in reſurrectione, alio atque alio modo reſpondendum, prout de primâ aut ſecundâ reſurrectione quæſtionem intellexeris. Si de primâ, corpus quidem erit carneum, ſed non *Idem numero* cum præcedenti. Si de ſecundâ, erit quidem corpus idem numero cum proximè præcedenti, ſed non carneum, neque terreſtre. Proinde vides in hâc lite nihil certò & exactè definiri poſſe, donec conventum fuerit de ſtatu cauſæ: de unicâ nempe, aut duplici

P reſur-

reſurrectione. Quæcunque autem diſſeruimus ſuprà de reſurrectione, ex characteribus ſacris, reſpiciunt reſurrectionem ultimam & univerſalem, corpúſque cœleſte, quod tunc temporis habituri ſunt Sancti. Hæc enim eſt notiſſima, & in ſacris Literis celebratiſſima Reſurrectio: de quâ etiam ni fallor, ſuam diſſertationem unicè inſtituit Apoſtolus Paulus. De primâ autem reſurrectione, in millenni regno Chriſti, & renovatione rerum, ſequenti capite acturi ſumus: Eaque expoſitâ, quid de totâ hâc materiâ ſtatuendum ſit, clariùs eluceſcet.

INTEREA, rectè dicitur à Tertulliano, *Fiducia Chriſtianorum*, *Reſurrectio Mortuorum.* Quod quidem verum eſt de utrâque reſurrectione: meminitque Author ille primæ reſurrectionis, non ſemel: erat enim Chiliaſta. Proinde Tractatum illum de *reſurrectione carnis* (in quo quidem plus ingenii quàm judicii) æquum eſt interpretemur & intelligamus de primâ reſurrectione, cùm redinduimur carnem, vel corpus carneum: ídque in Terris. Secunda autem reſurrectio eſt *immutatio* potiùs quàm reſurrectio, & tranſitus in vitam Angelicam: vel, ut ipſius verbis utar,* *demutatio in ſubſtantiam Angelicam,*

* Confitemur in terrâ nobis regnum repromiſſum: ſed ante cœlum, ſed alio Statu; utpote poſt reſurrectionem, in mille annos, in civitate divini operis Hieruſalem,

Angelicam, & *in cæleſte regnum tranſlatio.* Eodem modo apud Juſtinum Martyrem, cùm de Reſurrectione primâ agitur, dicitur *Reſurrectio carnis*, nempe in Millennio (*p.* 307.) atque Reſurrectionem illam primam fore carnalem probat *Iræneus*, *l.* v. *c.* 33.

Sed ut redeamus ad dictum illud Tertulliani, *Fiducia Chriſtianorum, Reſurrectio Mortuorum:* Spes noſtra, vita noſtra, Chriſtus: qui ſuâ vi & voce mortuos in lucem revocat, Ipſe caput & primitiæ Reſurrectionis. Eſt autem illa dies Domini tempus retributionis Juſtorum & reſtitutionis omnium. Adventus Chriſti, ſive Meſſiæ, ſpes erat & expectatio omnium bonorum: Ipſius natales celebrârunt Angelorum exercitus: clamantium, *Gloria in excelſis: Pax in Terris.* Sed quanto major erit gloria in cœlis, quanto major pax in terris,

ruſalem, cœlo delatâ: quam & Apoſtolus *matrem noſtram ſurſum* deſignat, *&c.* Hanc dicimus excipiendis reſurrectione Sanctis, & refovendis omnium bonorum, utique ſpiritualium, copiâ, in compenſationem eorum, quæ in ſæculo vel deſpeximus, vel amiſimus, à Deo proſpectam. Hæc ratio regni terreni, poſt cujus mille annos, intrà quam ætatem concluditur Sanctorum reſurrectio, pro meritis, maturiùs vel tardiùs reſurgentium: tunc & mundi deſtructione, & judicii conflagratione commiſſâ, demutati in atomo in Angelicam ſubſtantiam, ſcilicet per illud incorruptelæ ſuperindumentum, transferemur in cœleſte regnum. *Tertul. l.* 3. *contra Marc. cap. ult.*

terris, cùm ſecundò advenerit Chriſtus, Angelorum ſatellitio comitatiſſimus? Si ad vocem Mariæ ſalutantis Elizabetham, Johannes, vix dum vivus, in utero ſuæ Matris exultavit: Si tanta fuit virtus Jeſu Infantuli, Jeſu vix dum concepti, vix dum formati, & latentis in viſceribus ſuæ matris, ut eum appropinquantem ſentiret Johannes, quem videre non potuit: quanto magìs advenientem eundem Chriſtum in triumpho, appropinquantem Deum ſentient, & exultabunt mortuorum animæ, quocunque ſtatu repoſitæ: & levabunt capita Juſti cum gaudio, inſtante eorum redemptione. Deus nos celavit, magnâ ex parte, Intermundii, ſive ſtatûs intermedii, à die mortis ad diem reſurrectionis, conditiones: premítque nos malis & miſeriis hodiernæ vitæ: quo magìs eſſemus intenti in ſpem futuræ reſurrectionis; & ſecundum Chriſti adventum (præclaram illam ἐπιφάνειαν) mundíque renovati gloriam, erecti, & exerto quaſi collo, è longinquo expectaremus. Denique cùm hanc habeamus ſpem, hanc fiduciam, perſtemus immobiles in virtute & pietate: *quum ſciamus laborem noſtrum non fore inanem in Domino.*

Luc. i.

Rom. viii. 18, 19, 20, 21, 22.

C A P.

CAP. X.

De Reſurrectione primâ & ultimâ: De cœlo terrâque novis, & inſtauratâ Naturâ: De Chriſti Regno millenni, & de rerum omnium Conſummatione.

RESURRECTIONEM duplicem ſuprà notavimus, primam & particularem, dein ſupremam & univerſalem. Quæ quidem diſtinctio raro occurrit in ſacris literis, &, ni fallor, apud unicum Sanctum Johannem (in ſuâ Apocalypſi explicitè. Neque tamen hoc officit rei veritati, aut alienum eſt à more Spiritûs Sancti. In veteri teſtamento Prophetæ duplicem adventum Meſſiæ non præſignârunt, ſaltem explicitè, & ad captum Judæorum: quibus non innotuit olim, nec dum innoteſcere videtur. Proinde nec cuiquam mirum eſſe debet, multo minùs offendiculo, quòd duplicem reſurrectionem nobis parciùs aut tardiùs revelaverit Providentia: aut quòd myſterium illud reſervârit explicandum per ultimum Prophetarum. Cujus cùm officium eſſet, Eccleſiæ Chriſtianæ fata, ſive proſpera, ſive adverſa, per omnia ſæcula ad conſummationem

rerum, ſuâ Prophetiâ complecti & exponere, locus, tempus, & ratio poſtulabant, ut Millenne Regnum Chriſti, & Sanctorum Reſurrectionem primam, tacita aut intacta non relinqueret. Quocirca ſui vaticinii capite viceſimo, hoc arcanum, à ſæculis reconditum, apertè tandem prodidit & explicuit.

Præterea notandum: Ab hoc errore vel cæcitate Judæorum circa unicum adventum Meſſiæ, profluxere alii errores non pauci. Hinc Glorioſum Meſſiam, & ſtatim ab aditu primo illuſtrem & præpotentem expectabant; Gloriâ ſecundi adventûs in primum malè tranſlatâ, vel utroque in unum eundémque confuſo. Dein alia multa quæ ſpectabant unicè ad ſecundum adventum Meſſiæ, ad *Dies Meſſiæ* promiſcuè & indiſcriminatim referebant. Indè Reſurrectionem fore crediderunt in *diebus Meſſiæ*, ſinè diſcrimine: Novos cœlos atque novam terram: cæteráque fœliciſſimi temporis indicia, quæ à Prophetis narrantur in diebus Meſſiæ futura. Denique עולם הבא *Sæculum venturum*, de quo tot & tanta, in Diebus Meſſiæ collocant. Hæc & alia multa, pacem, juſtitiam, regimen divinum, rerum omnium copiam, in iiſdem diebus futura prædicant Judæi: ídque veriſſimè, ſi ad ſecundum Meſſiæ adventum ea referantur. Diſtingue tempora, & omnia conveniunt: His autem non bene diſtinctis,

diſtinctis, orta eſt in fide Judæorum circa præfata capita, & etiamnum manet, non exigua confuſio.

Non diſſimili modo, quòd Authores Chriſtiani non diſtinxerint primam & ſecundam Reſurrectionem, orta eſt diſſenſio & obſcuritas in doctrinà de conditionibus & naturâ corporum quæ ſumus habituri in reſurrectione. Aliis putà contendentibus pro carne & ſanguine, & compage organicâ: corporibuſque ad inſtar hodiernorum compoſitis & configuratis; dum alii corpora noſtra craſſa in tenuia & ætherea converſum iri ſtatuunt. Horum autem utriuſque dogma verum eſſe poteſt, modò tempora diſtinguas & reſurrectiones. In primâ reſurrectione, cùm vivitur in terrâ, putà *novâ*, corpus noſtrum erit terreſtre, compoſitúmque ad formam hodierni: in fine autem Millennii, cùm aſcenditur in cœlum, mutabitur idem corpus in cœleſte & æthereum: prout ratio loci, & vitæ illius Angelicæ, manifeſtò poſtulant: ut ſuprà dictum eſt.

Hanc autem Aſcenſionem in cœlum & ſecundam Reſurrectionem de quâ loquimur, præcedunt *Mundi renovatio*, & Chriſti *regnum Millenne*, maximi momenti capita: de iis igitur pauca in anteceſſum dicenda ſunt; ſed pauca, inquam, cùm utramque hanc materiam fuſiùs tractaverimus in Telluris *Theoriâ Sacrâ*, *l.* 4.

Finita Conflagratione generali, & per ignes illos extremos in Chaos quoddam redactâ Tellure, ex illo Chao (vi divinâ & conſilio præſidentibus) formanda eſt *nova* Tellus, ad imaginem primigeniæ & Paradiſiacæ. Scilicet ſinè Mari, ſinè Montibus, ruptiſve ſcopulis & ſalebris. Cui reſpondet pariter cœlum *novum*, mite & ſerenum, ſinè meteoris noxiis: & ver perpetuum ſinè viciſſitudinibus temporum, hyemis aut æſtatis incommodis. De quibus Phænomenis novis & hodie inſolitis, eorúmque cauſis, ſatis egimus in Libro præfato.

Theor. Prædic. c. 5 & 9. Hanc Renovationem Mundi futuram, omnis Antiquitas, tam ſacra, quàm prophana, celebravit: ut alibi à nobis oſtenſum eſt. Inter Prophetas veteres, Iſaias, *Cap.* lxv. *&* lxvi. novos cœlos & novam terram, futura bis annunciat. Subdítque indicia renovatæ Naturæ, *longævitatem*, vel potiùs immortalitatem Incolarum: & *animalium indo-* Apoc. xxi. 1. *lem innocuam.* Sanctus Johannes in ſuis viſionibus de novis Hieroſolymis, novos itidem cœlos & novam terram ſe vidiſſe memorat: addítque characterem Telluris novæ, quòd *nullum mare habuerit.* Hæc mundi, ut ita dicam, Reſurrectio, dicitur Mat. xix. 28. à Chriſto παλιγγενεσία. Quà voce includitur mundi ſubintellecti præexiſtentia, interitus, & renaſcentia. Eodem ferè modo Act. iii. 21. dicitur à Sancto Petro, in ſuâ concione ad

Judæos,

Judæos ἀποκατάστασις, *Reſtitutio ad Statum priſtinum.* Et utrobique pro ſuo indice & charactere habet, *Tempus remunerationis :* ideoque ſæculum futurum. Sanctus Rom. viii.
Paulus hanc mundi futuram renovationem 20, 21.
multis in locis ſubindicat: Primò, hodiernam Naturam vanitati ſubjectam eſſe docet, ac liberatum iri à ſervitute & corruptione, cùm filii Dei ſuam accipient libertatem & gloriam. Hunc autem ſermonem Apoſtoli de mundo naturali, explicandum eſſe, ſatìs, opinor, alibi probatum eſt. Denique, τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, *Orbem habi-* *Archæol.*
tabilem futurum : nempe cùm præterierit *Philoſ. l.* 2.
hujuſce mundi ſchema, commemorat idem *c.* 2.
Apoſtolus : Chriſtoque, ut proprio Domino, ſubjicit, *Heb.* ii. 5. 1 *Cor.* vii. 31. Cæterùm his omnibus multo clarior & apertior eſt ſermo Sancti Petri, in ſecundâ ſuâ Epiſtolâ Catholicâ, capite tertio: ubi hanc materiam tractat diſtinctè, & non tantùm novos cœlos & novam terram, futura aſſerit: ſed etiam duo præcedentia commemorat, & diſtinguit in antediluviana & hodierna. Sed cùm hic locus Sancti Petri mihi videatur irrefragabilis, præter ea quæ preſsè diximus, operæpretium erit ei pauliſper immorari.

QUÆ dicta ſunt à Prophetis de novis cœlis & novâ terrâ, hujus ſententiæ adverſarii in allegorias convertunt, atque ita qualitercunque eludunt: Sed dictus ſermo

S.

S. Petri de iiſdem cœlis & terrâ novis, nullâ vi aut arte in allegorias reſolvi poteſt, aut à ſenſu literali detorqueri. Eſt explicitus, ordinatus, & datâ operâ inſtitutus ad probandum rerum naturam mutabilem, mundúmque ſucceſſivè triplicem: Mundum, inquam, *Naturalem*, de quo erat quæſtio cum Irriſoribus iſtis, Ver. 3. Notúmque eſt nomine *cœli & terræ* Hebræos ſignificare Mundum aſpectabilem, ſive rerum naturam. Sed Apoſtoli verba, (Ver. 11, 12, 13.) quæ huc ſpectant, ſi placet, audiamus.

QUUM igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatis officiis. Expectantes & maturantes adventum Diei Dei, in quo cœli igneſcentes ſolventur, & Elementa æſtuantia liqueſcent. Sed COELUM NOVUM ac TERRAM NOVAM ſecundùm ejus promiſſum expectamus: in quibus juſtitia inhabitat.

PLURA ſunt indicia in hoc ſermone Apoſtoli cum præcedentibus collato, quæ voces illas, *Cœlum novum & Terram novam*, ad mundum viſibilem & naturalem reſtringunt: Primò, vis, uſus, & ſinificatio eorundem verborum, vel ejuſdem phraſeologiæ, in antecedentibus. Dein ipſa forma, ſtructura, & contextus orationis, qua exprimitur hæc Renovatio. Denique, Tempus ad quod refertur. Hæc omnia

arguunt

arguunt & teſtantur Apoſtolum hìc loqui de cœlis & terris veris & materialibus, non imaginariis aut allegoricis. Quoad primum indicium, Hæc dictio, ſive hic modus loquendi ter occurrit in hoc ipſo capite: Verſu quinto, *Cœlum & Terra quæ olim extiterunt*, ſive præterita, & Mundus antediluvianus: Dein verſu ſeptimo, *Cœli & Terra quæ nunc ſunt*, hodierna, ſive Mundus poſtdiluvianus. Denique, verſu decimo tertio, *Cœli novi, & Terra nova*, quæ futura ſunt, ſcilicet poſt conflagrationem. Quum verò, ex omnium conſenſu, *Cœli & Terra*, tam in verſu quinto, quàm ſeptimo, literaliter, de materiali & naturali cœli & terræ compage intelligendi ſint: quo jure, quâ lege interpretandi, eadem verba, ſive eandem locutionem, in eodem capite, & in eodem contextu & continuatione argumenti, in alienam planè ſignificationem detorquere poſſumus? Ita ſcilicet ut primo & ſecundo loco, mundum naturalem: tertio verò allegoricum & figuratum intelligamus. Idque ſinè ullo indicio mutati ſtyli, in Authore: & ſinè ullâ, ex parte materiæ ſubjectæ, neceſſitate.

DEIN ſecundò, idem pariter teſtatur forma orationis, & modus quo cohæret aut dependet à precedentibus. Cùm hodierni mundi exuſtionem deſcripſiſſet Apoſtolus, ſubdit, *cæterum*, vel *nihilominus*, expectamus

tamus *novos cœlos & novam terram:* Loco combuſtorum, vel pereuntium, ſubſtituit hos novos cœlos, & terram. Oportet igitur ut ſint ejuſdem generis cum iis qui perierunt: putà materiales, non allegorici. Res ita ſe habet, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, quanquam perituri ſint cœli & terra hodierni, prout jam explicuimus: non tamen hic finis erit rerum (quod forſan ſuſpicabamini) ſed renovatio tantùm: Expectamus enim, ſecundùm promiſſa Dei, alios cœlos & terram, ſucceſſura: in quibus habitabunt Juſti. Denique tertiò, Quandoquidem non niſi poſt conflagrationem generalem extiturus eſt hic mundus novus, vel hæc renovatio, quæcunque demum fuerit: ipſa ratio temporis ſatìs indicat, hanc renovationem exponi non poſſe de renovatione aliquâ Evangelicâ, (ut volunt Allegorici) vel quacunque aliâ in hâc vitâ. Atque hæc argumenta, ni fallor, probant invictè, Cœlos & Terram in hoc ſermone Apoſtolico, κατὰ κυριολεξίαν, ſecundùm verborum vim & rei naturam, accipiendos eſſe.*

HIS

* "Reprehendimus & increpitamus, ídque meritò, "Socinianos maleſidæ interpretationis, cùm ea, quæ "dicta ſunt in principio Evangelii Johannis de mundo naturali, ad mundum moralem & metaphoricum "detorquent. Ii ipſi verò qui hâc in re ***** in eandem ſimilémve culpam & errorem incidunt, dum "ea, quæ apertè dicta ſunt de mundo materiali à "S.

HIS poſitis & conceſſis, ſit hæc prima concluſio, *Mundum naturalem*, *Cœlos & Terram*, *renovatum iri*, *poſt Conflagrationem.* Dein eſto hæc ſecunda Concluſio, in ſubſequentibus probanda: *Millennium*, *ſive millenne Regnum Chriſti*, *in mundo renovato*, *ſive cœlo & terrâ*, *novis*, *celebrandum eſſe.*

MILLENNE Regnum Chriſti pro doctrinâ Orthodoxâ habitum eſt apud primævos Chriſtianos, & aliquandiu obtinuit ſinè labe & ſinè lite; cùm verò hanc doctrinam ex parte corruperant, aut minùs habuerant perſpectam recentiores Millennarii: qui hujuſce regni ſedem in hodiernis Terris, & ipſius fœlicitatem in hodiernâ *vitâ*, conſtituêre: dederàtque hic error fervidis & fanaticis ingeniis, ſpe inani inflatis, tumultuandi cauſas: Probis autem & ſapientibus offendiculum: malè audire cœpit apud plures hoc dogma innocuum, & etiamnum non eſt ſinè omni invidiâ. Quapropter ut his malis occurramus, operæpretium erit, Quid in hâc re ſtatuerint Antiqui Patres: Quando & ubinam futurum duxerint hoc regnum, paucis exponere.

QUOAD

" S. Petro, ad mundum moralem & allegoricum ****
" fidenter enim affero, non magìs clarè & diſtinctè
" deſignari mundum naturalem in principio Evangelii
" Johannis, quàm in dicto capite S. Petri, cùm de
" novis cœlis & de novâ terrâ loquitur."

Quoad rem ipſam, fore tandem millenne regnum Chriſti in Terris, hodiernis aut novis futuris, ex oraculis Prophetarum & Apoſtolorum, ſatis, ni fallor, alibi probatum dedimus. Teſtes etiam adducuntur in hâc causâ Antiquiſſimi Patres, omnium ferè gentium. Græci plures, Latini etiam, & Africani. In hoc numero ſunt imprimis Papias Hierapolis Epiſcopus, Juſtinus Martyr, Sibyllini Carminis author vel interpolator, ante Juſtini tempora: Scriptor Epiſtolæ ſub nomine Sancti Barnabæ, Irenæus, Melito Sardenſis, Methodius: Præterea, Tertullianus, & diſcipulus ipſius Cyprianus, Africani: Nepos, Epiſcopus Ægyptius, Victorinus Petavionenſis & Lactantius, Latini. Hi vixere omnes intrà tertium Eccleſiæ ſæculum: dum magìs integra & incorrupta ſtetit, doctrina * Apoſtolica. Ex his etiam Patribus nonnulli, non tantùm ita ſe ſentire teſtantur, ſed & Eccleſiam ſui temporis, vel alios omnes in fide Chriſtianâ rectè ſentientes: Alii hoc dogma à Sancto Johanne & Apoſtolis traditione receptum affirmant.

Sed præter hæc teſtimonia explicita, & cauſæ, quæ agitur, proxima: conſtat aliunde

* " Vide locum Gennadii. Tractatus Tichonii eſt " in *BB. PP.* & in Orthodoxogr.

unde ab argumentis & indiciis in iſtorum temporum hiſtoriâ fundatis, hoc dogma *de Regno*, ita enim appellatum eſt olim, habitum eſſe Dogma Chriſtianum: ídque tam ab Ethnicis ipſis, quàm à noſtris. Ab Ethnicis, inquam: qui ſibi malè metuebant à Rege, quem venturum expectabant Chriſtiani: Quos ideo ambitionis inſimulabant, aut quòd ſpargerent ſeditionis ſemina, Regnum ſibi in terris olim obventurum pollicitantes. Præfatus Juſtinus in ſuâ Apologia pro Chriſtianis ad Antoninum Pium, quæ eò planè ſpectant, hæc habet verba: ὑμεῖς ἀκούσαντες βασιλείαν προσδοκῶντας ἡμᾶς, ἀκρίτως ἀνθρώπινον λέγειν ἡμᾶς ὑπειλήφατε, ἡμῶν τὴν μετὰ Θεοῦ λεγόντων, &c. *Vos Regnum à nobis expectari audientes, ſinè diſcrimine aut judicio humanum à nobis deſignari ſuſpicamini: cùm nos illud, in quo cum Deo regnaturi ſumus, intelligamus.* Quod ſe cohortari ſæpius ſolerent Chriſtiani, alii alios, ad perpetiendam mortem forti animo: eò quòd Martyres in causâ Chriſti Regno potituri eſſent: hoc de Regno in hodiernâ vitâ interpretabantur Ethnici, ac ſi molirentur aliquid Chriſtiani contra Imperium, aut eo ſe fruituros crederent. Quibus rectè reſpondet Juſtinus in proximè ſequentibus, *Quandoquidem* libenti animo mortem oppetimus in causâ Chriſti, manifeſtum eſt, nullam nobis eſſe ſpem Regni in hâc vita: vel

vel eam ſpem nos temerè, unà cum vitâ, abjicere & excindere.

Præterea, idem arguitur ex actis Domitiani: Quemadmodum enim Herodes, nato jam Chriſto, metuebat ſibi ne Chriſtus ei Regnum eriperet: ob famam ſparſam inter Judæos, Meſſiam, quem tunc temporis expectabant, Regnum Iſraëli reſtiturum: Ita poſtea, ut narrant Hiſtorici, Domitianus Imperator ex ſtirpe Davidicâ ortos è medio tolli juſſit, ac propinquos Chriſti ad examen vocavit, ut rationem redderent de Chriſto & regno ejus, quodnam eſſet, quando, & ubinam locorum extiturum. Cui inquiſitioni occaſionem dedêre ſermones librique * Chriſtianorum de futuro in terris Chriſti Regno.

Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. iii. *c.* 15. " *Vid. etiam* " *Nicephor.* " l. 3. c. 10, " 11.

Hæc

* Chriſtus Dominus nunquam negavit (ſæpe licèt oblatâ, ſi voluiſſet, occaſione) ſe eſſe † Regem, vel habiturum eſſe Regnum. Dixit quidem Pilato, quærenti an Rex eſſet Judæorum, *Regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo*: neque eſt omnino: Regnant enim in hodierno mundo improbi, regnant Satanas & Antichriſtus. Deletis autem his inimicis ſuis, & renovato mundo, in illo venturo regnabit cum ſuis Sanctis. Chriſtus Zebedæis negavit primas ſedes in ſuo Regno, Regnum ipſum non negavit. Pariter Diſcipulis de temporibus regni ſciſcitantibus, tempora quidem tacuit, regnum non renunciabat, *Act.* i. 6. Regnum autem terreſtre, non æternum & cœleſte, à Chriſto ſubintelligi, perinde ac ab illis qui hæc ei proponebant, arguunt illa bona terreſtria & temporalia, quæ promittit memorátve in ſuo regno futuro. Promittit ſuis diſcipulis

† " *Vid. Luc.* " xxiii. " *Act.* xvii. " 7.

Hæc de Ethnicis: Inter Chriſtianos ſuæ fidei in hâc parte id mihi videtur argumentum, quòd *preces fuderint pro mortuis:* Scilicet, ut partem haberent in Reſurrectione primâ. Preces & oblationes pro mortuis, per aliquot ſæcula in uſu fuiſſe prout ſuprà notavimus, nihil mihi dubii eſt: non autem eodem ſemper conſilio, nec eaſdem ſemper gratias & beneficia pro Animabus Defunctorum petebant ſupplices. Ut fruerentur pace & requie, ut immunes evaderent ab extremis ignibus, ut maturè reſurgerent & partem haberent in Reſurrectione primâ, Hæc erant votorum ſumma. Horum poſtremum dicitur apertè à Tertulliano, ubi officium piæ uxoris erga defunctum maritum explicat, his verbis, *Pro animâ ejus orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in primâ reſurrectione conſortium: & offert annuis diebus dormitionis ejus.* Atque alibi *moram reſurrectionis*

Append. ad Cap. iv.

De Monog. Cap. x.

De Anim. Cap. ult.

Q

diſcipulis bona temporalia ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, *Mat.* xix. 28. (quod de mundo renovato intelligendum eſſe, ſuprà notavimus.) Dixítque in ſupremâ cœnâ ſe poſtea *non bibiturum eſſe ex ſucco vitis, donec novum biberit cum illis in regno Patris*, Mat. xxvi. 29. Et eodem tempore ait, (*Luc.* xxii. 29, 30.) *Ego paciſcor vobis, prout pactus eſt mihi Pater meus, Regnum: ut edatis & bibatis in mensâ meâ, in regno meo.* In cœlis neque editur, neque bibitur: Et licèt nonnunquam metaphoricè uſurpentur illæ phraſeologiæ, primariæ tamen verborum ſignificationi adhærendum eſt, niſi depellamur neceſſitate: quæ hîc nulla eſt.

ſurrectionis loco pœnæ habet pro luendis levioribus delictis. Nec diſſimiles effudit preces *Sanctus Ambroſius* pro *Valentiniano* & *Gratiano*, fratribus, præmaturâ morte abreptis: in ſuâ funebri oratione pro Valentiniano ſecundo, quam claudit his verbis: *Te quæſo, ſumme Deus, ut chariſſimos juvenes maturâ reſurrectione ſuſcites & reſuſcites: & immaturum vitæ iſtius curſum maturâ reſurrectione compenſes, Amen.* Atque alibi in eundem ſenſum, diverſos reſurgentium ordines & tempora conſtituit. Denique, in * Liturgiâ antiquâ Gothicâ hæc precum publicarum formula præſcribitur: *Quieſcentium animas in ſinu Abrahæ collocare dignetur Deus, & in partem primæ Reſurrectionis admittat: per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Nempe cùm non crediderint veteres Animas piorum ſtatim à morte in cœlum aſcendere, aut ſummâ protinus frui gloriâ & viſione beatâ: Cúmque reſurrectionem primam ante illud tempus, Regnúmque Chriſti, expectârint: eóque potiri, primum habuerint beatitudinis gradum: Hunc ſtatum, hanc reſurrectionem precabantur ſuis, in Chriſto dormientibus, tanquam pignus futuræ gloriæ, & initiationem quandam ad vitam cœleſtem.

'Loca ſunt, "apud "Daille de "Us. PP. p. "288. ult.

Sed

* " Conſule alias Liturgias, Moſarab. & Ambroſ. " vel Ital. Vid. Daillé de pœn. p. 513. ult.

SED de his ſatìs: cùm non ſit opus pluribus in re notâ & confeſsâ. Nam in ſcriptis veterum quique verſatiſſimi, inter recentiores aut hodiernos authores, licèt non ſtent à partibus Millennariorum, agnoſcunt tamen hoc dogma circa futurum Chriſti regnum in terris, receptum fuiſſe plurimùm, in primis Eccleſiæ ſæculis. Sed non perinde eſt in confeſſo, in quibus terris, hodiernis vel futuris, hoc millenne Regnum Chriſti ſtatuendum ſit. Vulgò creditur à Millennariis recentioribus, in hâc vitâ, & in hodiernis terris, regnaturum eſſe Chriſtum. Sed non ad mentem veterum hoc credunt, ni multùm fallar: nec ad mentem ſàcræ Scripturæ: nec denique ſecundùm ipſius rei naturam. Quoad Millennarios antiquos, quorum ſuperſunt ſcripta, de Renovatione Mundi Naturalis omnes verba faciunt, in adventu Chriſti peragundâ. Juſtinus id non ſemel memorat in Dialogo cum Tryphone: & in novis & inſtauratis *Pag.* 307. Hieroſolymis Millennium collocat, adductis verbis Prophetarum de *novis cœlis & novâ terrâ.* Dein (*pag.* 369.) τὴν τῶν ἁγίων γῆν appellat Terram illam in quâ regnaturi ſunt Sancti unà cum Chriſto. Atque τὴν καινούργησιν, *Renovationem Mundi* (in quo nova Hieroſolyma) Chriſto attribuit non minùs quàm primam Mundi conſtructionem, *pag.* 340.

NON diſſimili modo Irenæus renovationem Naturæ cum temporibus Regni conjungit. *Prædicta*, inquit *benedictio*, nempe Jacobo facta, de fertilitate Terræ: *ad tempora regni ſinè contradictione pertinet, quando regnabunt juſti ſurgentes à mortuis: quando & Creatura renovata & liberata multitudinem fructificabit univerſæ eſcæ, & rore cœli, & ex fertilitate terræ.* Idem vel tantundem affirmat capite ſequenti, & deinceps identidem ad finem Libri.

Lib. v. *c.* 13.

EODEM ſpectare videntur verba Lactantii: *Deus enim veniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato, redivivas juſtorum animas corporibus innovatis ad ſempiternam beatitudinem ſuſcitet.* Denique ſi Gelaſio Cyziceno fides, Patres Nicæni in eâdem fuere ſententiâ, Regnúmque Chriſti & Juſtorum in novâ Terrâ collocârunt, his verbis: Καινοὺς οὐρανοὺς καὶ καινὴν γῆν προσδοκῶμεν, κατὰ ἱερὰ γράμματα· φαινομένης ἡμῖν τῆς ἐπιφανείας καὶ βασιλείας τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, &c. *Novos cœlos & terram novam expectamus, ſecundùm ſacras Literas: cùm apparuerit nobis illuſtris præſentia, & Regnum magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Et tunc, ut ait* Daniel, (*cap.* vii. 18.) *recipient Sancti Regnum Altiſſimi: & erit terra pura, ſancta, Terra Viventium, non mortuorum: quam oculis fidei prævidens* David, *clamat* (Pſal. xxvii. 13.)

Lib. vii. *c.* 22.

Hiſt. Act. Conc. Nic.

13.) *credo videre bona Domini in Terrâ viventium: Terra manſuetorum & humilium. Beati, inquit Chriſtus, mites: quoniam ipſi poſſidebunt Terram. Et Propheta* Iſaias *ait, & calcabunt ipſam pedes manſuetorum & humilium.* Vides, ſecundùm hos Patres, in novis cœlis & novâ Terrâ fore ſedem millennii: nec proinde ante renovationem mundi beatum illum rerum ordinem eſſe expectandum, ex mente veterum Chiliaſtarum. *Cap.* xxvi. 6.

Fateor, antiquos non ſemper convenire de ordine Conflagrationis & Renovationis mundi: quæ prior, quæ poſterior; *Ut ſuprà.* Huic illam poſtpoſuiſſe videtur Tertullianus, ſed malé. Errorémque ſuum facilè corrigere potuiſſet ex verbis Sancti Petri, *2 Epiſt.* iii. 12, 13. Qui, exuſtis Cœlis Terríſque hodiernis, ſtatim ſuccenturiat novos Cœlos, novámque Terram: in habitationem Juſtis. Nec quidem expeditè concipi poteſt renovatio mundi ſinè præcedente conflagratione: vel aliquâ ſaltem concuſſione aut demolitione, quæ genus humanum tolleret. Præſertim Apoc. xxi. 1. ſi, ſecundùm Ideam Sancti Johannis, nova Terra novam formam: orbíſque habitabilis novus nullum mare ſit habiturus. At id forſan occaſionem dedit errandi nonnullis, quòd duplex futura ſit mutatio mundi, altera ad principium, altera ad finem Millennii: Apoc. xx. 11. nempe cùm *fugient Cœlum & Terra: & locus eorum non erit inventus.* Sed hæc fuga Cœli

& Terræ, & loci ſui priſtini derelictio, in fine Millennii futura, neutiquam exponenda ſunt de Conflagratione communi, ſed de mutatione aliquâ inſigniori, qualis, in fine Millennii, ſanctorum etiam corporibus acceſſura eſt, cùm in regiones cœleſtes tranſferentur.

Sed hæc obiter. Pergamus in propoſito, & in quâ Terrâ, hodiernâ vel futurâ, Regnum Chriſti & Sanctorum conſtituunt *Authores Sacri*, jam porrò videamus. Vidit Sanctus Johannes (*Apoc.* xxi. 1, 2.) novos Cœlos & novam Terram: dein vidit Sanctam Civitatem, ſive nova Hieroſolyma, de cœlo deſcendere: putà in illam novam Terram: Quo aliò enim deſcendere potuit? conſtat autem ex capite præcedenti Civitatem Sanctam (eandem cum civitate dilectâ) eſſe Regnum Chriſti, vel ipſius Metropolin: Ad quod conſequens eſt, Prophetam vidiſſe Regnum Chriſti deſcendere in novam terram, ſedem ſuam ibidem habiturum.

Cap. xx. 9. Iſa. lxv. 17, 18.

Præterea, ſeries Viſionum Apocalypticarum, & ſpatia temporum quibus continentur, Millennio, ſuiſque antecedentibus, non relinquunt locum, intrà fines hujuſce mundi. Credo equidem non duraturum eſſe hunc mundum, quantumcunque, in mille annos ab hodierno die. Et ſiqua fides ſexmillenni Prophetiæ Judæorum (quam è Patribus Chriſtianis plurimi ſunt amplexi)

plexi) non ſupereſt ſemimillenium, abhinc ad rerum exitum. Sed his miſſis, conſtat utcunque hanc recentiorum Chiliaſtarum hypotheſin, plus nimio temporis exigere pro reliquâ ætate mundi, ſi rem æſtimemus ex calculis Apocalypticis. Nam ſecundùm illud ſyſtema Prophetiarum, multa ſuperſunt adhuc præparanda & peragunda, antequam incipere poſſit Chriſti & Sanctorum Regnum. Non niſi deleto penitùs Antichriſto, Satanâque ligato, regnabunt Sancti: ſed excidium Antichriſti non pauca debent antecedere quæ nondum completa vidimus. Nondum aſcendêre, aut ſurrexêre, Teſtes: nondum cecidit pars tertia Civitatis: nondum præteriit Væ ſecundum, aut incepit tertium. Quæ omnia memorantur in capite undecimo Apocalypſeωs, ante interitum Antichriſti eventura. Præterea nondum effuſæ ſunt phialæ, capite decimo ſexto: nec quot ſuperſint adhuc effundendæ, certò novimus. Denique, quæ exinde ſequuntur ad caput uſque viceſimum, ubi incipit regnum Chriſti, reſtant exercenda in Antichriſtum, ad diminuendum, & tandem abolendum, ipſius Regnum, parandúmque theatrum in adventum Chriſti. Quanto autem tempore opus erit, ut hæc compleantur ſingula ſuo ordine, vix audeo conjectare: ſed quantumcunque fuerit, præcedere debet beatum

Apoc. xx.

Millennium, atque ætatem mundi tanto longiùs protrahere.

Sed, ut in his complendis non parum temporis elabetur, ita, (ſecundùm eandem Apocalypſin) his completis, ſtatim ſequitur finis mundi: nec locus aut ſpatium relinquitur annorum mille beatitudini. Cùm ſonuit Tuba ſeptima, dicitur inſtare vel adeſſe tempus judicandi mortuos: ideóque
Cap. xi. 18. finis Mundi: nam ante id temporis, mortui non ſunt judicandi. Pariter Beſtia de-
Cap. xix. 20. victa conjicitur in ſtagnum ignis, ardens ſulphure: quod denotare mihi videtur conflagrationem Mundi, ſi cum viſionibus Danielis, (*cap.* vii. 11.) & doctrinâ Sancti Pauli conferatur, 2 *Theſſ.* i. 8. & ii. 8.

Epocha Regni Chriſti & Sanctorum paſſim in ſacris Literis deſignatur per illud indicium, quòd conjuncta ſit cum die judicii, vel, eo præeunte, introducatur. Neque alio opus eſſe videtur argumento, ut doceamur, Regnum illud non expectandum eſſe in hàc vitâ, aut in hodierno ſæculo. Sed loca Prophetarum, ſi placet, Danielis & Sancti Johannis eâ de re paulliſper conferamus. In dicto capite ſeptimo Danielis, à verſu nono ad finem, ſæpius repetitur conſeſſus Judicialis, vel prævius regni Sanctorum, vel cum eodem conjunctus, Ver. 22. cùm venerit Antiquus Dierum, judicium ſimul & regnum tradentur Sanctis. Dein conſidente judicio (Ver.

(Ver. 26, 27.) *Regnum, Dominatus, & amplitudo regnorum ſub toto cœlo dabitur populo ſanctorum excelſorum.* Eodem modo Sanctus Johannes, hàc in re, ut ſolet aliàs, Danielis veſtigiis inhæret: non tantùm quòd deſcripturus Millennium, thronos Judiciales priùs conſtituat, in capite vicеſimo; ſed quòd antea capite undecimo, ut ſuprà notavimus, tam mortuos, quàm vivos judicandi tempus, cum tempore Regni & Dominii Chriſti & Sanctorum connexerat. Cùm ſonuiſſet Tuba ſeptima, magnâ voce pronunciatum eſt in cœlo, *Facta ſunt regna mundi Domini noſtri & Chriſti ejus, qui regnabit in ſæcula ſæculorum.* Dein poſtea, *Advenit præſtitutum tempus ut judicentur mortui, & ut des mercedem ſervis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum. --- Tum apertum eſt Templum Dei, in Cœlo, & viſa eſt Arca fœderis,* &c.

Ver. 4.

Cap. xi. 15.

Ver. 18.

Ver. 19.

Manifestum eſt hìc repræſentari à Prophetâ Regnum & Tempora Regni, ut loquuntur veteres. Reſpondétque hæc idea ejuſdem regni apud Danielem deſcriptioni, in utrâque parte: tam quoad Dominium datum ſanctis, quàm iſtius Dominii tempus: nempe cùm judicandi ſunt mortui. Quod ſolenne tempus cùm non ſit adventurum ante finem mundi, neque ante eundem terminum auſpicabitur Beatum Millennium ſecundùm hæc oracula. Denique

pars

pars ultima deſcriptionis, *De Templo aperto*, & conſpectâ in eo *arcâ fœderis*, de *Schechinah* intelligenda eſt: quòd incubuit arcæ fœderis in Sancto Sanctorum, quòdque illuſtrius adhuc videbitur in Chriſti regno, ac Beato, de quo loquimur, Millennio: prout infrà expoſitum erit.

His notis calculíſque Prophetarum circa tempora Regni, conſona ſunt verba Chriſti, cùm τὴν παλιγγενεσίαν & conſeſſum Judicialem conjungit: *Mat.* xix. 29. *Vos*, inquit, *qui ſecuti eſtis me*, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, in renaſcentiâ vel renovatione rerum, *cùm ſederit Filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis vos etiam in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. Et quiſquis reliquerit domos*, &c. Hìc apparatus Judicialis, ut vides, exprimitur: Chriſtum autem hìc loqui de regno ſuo Millenni, duo teſtantur indicia: Primò, quòd uterque Prophetarum jam dictorum, eodem modo, quo Chriſtus, regnum illud introducat: ut patet ex præcedentibus. Secundò, quòd hanc παλιγγενεσίαν notet & indigitet Chriſtus pro loco & tempore, quibus merces & retributio reddentur ſanctis, & ſervis Chriſti fidelibus. Eundem prorſus ad modum quo dixit poſtea Johannes, idem tempus ſtatúmque delineans, *venit Tempus* judicandi mortuos, & reddendi mercedem ſervis tuis. Conſentiunt itaque authores ſacri in hoc charactere temporis,

quo

quo principium Millennii ultra fines hujuſce ſæculi protenditur.

SED de tempore futuri Millennii ſatis: Redeamus jam ad ipſius ſedem, quam in novis cœlis & novâ Terrâ conſtituimus, ſecundùm viſionem Sancto Johanni factam. Apoc. xxi.
Nec aliter Iſaias Propheta, cùm Deum conditurum eſſe dixerat novos cœlos & novam terram, & Hieroſolyma exultantia, his ſubjungit ſtatim novum naturæ ordinem, hominúmque lætum, pacificum & fœlicem ſtatum: quibus regnum Juſtorum, & ipſius fœlicitas, exhibentur. Quod eo fidentiùs dico, & de hoc regno interpretor, cùm videam Sanctum Petrum novos cœlos & novam terram à Prophetis promiſſos, in ſedes & habitationem Juſtis aſſignâſſe. Quod aliter capi aut exponi non poteſt, quàm de hoc, de quo loquimur, Regno. Iſa. lxv. 17, *&c.* 2 *Epiſt* iii. 13.

DENIQUE, præter hæc dicta Prophetica, quibus Regnum Chriſti cum novis cœlis & terris, explicitè vel implicitè, connectitur: Idem argui poteſt à tempore adventûs Chriſti ad Regnum; quem agnoſcunt Millennarii futurum in principio illius Regni. Chriſtus autem non adveniet ante finem mundi, vel ante tempora Renovationis: Proinde nec ante eundem terminum auſpicabitur Millennium. Ἀποκατάστασις πάντων, & παλιγγενεσία denotant Renovationem mundi: Chriſtus autem non adveniet ante hanc ἀποκατάστασιν & παλιγγενεσίαν. Prius nos docet

plenè

plenè & perſpicuè Sanctus Petrus in ſuâ concione, *Act.* iii. 21. cùm ait de Chriſto, *Quem oportet cœli capiant uſque ad tempora reſtitutionis omnium: de quibus locutus eſt Deus à ſæculo, per os omnium Sanctorum ſuorum Prophetarum.* Pariter quoad alterum, Chriſtus ipſe ſuum adventum, quo compenſaturus eſt eos, qui in hoc ſæculo, ſui nominis causâ, mala fuerant perpeſſi, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ſtatuit, *Mat.* xix. 28, 29. Quod de Regno ſuo, in mundo renato, exponendum eſſe, ex adjunctis ſuprà oſtendimus: cùm nimirum Regis aut Victoris inſtar, palmas & ſpolia, & partæ jam pacis ſumma munia, militibis ſuis, ſervíſque fidelibus, qui belli tulerant æſtum & pericula, diſtribuet. Neque cœlum & æternam gloriam unicè reſpicit hæc promiſſio, quum bona externa & temporalia memoret, præter vitam æternam. Atque huic omnino congruit ſermo Sancti Pauli cùm Chriſto ſubjicit, tanquam ſuo Regi, τὴν * οἰκȣμένην τὴν μέλλȣσαν, *orbem habitabilem futurum:* vel עולם הבא † ut

Heb. ii. 5, 6.

* " Ὀικȣμένη ſignificat τόπον οἰκήσεως ex vi vocis: & " ſecundùm ſyntaxin ſubintelligitur γῆ."

† " Dictio illa αἰὼν μέλλων, vel עולם הבא ſumitur " vel latè pro temporibus Meſſiæ indiſcriminatim, vel " ſtrictè pro temporibus Regni Meſſiæ. Quo ſenſu " ſtrictiori & maximè proprio diſtinguitur tam ab ho- " dierno ſæculo, quàm ab æternitate; ſive ab illo " tempore,

ut loquuntur Hebræi: quem Meſſiæ pariter ſubjecerunt.

DENIQUE, ut hæc finiam, nullum agnoſcit ſcriptura ſacra futurum adhuc Chriſti adventum ante judicialem, vel ante finem mundi: quapropter hæc tria conjunxit Apoſtolus Paulus ad Timotheum, mortuorum κρίσιν, Chriſti ἐπιφάνειαν, & βασιλείαν· *Obteſtor te, coram Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, in apparitione ſuâ & Regno ſuo.**

Mat. xxiii. 39.

2 *Epiſt.* iv. 1.

DE ſede Regni millennis in novis Cœlis & novâ Terrâ, hæc hactenus ex authoritate ſacrâ adduximus. Præterea res ipſa loquitur, atque idem ſuadet Ratio: Quorſum enim nova Tellus, ſi incolarum vacua? Quorſum novus orbis habitabilis ſinè habitatore? Dein, hodierna Tellus, vel hodiernus

---

"tempore, quo Chriſtus traditurus eſt Regnum in manus Patris. Atque hoc ſenſu proprio, pro ſæculo nempe intermedio inter hodiernum & æternitatem ſæpe ſumitur in ſacris literis. Chriſtus regnaturus eſt ἐν τῷ αἰῶνι μέλλοντι, *Epheſ.* i. 22, 23. *Heb.* ii. 5, 6. nondum autem regnat eo ſenſu, nec regnaturus eſt eo ſenſu, ubi tradiderit regnum in manus Patris. Nempe poſt finalem reſurrectionem & omnia ſæcula expleta. Patet itaque dari regnum Chriſti intermedium, atque illud propriè dici ὁ αἰὼν μέλλων, quanquam locutio illa laxè ſumpta omnes dies Meſſiæ comprehendat."

* "Idémque Apoſtolus unà cum S. Petro adventum Chriſti cum mundi coflagratione conjungunt. 2 *Theſſ.* ii. 7, 8. 2 *Pet.* iii. 10. Confer hæc argumentis confimilibus apud *Gerard. Tom. ult. p.* 139, 140, 141."

nus naturæ ordo, vanitati aut corruptioni ſubjectus, fœlicitatem Beati ſæculi ferre aut recipere non poteſt. Denique, Incongruum eſſet Martyres & Sanctos è mortuis in hodiernam vitam & inter hodiernos homines deducere. Hæc paucis, ſi placet, expendamus. Quoad primum, Probatum & conceſſum habeo, ratum fixúmque, *Renovatum iri Mundum naturalem:* Cœlum noſtrum Terrámque, ſenſu proprio & literali. Hæc eſt vox clara ſacræ Scripturæ: & habita eſt pridem, ut hodie, fides orthodoxa. Dic igitur, oro te, Quo conſilio, quem in finem renovanda eſt Tellus? Cui uſui inſerviet renaſcens ille Paradiſus? Omnes utique agnoſcunt in melius mutandam eſſe Tellurem: Nóſque, ſuffragante ſacrâ Scripturâ, in formam, pulchritudinem, & fertilitatem Paradiſiacam, reſtituendam eſſe oſtendimus. Age ſis itaque, Deus & natura nihil faciunt fruſtra: multo minùs integros rerum ordines, mundóſque habitabiles. Nec habitabiles tantùm, ſed omnibus naturæ beneficiis, cœli & ſoli, inſtructiſſimos: ſedes denique planè beatas. Hujuſmodi verò ſedes beatas, mundúmque pulcherrimum, cùm fingere non liceat incaſſum facta, Dic obſecro quo propoſito, quem in finem: ſiquem nôſti rectiorem & nobiliorem illo quem aſſignavimus, imperti: ſin minùs, nullúmque noveris magìs idoneum, hunc mecum amplectere, Orbémque illum futurum

Vid. Juſt. vel Author. quæſtion. ad Græc. p. 196.

Theor. Tell. l. iv. c. 2. & 8.

futurum habe pro verâ *Terrâ Viventium:*
pro vero Canaan, Terrâ promiſsâ: Terrâ, τὴν οἰκουμ.
ubi *regnabunt Sancti*, Terra, quam *habi-* τὴν μέλλ. Pſal. cxli.
tabunt juſti. Denique, Terra, quam *hæ-* 6.
reditate poſſidebunt mites & innocui; qui, Apoc. v. 10.
in hodierna minimam ferè tenent portiuncu- 2 Pet. iii.
lam: nec tanti quidem eſt Tota, ut eam 13.
magnopere cupiant. Mat. v. 5.

Secundo enim, hodierna Tellus, & Cœlum illi proprium, præbere nequeunt, nec quidem capere, fœlicitatem illam naturalem, quæ conſtituitur ſanctis in Chriſti Regno millenni. Fœlicitatem *naturalem* dico: nam præter bona animi, ſanctóſque affectus, quibus gaudebunt jugiter: Natura externa erit tota aurea: & de malis illis, quæ vitam hodiernam premunt, nihil erit reliquum. Neque pauperies, aut rerum Apoc. xxi. 4.
inopia: neque labor ſervilis & illiberalis: neque bella & diſcordiæ, neque morbi & ægritudines corporis, locum ullum habitura ſunt Millennio. Stante autem hodiernâ naturâ, evitari non poſſunt hæc incommoda; poſſunt quidem diminui, boni regiminis ope, boniſque legibus: Sed tolli non poſſunt, niſi unà mutetur naturalis rerum ordo. Non fertilior evadet hæc Terra, quo durat longiùs: ſed potiùs ſiccior & ſterilior: atque eo major erit inopia rerum, ad vitam victúmque neceſſariarum: & augebitur ſervilis labor & miſeria. Neque ceſſabunt lites, & diſcordiæ, vel privatæ vel publicæ:

nec

nec bellorum cauſæ & contentiones. Præterea, ſi eadem maneat cœli facies, eadem temperies, eaſdem aëris injurias & incommoda patiemur uſque ſecundùm anni temporúmque viciſſitudines. Denique, nec deerunt morbi, dolores, & ægritudines, quibus hodie laboramus. Hæc autem prorſus aliena ſunt ab ideâ Regni Chriſti, quemadmodum à Prophetis exprimitur; nec præmii rationem haberet, multo minùs Regni, ſtatus hodierno haud beatior.

TERTIO, fac reſurgere à mortuis Beatos Martyres, alióſque Sanctos: ac inter hodiernos homines verſari: non video quod genus vitæ, vel quod genus mortis, daturus ſis his Redivivis. Víſne morituros eſſe denuo, intrà breve tempus, more cæterorum mortalium? vel ad mille annos, victuros? ſi priùs, non meruit tantillum vitæ, ut, ipſius gratiá, clauſtra mortis & amica ſilentia perrumperent. Vitæ inquam, terrenæ gratiâ, inter nubila & caliginem, moleſtias & incommoda hodiernæ Terræ, & Celi. Putas, ſat ſcio, Beatos fuiſſe martyres in alterâ vitâ, ante ſuum huc reditum, aut deſcenſum: quodnam vero aut quam ob rem, cepit eos ſuæ beatitudinis faſtidium?

---- *Anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum eſt*
Sublimes Animas: iterúmque ad tarda reverti
Corpora? terrenóſque artus, moribundáque membra?
Quæ brevis & miſeræ lucis tam dira cupido eſt?

Nec

Nec ex alterâ parte, vitam longævam, millennem aut ſemimillennem, patitur hodiernus, aut ſimilis quicunque, naturæ ſtatus.

SED perge reliqua: Redeant in has terras Martyres & Sancti, Quod genus vitæ, dum inter nos verſantur, dabis his novis Incolis? Uxores ducent? ut olim Filii Dei Filias hominum amavere: Operámque dabunt procreandis liberis, vitæque regundæ eodem modo quo reliqui mortales? Quæ bona hìc poſſeſſuri ſint, non video. Quas hæreditates adibunt, & quo jure? Omnia prærepta ſunt, & dudum occupata in hodiernâ terrâ. Non fas eſt aliis eripere patrimonia, nec poſſunt ſuccedere in bona & fundos majorum ſuorum, ante multa ſæcula, & ultra omnem hominum aut tabularum memoriam, vitâ defunctorum. Denique expenſis omnibus bonis, animi, corporis, & fortunæ, nullâ ex parte operæpretium mihi videtur, multo minùs præmium Sanctis dignum, ſtatum mortis cum vitâ, qualis eſt hodierna, commutare. Sed de his ſatis.

HÆC pauca, è Scriptis ſacris, & ex ipsâ rei naturâ, deprompta, meditanda proponimus ſequioris ævi Millennariis: qui, neglectis veterum veſtigiis, præfeſtinant, &, ex ardore nimio, præcipitant regnum Chriſti in has terras, & in hodiernum ſæculum; Unde Principum, & aliorum, con-

citant invidiam: atque dogmati prorſus innocuo & inermi odium pariunt: retardántque hàc ratione, id quod maximè promovere in votis habent. Non inficiamur in melius progreſſurum eſſe genus humanum, ſaltem ex parte, etiam in hodiernâ vitâ: & meliuſculè ſe habituras eſſe res Chriſtianas; Labefactum iri Tyrannidem Antichriſtianam, avulſúmque aliquas iſtius Imperii partes. Augebitur præterea inter bonos vis pietatis & charitatis: amórque veri, recti, æqui & honeſti: Atque his bene munitis, Alii alios in minutioribus diſſentientes, non vexabunt aut perſequentur. Denique augebitur ſcientia, tam divina, quàm naturalis: & ſpeciatim Religionis Chriſtianæ ſtatus genuinus, & illius œconomiæ mens, conſilium, & ſapientia, meliùs innoteſcent. Hæc quidem deſideratiſſima ſunt, ſed ad fœlicitatem Regni, de quo agitur, opus eſt præterea ut concurrat natura externa, & novus rerum ordo: Lux etiam veritatis plenior & perfectior, quàm capere poſſumus in hodiernâ vitâ. At expedienda ſunt quæ ſuperſunt in hoc argumento.

HIS ita expoſitis & conſtitutis, ſupereſt ut Millennii ſtatum explicemus. Conſtat parte naturali & intellectuali; Quæ & qualis futura ſit naturæ facies, quis ordo, in ſæculo illo venturo, ſive in novis cœlis & novâ terrâ, in præmemoratâ *Theoriâ* ſatìs abunde

abunde diſſeruimus, nec hîc libet jam dicta repetere. Et quoad partem intellectualem, conſtat illa maximè *contemplatione & devotione:* exercitiis Angelicis, quibus præparatur animus ad vitam Cœleſtem. Hæc etiam, eodem in tractatu, pro modulo noſtro deſcripſimus & expedivimus. Reſtant tantùm quædam ſuperaddenda *de Præſentiâ Chriſti extraordinariâ in illo* ſuo Regno: & de *Conſummatione Oeconomiæ Chriſtianæ.*

Quum verò loquimur de Præſentiâ Chriſti in ſuo Regno, non id volumus, Chriſtum deſcenſurum eſſe in terras formâ humanâ: & verſaturum cum hominibus, ut olim in Judæâ: nec vitam ducturum eſſe terreſtrem, ſicut in tempore ſuæ carnis: Hæc eſſet quodammodo ſecunda Incarnatio. Sed apparebit eminus, in ſuo Corpore glorioſo, per modum perpetui aut conſtantis *SCHECHINAH:* ut olim in Sancto Sanctorum. Et ex alto cœlo demiſsâ ſuâ ſede, reſidebit in conſpectu terrarum, Rex Auguſtus, Numen viſibile. Hæc autem pluribus aperienda ſunt & explicanda.

Cum tradidiſſet Sanctus Johannes doctrinam Millennii, novóſque cœlos & novam terram, viſione ſibi exhibitâ, repræſentâſſet, ſubdit ſtatim, *Atque ego Johannes vidi Sanctam illam Civitatem, Jeruſalem novam, deſcendentem à Deo* è Cœlo Apoc. xxi. 2, 3.
--- *Et audivi vocem magnam è cœlo, di-*

 centem,

centem, Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum iis. Ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν. καὶ αὐτοὶ, &c. Hoc de *Schechinah* intelligendum eſſe ſuadent ipſa verba, & verborum iſtorum uſus, in ſtylo ſacro. *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus*, inquit vox è cœlo: Talis nempe Dei præſentia, aut habitatio, qualis erat in Tabernaculo, ubi ſe exhibuit *Schechinah*. Dein adjicitur in eundem ſenſum, σκηνώσει μετ' αὐτῶν ὁ Θεὸς· *Inter eos ponet Deus Tabernaculum ſuum.* Denique, quo magìs innoteſcat, hîc indigitari habitationem Dei cum Sanctis in Millenni Regno, ut olim cum populo Iſraëlitico in Sanctuario, ſubjicit Propheta, καὶ αὐτοὶ λαοὶ αὐτοῦ ἔσονται, καὶ αὐτὸς ὁ Θεὸς ἔσται μετ' αὐτῶν, Θεὸς αὐτῶν. Quæ ſunt eadem verba, ſi conſulas, quibus cum Iſraëlitis, in conventu & in Sanctuario, habitaturum ſe promiſit Deus. *Exod.* xxix. 42, 43, 44, 45, 46. *Lev.* xxvi. 11, 12.

PRÆTEREA, eâdem uſus eſt in Evangelio locutione Sanctus Johannes, cùm habitationem Dei in carne humanâ adumbrare voluit, *Joh.* i. 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρός. Occurrit adhuc eadem dictio in Apocalypſi, cùm Turbæ Palmiferæ (qui ſunt iidem cum Sanctis Millennii) fœlicitas & privilegia recenſentur. Inter alia enim dicitur, ὁ καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου, nempe Chriſtus, σκηνώσει ἐπ' αὐτούς· *Habitabit*

Apoc. vii. 15, 16, 17.

bit ſuper eos, vel Tabernaculum figet inter eos: Quod explicationi noſtræ de *Schechinah* in Regno Chriſti prorſus reſpondet. Nec aliter Propheta Ezekiel, illius, de quo loquimur, Regni beatitudinem deprædicans, Sanctuarium Dei, ſive Dei ſedem, ut in Sanctuario, ibidem collocat. His omnibus unicum præterea locum ex iiſdem oraculis Apocalypticis adjiciam: ubi de Millennio agitur, atque unà mentio fit aperti Templi, conſpectæque arcæ fœderis: cui nempe ſuperincubuit *Schechinah*. Capite undecimo, cùm ſonuiſſet tuba Angeli ſeptimi, deſcribitur Regnum Chriſti & Sanctorum: Et inter alia dicitur *Apertum eſt Templum Dei in cœlo: & viſa eſt arca Teſtimonii in ipſius Templo.* Hoc eſt, ſi rectè interpretor, Aperto cœlo, viſum eſt *Schechinah*, ſive Gloria Chriſti, quæ cooperuit arcam fœderis in Sanctuario. Quemadmodum Stephanus Protomartyr, aperto cœlo, vidit Gloriam Dei, & Filium hominis ad dextram Dei. Atque huc referendum eſt, opinor, celebre vaticinium Jeremiæ Prophetæ, *cap.* iii. 16, 17, *&c.* cùm nova Jeruſalem, non arca fœderis, erit ſolium Jehovæ.

C. xxxvii. 26, 27, 28.

Ver. 15.

Ver. 19.

Act. vii. 55, 56.

His indiciis & teſtimoniis Propheticis, ſatìs, opinor, conſtat, in ſæculo venturo & regno Chriſti fore aliquam præſentiam numinis viſibilem & ſolennem, quam nuncupamus *Schechinah*. Sed notandum præ-

terca: id quod Hebræi dicunt *Schechinah*, Græco ſtylo, tam novi fœderis, quàm apud Septuaginta Interpretes, dicitur δόξα, vel δόξα τῦ Θεῦ, ut notum eſt ſatìs, crebríſque exemplis comprobatum.* Atque hâc pariter voce utitur Sanctus Johannes, ſeque vidiſſe ait, *Gloriam Dei*, τὴν δόξαν τῦ Θεῦ, reſidentem, in ſanctam Jeruſalem quæ è cœlo deſcendit, Ver. 10 & 11. Angelus illi monſtravit τὴν ἁγίαν Ἱερȣσαλὴμ καταβαίνȣσαν ἐκ τῦ ȣ̓ρανȣ̃ ἀπὸ τῦ Θεῦ, ἔχȣσαν τὴν ΔΟΞΑΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ. Dein omni genere lucis & ſplendoris hanc Civitatem in ſequentibus illuſtrat, hanc Gloriam depingit. Atque *Faciem Dei* viſuros eſſe Millennii compotes, diſertè aſſerit.

Confer Joh. xvii. 24.

Cap. xxii. 4.

Duplici modo & ſtylo, ut vides, ſignificavit Propheta, futurum in novis Hieroſolymis, in regno Chriſti & ſanctorum, divinum *Schechinah*. Sed me rogabis forſan, Quid ſit *Schechinah?* cùm toties ipſius hic fiat mentio, & apud alios Scriptores: qui tamen negligunt, aut nimis arduum eſſe ducunt, quid illâ voce intelligendum ſit, luculenter exponere. Neque ego prorſus illud in me ſuſcipio, aut definire ſatagam accuratiùs: At ſi locum veniámque

* *Vid.* Exod. xxiv. 16, 17. & xxxiii. 18. & xl. 34, 35. 1 Reg. viii. 11. 1 Sam. iv. 21, 22. Iſa. vi. Habback. iii. 3, 4. Joh. i. 14. & xii. 47, 55. Heb. ix. 5. Rom. ix. 4.

niámque dabis digreſſiunculæ, ſtatum quæſtionis aperiam : ut aliis fiat minùs difficile, aut rem penitus expedire, aut ſaltem ubi hæret aqua, deprehendere.

Vox שכינה non occurrit, quod ſciam, in Bibliis Hebræis: in Targum autem ſæpius, & apud Rabbinos : deducitur, ut notum eſt, à שכן *habitare* vel *commorari :* ſignificàtque, ſenſu communi accepta, *habitationem* vel *commorationem*. Quòd verò ad ſignificandam præſentiam divinam peculiariter, aut Majeſtatem divinam, adhibita fuerit illa dictio, fecit, opinor, uſus iſtius verbi שכן apud Moſem, cùm præſentia Dei ſingularis in monte Sinai, aut in Tabernaculo, aut alibi, exprimitur, *Exod.* xxiv. 15, 16. & *cap.* xxv. 8. & *cap.* xxix. 45, 46. & xl. 35. & *Deuter.* xxxiii. 16.

Hæc de voce, ſed quid Res ſit, quæritur: *Schechinah* latè ſumptum, uſurpatur ad deſignandum quodlibet effectum notabile præſentiæ divinæ; minùs latè, præſentiam divinam ſub aliquâ ſpecie, aut ſigno *viſibili*, denotat. Denique, ſtrictiſſimè, præſentiam Majeſtativam, ut aiunt: in materiâ aliquâ lucidâ, igneâ, aut candeſcenti exhibitam, ut in Rubo igneo, ad Moſem: (*Exod.* iii. 2. *Deut.* xxxiii. 16.) In columnâ Ignis, aut columnâ nubis, ad Iſraëlitas in deſerto. (*Exod.* xiii. 21, 22. *Num.* xiv. 14.) In monte Sinai, (*Exod.* xix. 18. & xxiv. 15, 16, 17, *&c.* xxxiii. 18, 21. & *Deut.*

xxxiii. 2.) Ad Tabernaculum, *Exod.* xxv. 8. & xl. 34, 35. *Lev.* xvi. 2. *Num.* ix. 15. & in Sancto Sanctorum in Templo, 1 *Reg.* viii. 10, 11. 2 *Chron.* vii.

Atque hujuſmodi * *Shechinah* Majeſtativum hoc loco ſubintelligimus, & expectamus in futuro ſæculo. Conſtátque duabus, ut vides, partibus: parte materiali & ſpirituali. Prima ſolet eſſe aliquo modo lucida aut albeſcens: ut Lux ipſa, Ignis, Æther, nubes aut fumus albicans, & hujuſmodi. Atque hæc † ſubſtantia lucida creditur ab *Abarbinele* unica, & ſemper eadem: nempe illa ipſa lux primigenia quam Deus in principio creavit: eâ utitur ut vehiculo, cùm ſe quodammodo conſpicuum exhibet. Sed utcunque id ſit, quæritur præcipuè de parte alterâ: quæ ſit illa ſubſtantia ſpiritualis, quæ ſubjacet materiæ illi tenui & ſplendeſcenti. Vir optimus & eruditiſſimus, Joſephus Medus, (*Tract. de Sanctit. Eccleſ.*) cenſet Angelos ſemper ſubſtitiſſe *Schechinah*, neque aliam fuiſſe præſentiam aut ἐπιφάνειαν divinam, quàm Angelicam, ſub nomine Dei. Aliàs Deum ipſum eſſe ubique æqualiter præſentem: dici autem ſpecialiter præſentem, ubi ſatellitium Angelicum comparet. Non deeſſe quidem *Schechinah* comitatum

* "Vide de *Schechinah* locum apud Whitb. de "Deit. Chriſt. p. 57.

† "Hoc notat Epiſc. Eli. p. 9."

mitatum Angelicum, facilè credo: ſed per modum comitatûs, cui præſidet & prælucet Dominus aliquis perilluſtris.

JUSTINUS Martyr,* Irenæus,† Tertullianus,‡ aliique Patres plurimi, Τὸν Λόγον ſubfuiſſe aiunt τῷ *Schechinah*, in ** commemoratis ſub veteri fœdere manifeſtationibus. Judæi, & inter Patres Chriſtianos nonnulli, ſtatuunt *Animam Meſſiæ* præextitiſſe temporibus incarnationis, ipſiſque originibus Gentis Judaicæ: ante Legem,

* In Apolog. 2. p. 95, 96. & in Dialog. cum Tryphon. p. 341, 342. & p. 356, 357. & alibi ſæpius.

† Lib. iv. cap. 17, 23, 37.

‡ Adverſ. Judæos, cap. 9. de carne Chriſti, cap 6. adverſ. Marcion. lib. ii. c. 27. lib. iii. c. 6. & ad Praxeam, cap. 14. & ſequent. Theoph. Antioch. p. 99, 100. Euſeb. Demonſt. Evang. lib. v. c. 9. & ſequentibus, fuſiſſimè, & Hiſt. Eccleſ. lib. i. c. 2. Cyril. Hieroſ. Catech. c. 10. Præter hos anteſignanos, conſule præterea, ſi libet, Novatianum de Trin. c. 25. & ſeq. Originem, lib. vi. contra Celſum. Baſil. adverſ. Eunom. Chryſoſt. in Gen. Hom. 41, 42, 48. & in Act. Hom. 16. Theodor. in Gen. quæſt. 92. in Exod. quæſt. 5. Hilar. de Trinit. 4, 5, 12. Ambroſ. de Fide ad Gratian. lib. i. c 5. & de Fid. contra Arian. c. ult. Prudent. in Apotheoſi contra Patripaſſ. Sulp. Sever. Hiſt. Sacr. lib. i. Caſſian. lib. vii. de incarn. c. 9. Leon. Epiſt. 13. Iſidor. Hiſpal. de Nativ. Domin. c 1. alióſque plures.

“Clemen. “Alexandr. “ſæpius “Protrep. “p. 6. Pædag. p. “111.”

“Apud Cortholt. not in Juſt. p. 34. & apud Suice-
“rum. voc. ἄγγελος, & apud Bull. Sec. 1. c. 1.”

** “Hoc negat Auguſtin. contra Maximin. lib. 3.
“c. 26. citante Pamel. in Tertul. adversùs Jud. c. 9.
“p. 194. Vid. etiam Auguſt. de Trin. lib. 3. c. 9. &
“c. 11.

gem, & per totam œconomiam Legis & Prophetarum. Quòd ſi cum *Logo* eandem conjunctam eſſe ſupponant per illa tempora, his non incongruens eſſet ſupponere, conjunctim cum eodem Logo conſtituiſſe *Schechinah* Patriarcharum & Prophetarum; atque motus illos à Cœlo ad Terras, reditúſque: & apparitiones, quandoque ſub humanâ ſpecie, quandoque aliâ: Meſſiæ attribuendas eſſe: neque hæc, aut hujuſmodi, in meram Divinitatem cadere.

Siquidem aliter vix poſſum intelligere Juſtinum Martyrem,* alióſque ex antedictis

---

* *Juſtinus M. in Dial. cum Tryphone, ſæpius diſputat contra omnem motum localem, apparitionem, aut conſpectum Dei Patris,* & pag. 355, 356. *inquit, cùm Scriptura dicit,* Aſcendit Deus ab Abrahamo: *aut,* Locutus eſt Dominus ad Moſem: & Deſcendit Dominus ad videndam Turrim, quam extruxerant Filii hominum: *aut quando,* Clauſit Deus arcam Noæ forinſecus: μὴ ἡγεῖσθε αὐτὸν τὸν ἀγέννετον Θεὸν καταβεβηκέναι, &c. Ne putetis ipſum ingenitum Deum vel aſcendiſſe vel deſcendiſſe quopiam: Nam ineffabilis ille Pater, & Dominus univerſitatis hujus, non venit in locum aliquem, neque deambulat: neque dormit neque ſurgit. --- Neque mobilis eſt, neque loco ullo, atque adeò neque mundo univerſo comprehenſibilis; ut qui antè extitit quàm mundus eſt conditus. Quonam igitur modo Ille, vel alloquatur aliquem, vel conſpiciatur ulli, vel in minimâ parte Terræ appareat? His paria & gemina reperies apud cæteros Patres prænotatos.

" Qualis fuit regreſſus Filii ex hôc mundo ad Pa-
" trem, talis fuit ipſius egreſſus à Patre: ſed regreſſus
" erat

dictis Patribus, qui ex inviſibilitate Dei Patris, ejuſdémque infinitate & omnipræſentiâ, probare volunt, Deum Patrem nunquam apparuiſſe: nec deſcendere poſſe, aut aſcendere, aut ullo modo locum mutare. Non video, inquam, hæc argumenta, ab inviſibilitate & omnipræſentiâ divinâ deducta, pro Deo Patre magìs valere, quàm pro Deo Filio: niſi ſupponas Animam Meſſiæ præextitiſſe, atque τῷ Λόγῳ unitam fuiſſe, ante ſuam incarnationem: ab eâque unà cum Angelis, hæc omnia fuiſſe præſtita. Aliter enim ὁ Λόγος ſimplex, nulli unitus creaturæ, Angelicæ aut humanæ, eſt inviſibilis & omnipræſens, perinde ac Deus Pater.*

SED, ut ad rem noſtram redeamus, utcunque hoc ſit quoad Phænomena illa veteris Teſtamenti ante incarnationem Dei: (De quâ re alibi forſan erit differendi locus) *Schechinah* illud de quo hìc loquimur, quod in ſæculo venturo, in Regno Chriſti & Sanctorum, elucebit, eſt ipſe Chriſtus, in corpore ſuo glorioſo: Quod ſatìs apertè dicitur à Prophetâ, *Apoc.* xxi. 23. *Gloria*

" erat localis, & naturæ ** aſcenſus localis ex his " Terris in cœlum. Joh. xiii. 1. & vi. 63. & xvi. " 28. Perſona Chriſti aſcendit, ergo Perſona Chriſti " deſcendit. Vel erant deſcenſus & aſcenſus reales " & locales, vel apparitiones tantùm, nunc in cœlis, " nunc in terris."

* " Neque hic ſufficit reſponſum Bulli, (quod vid. " Sec. 4. c. 3. p. 462, *&c.*"

Gloria Dei eam, nempe Civitatem, *illuſtrat: & Lucerna ejus eſt Agnus.* Hu-
Luc. ix. 32. juſce Gloriæ ſpecimen dedit in terris, carne adhuc amictus Chriſtus, in ſuâ Tranſfiguratione. Dein è cœlo, in manifeſtatione factâ Sancto Stephano & Saulo. Sed Illuſtriſſima erit illa ἐπιφάνεια, illud *Schechinah*, cùm veniet Chriſtus in flammis ignis. myriadibus Angelorum comitatus, ſub hujuſce mundi exitu & excidio: & ferè ſolet adjungi cum illo adventu Chriſti vox *Gloria*, vel *Gloria Dei:* quod reſpondere τῷ* *Schechinah* & Majeſtativam Dei præſentiam pariter ſignificare, ſuprà notavimus. Atque hanc Gloriam & divinam præſentiam in novis cœlis & terris reſeſſuram, non uno modo nobis indicavit Sanctus Johannes, ut priùs oſtenſum eſt.

SED notare licet ulteriùs, in Gloriâ Regiâ & Majeſtate Chriſti repræſentandâ, Authores ſacros exhibere, primò, Perſonam Chriſti: dein, ipſius comitatum aut ſatellitium; poſtea ſedem, & civitatem regiam: denique ſolium aut thronum Principis. Gloria Perſonæ Chriſti non ſemel deſcribitur in Apocalypſi, ſempérque in formâ lucidâ aut flammeâ. Capite primo, Ver. 13, *&c.*

---

* "Neque ad Patrem neque ad Spiritum Sanctum "ſpectat *Schechinah*; ergo ad Filium vel λόγον. cùm "ſit quid Divinum & non tantùm Angelicum. Vid. "Grot. de Rel. Chriſt. lib. 5. p. 369. ſec. 3."

&c. de Filio hominis verba faciens Propheta, *Lucebant* inquit, *caput & capilli, inſtar nivis: Oculi erant ut flamma ignis: pedes inſtar chalcolibani, ardentis in fornace. Vultus denique inſtar Solis, cùm ſplendet in ſuo vigore.* Quid his fortius, clarius aut illuſtrius? niſi forſan deſcriptio illa quæ ſequitur Capite quarto, ubi Rex, throno inſidens, dicitur aſpectu *ſimilis Lapidi Jaſpidi* & *Sardio.* Et *in circuitu* Ver. 3.
throni erat Iris, ſpecie ſimilis Smaragdo. Dein, quoad comitatum Chriſti, conſtabit ex Angelis lucis: ut paſſim dicitur in ſacris Literis antea citatis. Denique ad Civitatem Regiam quod ſpectat, Civitatem magni Regis, ſanctam Jeruſalem è cœlo dilapſam, notiſſimum eſt, ipſius gloriam per omnigenas gemmas fulgidas & colorum lumina à Prophetâ depingi, capite viceſimo primo, Ver. 10, 11. dein Ver. 18, 19, 20, 21. Non autem hìc lapides ipſos, quorum nomina recenſet Propheta, nudè & literaliter, quis unquam intellexit. Æquum tamen eſſe videtur, ut ſit aliquid viſibile, & illuſtre, quod per has lucidas gemmas adumbratur. Qui Iridem pinxit in guttis aquæ, nubéſque, oriente aut occidente ſole, tantâ pulchritudine, tot coloribus adornat: Illi facile eſt & integrum, in ſuo corpore Æthereo, aut vicino cœlo, omnimodas lucis formas & variegatam gloriam: ſupra omnium gemmarum, aut materiæ terreſtris qualitercunque

cunque purgatæ, nitores & mutuatitia lumina: excitare & exprimere.

Neque novum mihi videtur, aut præter morem ſacri ſtyli, per gemmarum imagines adumbrare *Schechinah.* Pectorale Pontificis (ubi Urim & Thummim, & reſponſa divina) compoſitum fuit, juſſu Dei, ex multis gemmarum ſpeciebus & ordinibus. *Exod.* xxviii. 15, 16, *&c.* In Monte etiam Sinai cùm Deus apparuit, in pavimento Sapphirino ſtetiſſe dicitur, claritate cœleſti circumcinctus, *Exod.* xxiv. 10. His adde, ſi libet: Cùm futura Eccleſiæ gloria deſcribitur ab Iſaiâ Prophetâ, (*cap.* liv. 11, 12.) Et Paradiſus ab Ezekiele, (*cap.* xxviii. 13.) repræſentatio fit utrobique per gemmas & gemmata, ut in hâc Ideâ Apocalypticâ.

Sed ut pergamus: His licèt argumentis & exemplis plùs quàm veriſimile fiat, pertinere ad ſtatum millennem & ad civitatem ſanctam τὸ *Schechinah:* Cætera tamen quæ eò ſpectant, difficile eſt expedire, aut hypotheſin aliquam inſtituere, in quâ coëant & concurrant tot & tam diverſæ conditiones & characteres, quot & qualibus in hujuſce admirandæ prophetiæ duobus ultimis capitibus inſignitur. Illud etiam difficultatem auget, quòd ambiguum ſit, ex his characteribus quot & quinam ῥητῶς & ad literam: quinam verò συμβολικῶς ſunt interpretandi. Eccleſiam Chriſtianam Triumphantem, in hâc ideâ Civitatis glorioſæ repræſentari, communis

communis eſt * ſententia; Idque eam præcipuè ob rationem, quòd ipſius fundamentis inſcribi dicantur nomina duodecim Apoſtolorum, Ver. 14. Atque nomine duodecim Tribuum Iſraëlis, ipſius portis, Ver. 12. Quo quidem nomine & titulo deſignari ſolet in Apocalypſi verus Dei populus. Denique hæc civitas diſertè dicitur ab Angelo *Sponſa Agni*, Ver. 9, & 10.

Cum verò hic repræſentari aiunt Eccleſiam Triumphantem, intelligenda eſt, ut mihi videtur, Eccleſia Triumphans in terris, ſive in Terrâ novâ & cœlis novis: quæ nimirum paulò antea viderat Propheta: Ver. 2. Vidítque pariter deſcendentem de cœlo hanc Civitatem ſanctam: Ver. 2, & 10. conſtitutam nempe ex ſanctis reſuſcitatis in primâ Reſurrectione. Neque ulla quidem eſt, propriè & ſtrictè loquendo, Eccleſia Triumphans in cœlis: vel ante, vel poſt reſurrectionem. Ante reſurrectionem non patet ſanctos eſſe in ſtatu viſibili, aut in ſocietate viſibili: ſed eorum animas apud Deum reconditas eſſe, & Deo vivere. Poſt reſurrectionem autem, nempe univerſalem, cùm Chriſtus tradiderit Regnum in manus Patris, non erit ultrà forma aut facies Eccleſiæ, ſed Deus erit omnia in omnibus.

Cap. xxi.

S Nec

" * Quin etiam propheta David & hunc ſtatum futurum reſpexiſſe videtur Pſ. xvii. 15. Vid. D. Teu p. 366."

Nec obſtat huic ſententiæ, quòd Civitas illa dicatur Jeruſalem *cœleſtis*, vel *ſuperna:* ita enim dicitur quòd è cœlo deſcenſura ſit, ut inquit Propheta ſemel atque iterum, aut deſuper adventura, à primis reſurgentibus conſtituta, Chriſto unà deſcendente.

Apoc. iii. 12. Cap. xxi. 2. & 10. Cap. xii. 22, *&c.*

ILLUSTRIS illa ſocietas quæ deſcribitur à Sancto Paulo ad Hebræos, licèt aliquatenus œconomiæ Evangelicæ, præ altera Legis, conveniat: nulli tamen Eccleſiæ militanti propriè convenit. Cùmque dicatur *civitas Dei, & Jeruſalem cœleſtis*, neceſſe eſt ſtatuamus eandem eſſe cum illa à ſancto Johanne memorata & deſcripta: licèt nonnulla alterius ordinis (pro genio illius Authoris) immiſceri videantur. Certè qui partem habent in prima reſurrectione conſtituunt πανήγυριν καὶ ἐκκλησίαν πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων· Et quamvis non ſint adhuc δίκαιοι τετελειωμένοι omni modo & ſenſu, ſunt tamen initiati ad vitam cœleſtem: Candidati æternitatis, cœlique & conſummatæ gloriæ hæredes proximi. *

ATQUE hinc deducimur ad id quod ſecundo loco notandum duximus in Regno Chriſti

" * *Digreſſio de Statu Judæorum in Millennio, vel futuro Meſſiæ regno.*"

" Hic ſeſe offert non incelebris quæſtio, Quem " nempe locum habituri ſint Judæi in Regno Meſſiæ? " Faten-

Chriſti & Sanctorum: nempe quòd in eo futura ſit *religionis Chriſtianæ* & Providentiæ divinæ circa hanc Terram, *conſummatio*. Manebit quidem Religio Chriſtiana ſub Chriſto capite, in novis cœlis & novâ terrâ, ſed non parum mutata: tam quoad

---

" Fatendum eſt, Judæis primùm facta eſſe promiſſa,
" tam de Meſſiâ quàm de Meſſiæ Regno; atque ſuam
" Canaan ſive Terram promiſſam typum fuiſſe Terræ Rom. iv.
" novæ, & ipſius Regni Chriſti. Docuítque S. Pau- 13.
" lus ſemen Abrahami fore hæredes mundi, nempe Heb. xi.
" futuri: neque enim hodierno potiantur. Præterea, 10.
" Chriſto naſcituro dixit Angelus Mariæ, *Ei dabit* Vid. Phi-
" *Dominus Deus ſolium Davidis Patris ipſius. Reg-* lon. Quis
" *nabitque in domo Jacobi in æternum, & regni ejus* Hæres ſit
" *non erit finis.* Luc. i. 32, 33. Hôc autem regno mundi.
" non potitur ille hodie, ſed Mahometes. Ad hæc Et Dan.
" Prophetæ iterum iterúmque pollicentur Judæis in- vii. 41.
" ſtaurationem: non tantùm à captivitate Babylonicâ, Mic. iv. 7.
" ſed novam gloriam & fœlicitatem majorem quàm Rev. iii.
" unquam habuerint antea. Conſule * * * 21.

" QUINETIAM deſignat Propheta Iſaias novam Ter- Cap. lxv.
" ram novóſque cœlos, atque nova Hieroſolyma, in 17, &c.
" quibus hâc fruituri ſint fœlicitate. Eandémque ſta- & lxvi. 22.
" tum characteribus aliis alii præſignificaverunt Pro-
" phetæ.

" DENIQUE S. Johannes in ſuâ Apocalypſi Judæ
" orum ſemper palàm aut implicitè meminit, cùm
" regnum Chriſti deſcribitur & futura ipſius gloria. Ab
" eorum converſione orditur ſuam prophetiam. *Ecce* Cap. i. 7.
" *venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam*
" *qui eum transfixerunt: & plangent coram eo omnes*
" *tribus terræ.* Dein cùm Thronus Chriſti deſcribi-
" tur Cap. iv. 4. & viginti quatuor ſeniores adſtantes,
" Judæi cum Chriſtianis conjunguntur: duodecim

quoad cultum externum, quàm animorum ſanctitatem: Et quod utrique prælucere debet, veritatis revelationem multo clariorem, pleniorem, magíſque diſtinctam, quàm qua fruimur in hodierno ſæculo. Provehitur Religio gradatim, unà cum genere humano,

---

Cap. xxi. " nempe Apoſtoli cum duodecim Patriarchis vel etiam
12, & 14. " Phylarchis Judæorum. Quemadmodum poſtea no-
" væ Hieroſolymæ fundamenta S. Apoſtoli, portis au-
" tem inſcribuntur nomina duodecim tribuum Iſraë-
" lis. Præterea *cap.* vii. cùm ſignantur ſervi Dei,
" primò ſignantur Tribus Iſraëlis, dein ex omnibus
" gentibus, tribubus, populis & linguis, innumera
" multitudo: atque iterum numerantur illi 144000
" ſtantes in monte Sione cum Agno, cap. xiv. 1.
Cap. xi. " Ad hæc cùm in ſeptimâ Tubâ adveniſſet Regnum
15, &c. " Chriſti, viginti quatuor ſeniores proſtrati veneran-
" tur ſedentem ſuper thronum, dicúntque *adveniſſe*
" *tempus præſtitutum mortuorum, quo judicentur, &*
" *des mercedem ſervis tuis prophetis, & Sanctis, &*
" *timentibus nomen tuum, parvis & magnis: & perdas*
" *eos qui perdunt terram.* Tunc apertum eſt Tem-
" plum Dei in cœlo, & *viſa eſt arca pacti ipſius in ejus*
" *Templo.* Arca pacti eſt monumentum pacti cum
" Abrahamo & Judæis initi, cujus ſe ſemper memo-
" rem fore Deus ſpoſponderat, utpote fœderis perpe-
" tui & æternùm duraturi. Quod atque hoc ſigno
" teſtatur Chriſtus ſe non oblitum eſſe ſui fœderis po-
" pulíque antiqui, ſed eos velle ſecum adſciſcere in
" ſui regni participes * * * * * * * * * * * * * * *
" * * * * non diſſimili modo cap. xv. ante effuſas
" phialas iræ divinæ, cum cecinifſent Sancti Canti-
" cum Moſis & Canticum Agni, apertum fuit in cœ-
" lo Templum Tabernaculi Teſtimonii, ad ſignifican-
" dam præſentiam divinam, ut olim in exitu ex
Ægypto:

mano, ad ſuam puritatem & perfectionem; Atque omnis religionis *inſtitutæ* fundamentum eſt Religio *Naturalis*; à quâ oriuntur, & in quam refunduntur, ut fluvii in Oceanum, omnes œconomiæ particulares à Deo conſtitutæ.

IN

" Ægypto: & poſtea in Tabernaculo, ubi aſſervatæ " erant Tabulæ Legis; atque ita Judæi cum Chriſtia- " nis in eandem Eccleſiam coaleſcunt.

" DENIQUE in ultimis capitibus hujuſce prophetiæ " non pauca ſunt, quæ Judæis faveant. Cap. xviii. " 20. Apoſtoli cum Prophetis conjunguntur triumphantes cum Agno in Beſtiam, & laudantes Deum. " Et ſequente capite Ver. 7. paratur Sponſa ad nup- " tias cum Agno, ſanctorum juſtitiâ amicta. Non " me latet hanc ſponſam Agni à nonnullis haberi Ec- " cleſiam unicè Chriſtianam ſeparatim à Judaïcâ, íd- " que temporibus Conſtantini, cùm Imperium Roma- " num factum eſt Chriſtianum. Sed hæc eſt eorum " * * * * * * * * * qui nullam omnino futuram Ju- " dæorum Converſionem expectant aut agnoſcunt: " contra aperta Chriſti & S Pauli verba, plurium pro- Luc. xxi. 24. " phetarum oracula, totámque vim & indolem Apo- " calypſeωs, quæ terminatur in unione utriuſque Ec- Rom. xi. " cleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ in regno Chriſti; ut " Chriſtus ſit utriuſque ovilis vel gregis paſtor, utriuſ- " que populi rex; ut in unum caput recolligantur, in " unum corpus conjungantur & Gentes & Judæi.

" DENIQUE cùm ventum eſt ad œconomiæ apicem, " ad rerum omnium reſtitutionem aut renovationem " ipſius naturæ, ad novos cœlos & novam terram; " deſcendet de cœlo nova Jeruſalem, parata & ador- " nata ut Sponſa in virum ſuum, cap. xxi. 2. Eſt " hæç eadem ſponſa quæ antea; & cum dicitur *nova* " *Jeruſalem & Civitas Sancta*, nos facit memores

In regendâ & perficiendâ gente humanâ, tres videtur conſtituiſſe œconomias religioſas divina providentia; Quarum prima erat œconomia *ſensûs* & externorum operum: cum exiguo lumine aut notitiâ rerum divinarum. Secunda verò, œconomia *affectûs*, interioris

---

" Judæorum adeóque antiquæ Jeruſalem, eorum ſedis. Quanquam ſub eodem nomine & titulo, quæ ſequuntur in hôc capite atque ultimo, nobis repræſentantur, huic populo partes ſuas denegare non licet. * * * * * * De primatu nulla ſit contentio: neque eò libet proſequi, quæ in ſubſequentibus ad eundem populum ſpectare videantur. Sunt enim nimis obſcura. Ex dictis, opinor, ſatìs conſtat omnes recolligendos eſſe, Gentes & Judæos in idem corpus ſub Chriſto capite; cùm Regnum ſuum integrum cœptum fuerit in terris, glorioſum & univerſale.

" Illud ſaltem notandum: quæ hìc dicta ſunt de Tabernaculo Dei vel habitatione Dei inter homines, promiſſa fuerunt olim Judæis totidem ferè verbis. Conſule Ezechielis, cap. xxxvii. 26, 27, 28. Zeph. ii. 10. Iſa. xii. 6. Cùm vero jam completa legimus hæc promiſſa ex ore prophetæ Chriſtiani, æquúmne eſt omnem partem in hâc ſorte, in hâc gloriâ ab iis eripere, quibus primitus erant prolata & conſtituta?

" Tempus hujuſce inſtaurationis Judæorum erit tempus Sabbatiſmi, tempus reſurrectionis à mortuis, adeoque poſt renovationem cœli & terræ, ſive in Regno Chriſti millenni, ἐν τῷ αἰῶνι μέλλοντι. Ideo à prophetis narratur & prædicitur ut Reſurrectio Iſa. xxvi. 19, 20, 21. Ezech. xxxvii. 12. Hoſ. xiii. 14. * * * * Rom. xi. 26, 27, &c. * * * * 1 Cor. xv. 54. Atque illud Dan. xii. 1, 2. reſpicit Ju-

" dæos

interioris vitæ & ſacri Enthuſiaſmi, ut ita dicam: cum multo majori lumine & notitiâ rerum divinarum, imperfectis tamen & incompletis. Tertia, in ſæculo venturo, hæc omnia complectetur, eritque œconomia ſensûs, affectûs, & *rationis:* cum claro

" dæos ſpeciatim, atque Michael magnus princeps eſt
" Chriſtus. * * * * * * * *

" JUDÆI ſuis vitiis & ſuæ legis abuſu locum fecere
" Chriſtianis, juſto Dei judicio: & Chriſtiani viciſſim
" ſuis vitiis atque ſuæ legis abuſu locum dabunt Ju-
" dæis. Alternatim abuſi bonitate Dei, & alterna-
" tim * * * * * * * * ſuccedent alii aliis.

" HIS notatis, æquum eſt credere Judæos partes
" habituros eſſe non exiguas in Chriſti regno millenni.
" Sed huic ſententiæ alia atque alia ratio obſtare for-
" ſan videbitur. Primò, quòd millennium dicatum
" eſſe videatur Chriſtianis, ſive iis qui *ſecuri percuſſi* Apoc. xx.
" *fuerunt propter teſtimonium Jeſu, & propter ſer-* 4.
" *monem Dei, quique non adorant Beſtiam, ne-*
" *que imaginem ejus, nec acceperunt,* &c. *vivént-*
" *que & regnabunt cum Chriſto mille illos annos.*
" Dein dicitur in ſanctis futuris Hieroſolymis *nullum*
" *fore Templum* Apoc. xxi. 22. quod notat cultum
" Judaicum. Reſpondeo, ad primum, neutiquam
" certè excludi Chriſtianos ab hôc millennio, nec
" magìs Judæos. Teſtantur enim ſatìs loca præme-
" morata, iis deberi locum, nec quidem infimum, in
" futuro Chriſti Regno. Cùm vero ſeries propheti-
" arum S. Johannis inſtituatur maximè de Regno An-
" tichriſti, *ipſiúſque abolitione,* æquum erat in ipſius
" abolitione de Chriſtianis præcipuè triumphantibus
" mentionem facere, utpote iis oppoſiti in prophetiâ,
" ipſius imperio reluctantibus. Cùm hoſtis ſternitur,
" ii celebrantur victores, qui pugnam proximè ſuſti-

 " nuerunt,

ro plenóque lumine & notitiâ rerum divinarum, pro ratione ſtatûs terreni. Evaneſcent ritus, ceremoniæ, & rerum umbræ: Virtus pura & pura Veritas, inſtar liquidæ lucis, totum orbem implebunt. Chriſtus dixit Judæis, (*Luc.* vii. 28.) *Inter genitos ex*

" nuerunt, licèt alii fructus & emolumenta victoriæ " unà participent.

" AD ſecundum reſpondeo: Rectè dicitur nullum " fore Templum in Regno Chriſti futuro, nullúmque cultum Judaicum externum. Supponimus enim " tunc temporis abolitum iri Ritus, tam Judaicos " quàm Chriſtianos: omnes & ſinguli utriuſque claſſis " Jeſum pro Meſſiâ recognoſcent, colentque Deum " puro corde & mente purâ, ſecundùm id quod ſanctiſſimum eſt, univerſale, & perpetuum in utrâque " lege. Neque ſacrificia cruenta quæcunque, ſed " laudis tantùm & gratiarum actionis, locum habitura ſunt; nec circumciſio aut incircumciſio valebit " quicquam, ſed nova creatura, ad imaginem Dei reformata.

" HIS igitur non obſtantibus concedenda eſt Iſraëlitis ſua ſors in futurâ Canaan, reſtauratio atque " quies promiſſa. Ita nimirum arguit Apoſtolus ad " Hebræos, *adhuc manere Sabbatiſmum populo Dei:* " quo titulo ſpeciatim deſignat Iſraëlitas, populum " fœderatum & Deo proprium. Hic autem Sabbatiſmus licèt dici poſſit de ſtatu Evangelii quadantenus, eâ tamen requie nondum Judæos potitos eſſe " vidimus: cùmque iſtorum typorum, ſabbati nempe " ſeptenarii atque terræ Canaan Antitypum eſſe debeat hic Sabbatiſmus: Altera requies ſabbatica gloriosior, altera Terra Canaan fœlicior Judæis expectanda eſt, ut typis antitypum reſpondeat.

" FA-

ex mulieribus nullus eſt major Prophetâ Johanne Baptiſtâ: Sed qui minimus eſt in regno Dei, major eſt eo. Nempe quoad amplitudinem ſcientiæ & rerum divinarum cognitionem: cultúmque Dei in ſpiritu & veritate. O præclaros dies, ſæculum verè aureum, vitam beatam: Adveniat hoc Regnum tuum, Domine: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, ſic & in terris. Te citò venturum promiſiſti, & renovaturum omnia: Quid moraris uſque? quid tardat currus tuos? quid rotas quadrigarum ſufflaminat? *Pereant*

Apoc. xxi. xxii.

" FATENDUM eſt, Apocalypſin præcipuè reſpicere Millennium, & eandem quàm maximè reſpicere Judæos, ac ſi ad eos ſolos pertineret Millennium. Ad eos quidem pertinet magnâ ex parte, ſed non ad eos ſolos, ut patet Apoc. vii. 9. & xx. 4.

" QUOD autem multa loca, & quaſi totum prophetiæ filum reſpiciant Judæos, legenti ſatìs patet. Vide etiam Holmes, Vol. ii. p. 125, & 126, *&c.* " * * * * * *

" CHRISTUS eſt conditor utriuſque mundi naturalis, antiqui & futuri novi. Dicitur conditor Mundi veteris pluribus in locis. Pſal. cii. Joh. i. 3; 10. Col. i. 17. Heb. i. 10.

" QUOAD mundum futurum, dicitur Meſſiah πατὴρ τοῦ αἰῶνος μελλοντος, Iſa. ix. 6. Unde Author ad Hebr. dicit ei ſubjectam eſſe modo peculiari τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, *cap.* ii. 5. quod Judæi appellant עולם הבא, reſpicítque mundum tam naturalem quàm moralem. Id quærendum eſt, an & ipſius faciant Meſſiam authorem.

" NON memini Meſſiam dici in Sacris Literis authorem novi cœli & novæ terræ." * * * * * * * * * *

Judic. v. 31. *Pereant omnes inimici tui: Et qui te diligunt, ſint inſtar Solis orientis, & procedentis in ſuo robore.*

HÆC de ſtatu Millennii breviuſculè. Cætera quæ eò ſpectant, quærenda ſunt, ſi libet, in præfatâ *Theoriâ*. Sequuntur, in exitu Millennii, Judicium finale & Reſurrectio ſecunda: dein rerum omnium Conſummatio. Fateor non memorari explicitè

Apoc. xx. 4, 5. & Ver. 4, & 12.

& nominatim in ſacris Literis aut Reſurrectionem ſecundam, aut Judicium ſecundum: ſed utrumque innuitur & ſignificatur in illâ viſione Sancti Johannis, quæ Millennium exhibet: alterum in principio, alterum in fine millennii, futurum. Et quoad Reſurrectionem, alibi in ſacris Literis, aliquando ad primam, aliquando ad ſecundam reſpicitur, ſinè accuratâ diſtinctione. Sanctus Paulus ad Corinthios Reſurrectionem ultimam potiſſimùm vel unicè tractat, prout ſuprà notavimus. Chriſtus autem Reſurrectionem primam indigitare videtur, *Luc.* xiv. 14, 15. quam appellat *Reſurrectionem Juſtorum.* Non omnium, ſed *Juſtorum* ſeparatim: Qualis eſt prima Reſurrectio, in quâ nullam partem habituri ſunt injuſti, (*Apoc.* xx. 4, 5. confer *Pſal.* i. 5.) Eáque eſt primum tempus retributionis. Reſpondétque hæc Reſurrectio Juſtorum τῇ παλιγγενεσίᾳ, in quâ pariter mercedem ſuam ſanctis promittit Chriſtus, *Mat.* xix. 28, 29. Denique

Denique, in ſecunda & ultimâ reſurrectione, conſummabitur gloria Juſtorum. Cùm, abſorptâ mortalitate, corporibúſque terreſtribus in cœleſtia & glorioſa converſis, re-ipſâ erunt ἰσάγγελοι.

Hic finis, hæc conſummatio rerum humanarum. Sed quæri ultrà poteſt de *Tellure*, Quid fiat ab illâ, cùm abiere omnes ipſius Incolæ? De hâc re, aliíſque affinis argumenti, conjecturas noſtras dedimus in *Theoriâ Telluris*. Quum verò dubia ſint hæc capita, & problematica: & quodammodo extra ambitum doctrinæ Chriſtianæ, earum rerum nihil hìc inſerendum duximus. Atque hæc hactenus.

CAP.

C A P. XI.

De Cœlo & Inferno: Quale ſit Cœlum Chriſtianorum, & quatenus Locale. Quid ſit Infernum: an detur Infernum Subterraneum: vel aliud ullum locale, corporeum, & externum, ante Diem Judicii & Conflagrationem Mundi. De pœnis Inferni, an finitæ, vel infinitæ, vel indefinitæ cenſendæ ſint.

ACTUM eſt de rebus humanis in Terrâ: Jam Cœlum & Infernum conſideranda veniunt. Nomine *Cœli*, Chriſtiani intelligunt ſtatum locúmque fœlicitatis futuræ: ſive ſedes Animarum Beatarum. Atque has ſedes in ſublimi ſtatuunt, versùs ſtellas: in regionibus altis & à Terrâ remotis, quas *Cœlum* appellamus. Hâc in re doctrinæ Chriſtianæ cum ſapientiſſimorum inter Gentes, & Philoſophorum placitis, convenit: qui, à cœlo deductas, eò ſemper remittebant quæ ſeſe in terris bene geſſerant, Animas humanas. Poëtæ verò, gens audax & exlex, qui pro libitu fingunt & refingunt antiquorum dogmata, & veritatem larvâ obducunt, Campos ſuos Elyſios, Beatorum ſedes, in terris,

&

& neſcio quibus Inſulis Fortunatis: aut, quod adhuc magìs incongruum eſt, ſub terris, vel in regionibus ſubterraneis, conſtituunt; Ita craſsè philoſophatur Virgilius, ad captum guſtúmque populi: ídque forſan ex obſcurâ & corruptâ quâdam notitiâ, aut antiqui, aut futuri Paradiſi. Verum quidem eſt, vitâ beatâ fruituros eſſe Sanctos in Terrâ novâ & Paradiſiacâ: Hìc autem de illâ beatitudine mediâ non agitur: Sed de ſupremâ beatitudine & ſede ſanctorum, poſt ultimam Reſurrectionem, expleto Millennio: cùm, cœleſtia corpora induti, mutatis ſedibus, conſummatâ gloriâ & fœlicitate gaudebunt.

HAS ſedes eſſe Cœleſtes, vel ſupercœleſtes, conſentiunt omnes Chriſtiani: Dixi, *vel Supercœleſtes:* Doctores enim Scholaſtici dicunt, Cœlum quoddam *Empyræum*, ſive igneum, cæteris omnibus ſuperius, fore habitaculum ſanctorum & beatorum in æternum. Sed præterquam quòd nullum nobis appareat, ope ſensûs aut rationis, hujuſmodi cœlum igneum, præter Solis & Fixarum corpora: Non eſt is cœlorum ordo quem ſibi fingunt hi Doctores, nec id mundi Syſtema. Fingunt enim univerſos cœlos eſſe concentricos, ſive ad unum idémque centrum referri: aliiſque alios involvi, inſtar tunicarum bulbi. Quod de Planetarum orbibus aliquatenus verum eſt, de Fixis verò minimè. Neque enim hærent

illæ

illæ omnes in eâdem ſuperficie aut laqueari, pari ubique à terris intervallo: ſed immerguntur aliæ aliis altiùs in regiones cœleſtes: diſtántque à nobis inæqualiter per vaſtiſſima ſpatia, & quælibet ſuum ſibi habet orbem: Proinde cùm hi authores ſtatuunt ſupra Planetas Firmamentum, ſive Fixarum orbem: dein alios orbes ſuperiores, ad *primum*, ut loquuntur, *Mobile:* Et in apice omnium, ſive in ſupremo mundi ambitu, Cœlum Empyræum: extruunt Cœlorum compagem planè fictitiam: & Stellarum ordinem, vulgo quidem non incommodum, ſed Aſtronomis aut Philoſophis indignum. Atque hoc Cœlum Empyræum in ſummitate orbium, finxiſſe mihi videntur ad exemplum *Ignis Elementaris*; ut enim hunc ignem in ſuperiori parte mundi Elementaris diſpoſuere, quòd cæteris elementis levior eſſet & tenuior: Ita in cœlis orbem flammeum vel igneum, cæteris puriorem & præſtantiorem, in ſupremâ mundi regione conſtituerunt. Cæterùm ex utrâque parte hallucinantur: Neque enim ulla talis eſt ſphæra ignea in extimâ parte Orbis ſublunaris: & in Fixarum ſphæris materia ignea non in finibus aut extremitate orbis, ſed in medio habitat, ubi ſydus lucidum flammeúmque conſtituit. Ac niſi in his flammis, in Sole putà, aut alio aſtro, Tabernaculum pones animabus Juſtorum, nihil præterea Empyræum in cœlis reperies.

Quan-

QUANQUAM verò figmentum mihi videatur Cœlum Empyræum, ſenſu & ſitu ſuprà expoſitis: nihil tamen impedit, quo minùs credamus, inter orbes cœleſtes, ut inter ſtellas, alios aliis eſſe magìs lucidos, flamméoſve: atque, ut ita dicam, glorioſos. 1 Cor. xv.
Ubicunque verò eſt *Schechinah*, ſive glorioſum Chriſti Corpus, ſpargit radios & lucem inſtar novi ſyderis: & in viciniâ circumcirca habitabunt Beati, veluti ſub ſolio gloriæ. Id ſæpius dixit Chriſtus, Patrémque moriturus ſic alloquitur: *Pater,* Joh. xii. 26.
quos mihi dediſti, velim, ut ubi ſum ego, xiv. 3.
& illi ſint mecum: ut intueantur gloriam xvii. 24.
illam meam, quam mihi dediſti. Quia dilexiſti me ante jactum mundi fundamentum. Has autem ſedes, hunc locum, ſtrictè definire, non eſt penes nos hodie, neque multùm intereſt: Quandoquidem verò *in cœlis habitaculum, hæreditatem in Luce,* habituri ſunt ſancti; probabile eſt ſedes 2 Cor. v. 1. Col. i. 12.
eorum fore, non tantùm ſupra Orbem Lunæ, ſed omnium etiam Planetarum atmoſphæras aut umbras: in regionibus illis æthereis, ubi lux perennis ſinè nocte. Denique quùm Chriſtus nos docuerit, *In domo* Eph. iv. 10.
Patris ſui multas eſſe manſiones, æquum Joh. xiv. 2.
eſt ſupponere, quemlibet ſanctum, vel ſanctorum cœtum, pro ratione ſuæ puritatis & perfectionis, propiùs ad *Schechinah*, ſive ad ſolium gloriæ, ſtationem ſuam habiturum.

HÆC

Hæc de loco & ſede Beatorum. Quoad eorum ſtatum, (utrumque enim nomine *Cœli* comprehendi diximus) putà genus & modum fœlicitatis, quâ, in his ſedibus æthereis, fruituri ſunt ſancti: hîc meritò locum habet dictum Apoſtoli, *Neque oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis, à quibus ipſe diligitur.* Hæc ſuperant ſenſus hodiernos, & cogitationem humanam. Conſtat tamen, ea, quæcunque ſint, referenda eſſe omnia, vel ad Corpus, vel ad Animam. Quale Beatis autem futurum ſit in cœlis Corpus, tam quoad materiam, quàm formam, pro virili explicuimus, capite ſeptimo & octavo. Quod, præter ſuas dotes eximias, immune erit omnis mali, ægritudinis, aut moleſtiæ, quibus affligimur in hâc carne. Atque etiam rationis imperio libenter obtemperabit, & ſinè luctâ: ad omne genus obſequii paratiſſimum. Dein, ad Animam quod ſpectat, omnes ipſius facultates adoleſcunt, & ad ſummam perfectionem aſpirant in illo ſtatu. Senſus, affectus, mentiſque operationes omnes fiunt vegetiores: ad majora etiam, & illuſtriora objecta terminantur.

1 Cor. ii. 9.

Non deerunt imprimis nova & admiranda objecta ad occupandos ſenſus externos; cùm ſupra omnes Planetas elati, Mundanum Oceanum intuebimur, & natantes in

vaſto

vaſto gurgite innumeros Terrarum Orbes, ſuis incolis repletos. Acies enim oculorum, vel facultas viſiva ſuo modo conſtituta & ordinata, omnium ſpecillorum ſuperabit vires: & objecta multo majora & remotiora attinget & complectetur, quàm quæ diſcernimus in hoc craſſo aëre. Dein, cùm Stellas Fixas contemplabimur, perennes cœlorum Ignes: tot Soles prodigioſæ magnitudinis: innumerabiles præterea, & repetitos uſque & uſque per immenſa ætheris ſpatia: Quam voluptatem, quos animi motus excitabit hic conſpectus Univerſi? Magnus eſt Deus, Deus noſter, univerſitatis rerum Author & Opifex.*

DENIQUE, præter magnificentiam Operum Dei, eximia erit pulchritudo in facie Cœlorum: ſi Stellæ, inſtar tot gemmarum diverſi ordinis & generis, diversâ gloriâ & variis coloribus fulgeant. Dum in confiniis & commiſſuris Orbium, radiis variè refractis, novæ luces & Irides, & multiformes Species & Splendores exoriuntur: Quales à Prophetâ depinguntur in Civitate ſanctâ, *Apoc.* xxi. 18, 19, *&c.* Illud præterea adjiciendum, cùm ſtationem aut ſedes nacti fuerimus in regionibus illis æthereis ſupra omnes Planetas, non hemiſphærium

T tantùm

* "Heu quàm ſordet terra, cum hoc cœlum aſpi-
"cio! Vid. locnm Senecæ Natur. Quæſt. Præfat.
"*Quàm juvat inter Sydera*, &c.

tàntùm, aut dimidium cœli, ut hodie: ſed Sphæram integram, & magni Mundi ambitum & amphitheatrum ſimul ſpectabimus: Palatium magni Regis, cum ſuo apparatu & ſupellectile ſplendidiſſimâ. Quid tandem, quantùmque adjiciat huic cœleſti ſpectaculo Divinum *Schechinah*, non me penes eſt exprimere.

Sed quid ſenſus externos moramur? In contemplationibus mentis & affectuum motu, Sanctorum in cœlo ſumma erit fœlicitas. Hæc autem fœlicitas nos fugit, vel, ut loquitur Apoſtolus, *non aſcendit in cor hominis*, in hodierno ſtatu. Scimus hoc utique, Quo majora & præſtantiora ſunt intellectûs objecta, eo purius pleniúſque mens percipit gaudium in eorum contemplatione: Scimus etiam, naturâ divinâ, & perfectionibus ipſius, nihil eſſe majus in rerum univerſitate: neque par, aut ſecundum per finita intervalla; Ad hæc proinde clarè conſequens eſt, in contemplatione & amore Dei, animabus ritè præparatis, ſummam orituram eſſe beatitudinem. Hactenus in luce res eſt. Hujus autem beatitudinis, vel infimos gradus, aut levem ideam, nec verbis efferre, nec cogitatione aſſequi poſſumus, in hac vita: Adeò res eſt aliena & remota ab hodierna ſorte vera fœlicitas.

Sed ut progrediamur pauliſper: Pro ratione incrementi & profectus in cognitione Dei,

Dei, creſcunt ejuſdem amor & admiratio: quibus affectibus, in naturâ humanâ nihil ſuavius aut beatius. Dein, auctum iri in cœlis, ad extremum conatum captúmque, cognitionem noſtram de rebus divinis, teſtatur Scriptura ſacra, ſuadétque ratio multis modis. Hìc, inquit Apoſtolus, infantum inſtar aut parvulorum, ſapimus: illîc, ut in ætate virili & maturâ. *Hîc cernimus per ſpeculum & per ænigma, Illîc autem coram, aut facie ad faciem. Nunc ex parte novi, tum verò cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* 1 Cor. xiii. Hæc verba Apoſtoli, quamcunque habeant vim latentem, ſigillatim & minutiùs excuſſa, id ſaltem in genere nobis indicant, perfectum expletúmque iri cognitionem noſtram, cùm in cœlis & inter cœlites verſabimur.

IDEM etiam nobis indicat ratio, & natura rei: quandoquidem in vitâ cœleſti concurrent omnia, quæ ſcientiam noſtram promovere aut dilatare poterunt. Adjumenta cognitionis, aut inquiſitionis ſtimuli & incitamenta, quæ proveniunt à ſenſibus externis, eorúmque notitiis, fortiora erunt atque efficaciora, multóque latiùs ſe extendent, quàm quò nos ferre valent hodierni corporis organa: ſive in minutis diſcernendis, ſive in longinquis. Dein à puritate & tenuitate corporis cœleſtis, vis rationis & ingenii clarior evadet & penetrantior; Et in omni ordine motuum & contemplationum,

num, mens aſſurget ad intelligentiam & præſtantiam Angelicam. Denique, à puritate animi ſimul & corporis, diſpoſiti habileſque reddemur ad capiendum Deum: Divinos influxus & illuminationes intelligo, quæ ſuperant dona naturæ, quantumlibet exaltatæ. Veritas illa æterna, Lux intellectualis, ſeſe diffundit ubique, ſed recipitur ad modum Recipientis: Animæque pro amplitudine ſuæ cognitionis, & affectuum puritate, capaciores fiunt numinis, & afflatus radioſque cœleſtes magìs hauriunt. Hæc cruſta carnis, hoc lutamentum, quibus hodie obducimur, luci divinæ aditum vix præbet: ſed à ſcintillis quas aliquando percipimus, plenum jubar, ut à primitiis meſſem, expetimus & expectamus.

HIS omnibus addi ſolet, velut apex & complementum fœlicitatis noſtræ in cœlis, *VISIO BEATIFICA.* Viſionem autem hic intelligimus, vel corpoream & externam, vel incorpoream & intellectualem. Quatenus eſt corporea, erit viſio τῆς *Schechinah*, ſive Domini noſtri Jeſu Chriſti in * corpore ſuo glorioſo. Deus enim in ſeipſo eſt inviſibilis: utpote purus putus ſpiritus. Viſio incorporea erit contemplatio Naturæ divinæ: & in eâdem, velut in ſpeculo,

Joh. xvii. 24.

* "Sed quomodo vident Deum Angeli, Mat. xviii. "10. ita nos videbimus."

ſpeculo, utriuſque mundi: æterni ſive Idealis, & externi & temporarii. *Mundum Idealem* appello rerum eſſentias ſive Ideas, & veritates æternas & immutabiles, quæ ex earum rationibus & reſpectibus oriuntur. Rerum omnium poſſibilium ordines, à ſummo numine, vel Ente infinitè perfecto, per omnes gradus intermedios, ad infimam rerum claſſem & proximitatem nihili. Hæc omnia perſpicuè contemplari, velut aperto ſinu Patris: prout ordinantur lucéntque in intellectu divino, eſt viſio verè Beatifica.

DIXIMUS autem hanc viſionem contemplativam utrumque mundum complecti; æternum illum & immutabilem in Intellectu divino: ac hodiernum, temporarium, mutabilem, qui à voluntate Dei pendet regitúrque. Atque hic etiam ſeſe aperit immenſus contemplandi Campus: cujus partem minimam vix attingere poſſumus in hâc vitâ. Neque numerum, neque ordinem, neque magnitudinem, neque perfectionem, neque viciſſitudines & periodos rerum conditarum intelligimus. Exiguæ Telluris noſtræ ſupellectilem: Animalium, Plantarum, & rerum inanimatarum hiſtoriam naturalem: multo magis eorundem vires & cauſas, magnâ ex parte ignoramus. Sed innumeri ſunt præterea Mundi Planetarii, apparati & inſtructi, perinde ac hic noſter, omni rerum genere, animatarum & inanimalium. In his contemplandis multi-

fariam Dei ſapientiam, & inexhauſtam fœcunditatem admirabimur: dum varietatem illam multiformem, novam faciem, & novum apparatum in ſingulis: ubique tamen aptum, pulchrum & accommodatum, intuemur & meditamur:

--- Facies non omnibus una,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſet ſororum.

Sed præter ordinem rerum naturalium in ſingulis Planetis vel Mundis Planetariis, eſt etiam ordo moralis in unoquoque, vel œconomia Religioſa: quâ diriguntur Incolæ cujuſque Orbis in colendo numine, & in virtutis ac veritatis ſtudiis, ut fœlicitatem tandem conſequantur. In his œconomiis religioſis, (quarum eſt, inter Orbes innumeros, infinita varietas,) non tantùm ſapientiæ divinæ, ſed etiam bonitatis ſimul & juſtitiæ, quàm maximè elucet gloria: In his primaria reconduntur Providentiæ myſteria. In œconomiâ hujuſce mundi noſtri, omnes implet partes *Myſterium Meſſiæ*, ut Alpha & Omega: Quid alibi Mundorum agatur, planè neſcimus: ſed ab uno exemplo ſi de reliquis judicare liceat, credendum eſt in ſingulis nova eſſe argumenta admirandæ ſapientiæ, ſub aliis atque aliis formis & miniſteriis. Hos autem Theſauros recludere & introſpicere, hæc arcana Providentiæ;

videntiæ: hanc omnium religionum, per immenſum univerſum, ut ita dicam, *Theoriam:* Quæ gaudia, quos motus animi, ſenſúſque lætos, excitaret hic proſpectus, hæc contemplatio! nihil dulcius eſt, quàm progredi & proficere in præclaris ſtudiis: & in potiundâ, quam quærimus, veritate.

Quid memorem præterea Stellas Fixas, nobiliſſima corpora: Quarum & grandior eſt moles, & excellentior materia, quàm illa Planetarum. Non hærent omnes in eodem laqueato tecto, ut nobis miſellis videntur: ſed per cœlorum concava & profunda diſſeminantur effusè & indefinitè. In his matutinis & primò conditis ſtellis, æquum eſt credere, pro divinâ plenitudine & potentiâ, non deeſſe Incolas, ad canendum ſimul Dei laudes. Suos, inquam, habent incolas & animalia ſibi propria: Reliqua etiam omnia reculis noſtris multo majora, pro dignitate & magnitudine primariorum Mundi corporum. Job xxxviii 7. Pſal. cxlviii. 2, 3.

Denique, quod jam nos latet maximè, intuebimur in cœlo clariùs, *Mundi Intellectualis Syſtema*; Ordines intelligo Angelorum & Archangelorum, totámque illam Hierarchiam illuſtrem & glorioſam: intelligentiâ & Majeſtate Deo proximam, & in adminiſtrando Imperio Univerſi. Hujus Exercitûs cœleſtis cùm viderimus copias, claſſes, munia, dignitates & ſplendores, ſordeſcent omnia terrena, *non commemorabuntur* Iſa. lxv. 17. Jer. iii. 17.

buntur præterita, nec venient in animum: Id olim dixit Propheta de rerum ſtatu ſub Regno Chriſti *in novis Terris:* multo magìs in cœleſti gloriâ præteritorum omnium obſcurabitur aut evaneſcet memoria. Rebus exiguis & minutis, quibus hic diſtinemur, non erit ultrà locus: Optima, Maxima tunc obverſabuntur oculis & animo: Et in his contemplandis & fruendis æternùm hærebimus occupatiſſimi ſimul & beatiſſimi.

His dictis, quid de viſione beaticâ ſentiendum ſit, paucis explicuimus. Si viſionem intelligas corpoream, eſt viſio Mundi externi modo ſenſibili, at ſub ſpecie multùm illuſtriori quàm hodie videtur. Præcipuè cùm divinum *Schechinah*, ſive gloriam Chriſti, intuebimur. Si incorpoream, eſt aliud *Schechinah*, modò ſic appellare liceat: aut viſio Dei interna & intellectualis. Cujus viſionis geminum eſt objectum, primò Idea Dei, & rerum omnium poſſibilium & æternarum: quæ dici poteſt *Idea antemundana*, & immobilis. Dein Idea rerum conditarum, ſive mundi extra Deum: ab intellectu percepti in totâ ſuâ latitudine & duratione, per omnes ipſius viciſſitudines & periodos, per omnes regiones univerſi, omnéſque creaturarum ordines: totam denique ſæculorum ſeriem, à principio temporis ad finem. Hæc dici poteſt *Idea Mundana*, vel ſpeculum Providentiæ univerſalis

lis. His objectis nihil majus, illuſtrius, aut divinius menti humanæ aut Angelicæ obverſari poteſt. Et ſi à viſione aut contemplatione oriatur fœlicitas, térque quatérque beatos dicimus, qui in hoc lumine vident lumen: qui ab hoc vitæ fonte hauriunt vitam: qui his deliciarum fluminibus inebriantur. Per ecſtaſes & effuſiones animi extra ſe rapiuntur, vel aperto pectore Deum intus recipiunt. Pſal. xxxvi. 9, 10.

LICEAT id præterea his ſuperaddere, ad explicandam viſionem Dei: Myſterium, quod nunquam exhaurire poſſumus. Dicimur viſuri Deum in cœlis facie ad faciem, & *ſicuti eſt.* Hìc videmus Deum in ſuis operibus, ut in imagine: Illìc videbimus in ſeipſo. Hìc videmus Deum in ſuis Attributis, Illìc viſuri ſumus in ſuâ Eſſentiâ, aut in ſuâ propriâ Ideâ. Aliud nobis, in hoc ſtatu, videtur Bonitas Divina, Aliud Juſtitia, Aliud Potentia, Aliud Sapientia: Aliud Voluntas Dei, Aliud Intellectus. Quandoque videtur nobis agere Deus, quandoque non agere: nunc hoc, nunc illo modo. Proinde nec videtur nobis, Ens Simplex, nec Immutabile: Quinimo potiùs compoſitiſſimum: Plùs aut minùs pro re natâ, actuoſum: nec id uniformiter. Cùm verò videbimus Deum in ſuâ Ideâ propriâ, hæc omnia coaleſcent in unam ſimpliciſſimam & immutabilem naturam. Et hôc modo Deum contemplari, eſt videre Deum

Sicuti eſt. Ens utpote Infinitè perfectum, Ens Entium, Liquida Gloria ——

SED me reprimo: Quid balbutimus infantes de rebus maximis, quæ captum modulúmque noſtrum tantopere ſuperant: & in his terris, in his tenebris verſantes, nimium quantum fugiunt. Rapi nos oporteret in Tertium Cœlum, cum Sancto Paulo, ad diſcendum hæc ἀπόῤῥητα, hæc ſuprema myſteria. Silet ferè Scriptura ſacra, vel parcè & generatim tractat de ſtatu Animarum in cœlis, & fœlicitatis illius modis ac rationibus. Cùm memorat *flumina voluptatum*, aut *delicias Paradiſi*, aut *Coronas*, aut hujuſmodi alia, ad adumbrandam gloriam & fœlicitatem cœleſtem, more vulgari loquitur, ad uſum captúmque populi: qui ab his externis & ſplendidulis ſummum Bonum metiri & æſtimare ſolent. Præterea notandum;

QUUM duplex futura ſit fœlicitas Sanctorum, in Terris *novis* altera, ſub regno Chriſti, pro mille annis: In Cœlis altera, in rerum conſummatione, æternùm duratura: in ſacris literis multo plura reſpiciunt primam illam fœlicitatem, quàm ſecundam. Primam, inquam: utpote proximiorem nobis, & in viâ quæ ducit ad alteram: Ejus etiam rationes ſtatúmque faciliùs concipimus, quòd Terreſtris ſit, nec hodiernæ vitæ (exceptis malis & incommodis) multùm abſimilis. Altera verò, ſive Cœleſtis, to-

to

to genere differt ab hodiernæ vitæ rationibus & uſu: prorſúſque accedit ad ſtatum Angelicum, ab intelligentiâ vulgari aut cogitatione alienum.

RECTE monuit Sanctus Johannes, *Nondum apparet quid erimus:* nempe in cœlis. *Novimus autem fore, ut cùm Ipſe apparuerit, ſimiles illi ſimus.* Dein Chriſtus ait nos fore ἰσαγγέλους. Proinde quoad corpus, conformes erimus Chriſto: quoad corpus animúmque, conformes Angelis. Hæc in genere novimus. Continet autem in ſe hæc gemina conformitas multifariæ perfectionis ſemina: Hinc novam vim acquirimus ad omnes actus intellectûs, & ad contemplationem veritatis perficiendam: creſcítque, ad incrementa ſcientiæ, amor Dei & fœlicitas noſtra. Progredimur uſque & uſque in rerum divinarum cognitione, & transformamur de gloriâ in gloriam in imaginem ipſius Dei: donec perveniamus ad menſuram plenæ ſtaturæ Chriſti, atque unionem, neſcimus qualem quantámque, cum Deo & Chriſto. Joh. xvii. 20, 21, 22, 23, 24.

FAXIT Deus, ut fœlicitatem quam nondum concipere valemus, experiundo & fruendo tandem ſciamus: ſpretíſque voluptatibus & inani gloriâ hodierni ſæculi, in cœlo potiamur æternis. Per & propter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

SEQUITUR ut diſſeramus de *Inferno:* Quo nomine intelligunt authores Chriſtiani Locum

Locum ſtatúmque damnatorum: ſive hominum Dæmonúmque malorum & miſerorum. Latini per *Inferos* denotant quandoque ſtatum Mortuorum in genere: Id quod Græci appellant ᾅδην, ſtatum abſconditum, vel *inviſibilitatis*, ut ita dicam. Quo etiam ſenſu & ſignificatione in ſacris Literis uſurpatur, ut abunde demonſtratum eſt à viris doctis. Sed uſus obtinuit apud plures, ut voce *Inferni* miſerorum carcer, vel improborum vita defunctorum locus pœnæ & cruciatûs denotetur: ídque in regionibus inferis. Secundùm hanc acceptionem vocis, quæramus, ſi placet, primò, An detur *Infernum Subterraneum.*

Dari multas & immanes ſub Terrâ cavitates, dubitare non licet. Quarum aliæ, aquâ: aliæ, igne: aliæ ſolo aëre replentur. Sed ex hiſce omnibus non facilè reperies ullam, cui rationes & conditiones Inferni convenire poterunt. Dicitur hic locus Infernus in ſacris Literis *Tenebræ exteriores*, & *Ignis inextinguibilis*; fieri vix poteſt, ut idem locus ſit tenebroſus ſimul & igneus: niſi multi ſpiſsique fumi intermiſceantur. Unde anſam arripuiſſe nonnullos exiſtimo, fingendi crateres Ætnæos, vel montium Ignivomorum ora & fauces, eſſe oſtia vel oſtiola Inferni. His aſſentiri nequeo: Oporteret enim fingere, ex hâc hypotheſi, vel tot Inferna ſeparata, quot ſunt montes Ignivomi per terrarum Orbem; quod incongruum

congruum eſſet: vel unicam cavitatem continuam, ſeu regionem ſubterraneam caſſam, quæ ſubtercurrat & ſubjaceat ubique exteriori terrarum orbi: ut olim Abyſſus in Terrâ antediluvianâ. Cæterum in hodiernâ Telluris conſtructione fieri non poteſt, ut inanis regio ſubtendat totum terrarum orbem. Regio enim illa, vel eſſet inferior Oceani fundo, vel eodem ſuperior & altior: ſi altior, inter Continentes & Inſulas, aliiſque multis in locis, interrupta eſſet per intercurrentem oceanum, atque ita Inferna diviſa & multifaria conſtitueret. Si verò infra Oceanum ponas, præterquam quod in originatione Telluris ex Chao, hujuſmodi regio vacua ſub Abyſſo conſtitui aut formari non poterat: ſiquis eſſet deſcenſus, oſtium, aditúſve hujus Inferni, eò defluerent aquæ Oceani, aliæve ſubterraneæ, Ignémque extinguerent.

NON malè quidem creditur, dari Ignem, vel maſſam Igneam, in centro Terræ: & propterea eò loci collocandum eſſe Infernum, cenſent alii. Utique difficile eſſet, ex hac hypotheſi, deſcendere aut pervenire ad Infernum, in ipſo corde Telluris ſitum. Gauderent mali locum futuri cruciatûs adeò inacceſſum & impervium eſſe. Quot regiones ſolidæ perforandæ, quæ moles & craſſities terræ, in hôc itinere? quantum temporis impendendum in viâ? Semidiameter Terræ habetur milliarium noſtratium ultra

ter

ter mille quadringenta: Solum ipſum eſt impenetrabile, quo autem foramine, aut ex quà parte ſuperficiei Telluris, ad tantam profunditatem detur tranſitus, planè neſci-
« Mat. viii. « 29. » « Vid. Hu. « Orig. « p. 81. « §. 23. » mus. Præterea, conſtat Dæmonas non penitus includi in hôc meditullio: ſed potiùs vagari per aërem, quaſi in liberâ cuſtodiâ: dicitúrque Tyrannus ille Infernalis *Princeps aëris* in ſacris Literis: ubi ſuum ha-
Eph. ii. 2. bere imperium ſedémque & habitationem hodie, vel hodierno ſæculo, ab his oraculis
Apoc. xx. 2, 3. docemur: atque tandem concluſum iri in Abyſſo in millenni Chriſti regno.

2 Pet. ii. 4. At mihi forſan objicies dictum Apoſtoli, Angelos malos detruſos eſſe in *Tartarum*, & tenebrarum catenis detentos. Præterea,
Epheſ. iv. 9, 10. Chriſtum deſcendiſſe εἰς κατώτερα τῆς γῆς. Denique ex uſu, tam ſacro, quàm vulgari, dicimur aſcendere in cœlum, & *deſcendere ad Infernum.* Ergo eſt locus ſubterraneus. Hæc argumenta rem neutiquam conficiunt. Primò enim ad Tartarum quod ſpectat, eâ voce apud antiquos ſignificatur mundus hic inferior, atque aër caliginoſus, quo circumcingimur: ut ſatis notum eſt eruditis. Et in hunc Tartarum, ſive regionem aëris inferiorem & impuram, detruſi ſunt Angeli degeneres, à ſuis ſedibus æthereis expulſi. Quod verò dicantur *catenis* aut *vinculis teneri*, id more humano dictum eſt; quoniam ita cuſtodiri ſolent criminum rei, ne effugiant. Dein, quod attinet ad deſcenſum

Chriſti

Chriſti εἰς τὰ κατώτερα τῆς γῆς, id non ſpectat Pſal.
ad mortem Chriſti, (ut ex aliis locis collatis cxxxix. 15. Joh. iii. 13.
abunde patet) ſed ad ipſius Incarnationem. & Cap.
Nempe cùm ad ſalutem nobis procurandam, vi. dein. Joh. viii.
relicto cœlo, in hanc terram infimam digna- 23. &
tus eſt deſcendere. *Infimam* dico, vel in- Act. ii. 19.
feriorem, nempe reſpectu cœli: comparatio enim hîc inſtituenda eſt non inter partes Terræ, ſed inter partes Mundi. Denique, cùm dicuntur mortui *deſcendere* ad Inferos vel Infernum, id vel denotat *Sepulchrum*, שאול quò deſcendunt corpora, tam bonorum quàm malorum; vel malis ſpeciatim attribuitur: malis enim & bonis, ut fata contraria, ita loca oppoſita aſſignare & addicere amamus: proinde cùm his cœlum, regionem ſublimem & lucidam: Illis è contrà, locum ſubterraneum & tenebroſum adaptare placuit; nec quidem tam facilè Animarum receptacula & cuſtodias in libero aëre, ac ſub terris, concipimus. Sed opiniones vulgares & rationes imaginariæ nihil faciunt ad definiendam rerum veritatem. Pergamus ad ſequentia.

Si nullum inveniri poteſt Infernum Subterraneum, Quæritur ſecundò, an detur ullum Infernum, corporeum & locale, ante diem judicii, & conflagrationem Mundi; vel an aculeis tantùm internis, furiiſque, agitentur & exerceantur Improbi, uſque ad diem illam Domini. Propendeo quidem in

illam

illam ſententiam, * nullas fore pœnas externas ante diem Judicii generalis. Si animæ manent nudæ & ſinè corporibus uſque ad illud tempus, res eſt extra dubium; ſaltem apud illos, qui Judicium externum, & apparatum judicialem, ad modum fori humani, in ſupremo die expectant. Nequeunt enim ſiſti coram tribunali Animæ nudæ & inviſibiles: nec æquum eſt damnari quempiam ad ſupplicia, indictâ & inauditâ causâ.

Aiunt, ſcio, prout ſuprà notavimus, privatum & particulare judicium inſtitui, ante illud generale, de ſingulis animabus, ſtatim ac exierint è corpore: Idque aliquatenus recipi poteſt, modò nihil externum eo nomine intelligant: ſed internam nemeſin, quâ quiſque ſuos patitur manes: & conſcientiâ propriâ, teſte ſimul & Judice, ſeſe habet inſtar rei & damnati: pœnáſque luit pro ratione ſui ſceleris, ἀντιπραγτάκειτις. Sed de ſupplicio externo & corporeo hic agimus, eique locum eſſe non poſſe videtur ante Re-
Luc. xvi. ſurrectionem. Non neſcio in parabolâ Divitis & Lazari, defunctorum animas propediem delatas eſſe, hinc in tormenta & flammas, illinc in ſinum Abrahæ; ſed in eâdem narratione Dives habet linguam, & labra, & cætera ſermonis organa, adeóque totum corpus:

" * Infernum non eſſe localem & corporeum ante " diem judicii ſtatuere quidam Patres, quos vid. apud " Maldonat. in Luc. xvi. "

corpus: ac ſi detuliſſet integrum ſecum ad Infernum. Quod planè monſtrat, narrationem illam non eſſe veram κατὰ ῥῆσιν, ſed inſtar fabulæ aut ὑποτυπώσεως, ad uſum captúmque populi accommodatam, fictis coloribus rem veram repræſentare; Nempe Animas eſſe ſuperſtites extincto corpore: atque bonas bene, malas malè ſe habituras in alterá vitâ.

His ita expoſitis, veriſimillimum mihi videtur, Impiorum pœnas uſque ad diem judicii fore tantùm internas. Putà privationem omnis boni & ſolaminis: morſus præterea conſcientiæ, angores animi, & expectationem irrequietam futuri Judicii. Nec aperiri aut accendi Infernum, exterius & generale, ante adventum Chriſti. Tum cùm
de cœlo deſcendens Chriſtus, *cum Angelis* 2 Theſ. i.
ſuis potentibus, & igne flammanti, infliget 7, 8. Mat. 25.
ultionem iis qui Deum neſciunt, atque iis 41.
qui non auſcultant Evangelio Domini noſ- 2 Pet. iii. 7.
tri Jeſu Chriſti. Hoc eſt tempus decretorium & ſolenne, cùm, peracto judicio, irrogantur pœnæ impiis. Nec hominibus tantùm, ſed etiam Dæmonibus malis, qui ad hunc Diem reſervantur cruciandi, 2 *Pet.* ii. 4. *Jud. ver.* 6. Neque veriſimile eſt alias verſari inter tormenta, aut igne torqueri Dæmonas, impræſentiarum: dum vagantur per aërem & terrarum orbem, vividi & nimis actuoſi. *

Hæc

" * Quum verò hominibus malis & dæmonibus
" idem ſit locus ſupplicii, idémque tempus, quo con-

U demnantur

Hæc breviter de inferno, & de malorum ſtatu, aut loco, ante diem Judicii. Sed cùm advenerit fatalis ille dies, atque impii à mortuis revocati, detruſi fuerint in Infernum, & ad pœnas externas damnati, Quæritur ulteriùs, An illæ pœnæ duraturæ ſint in æternum ſinè fine, ſinè exitu, ſinè limite? Natura humana abhorret ab ipſo nomine pœnarum æternarum, quum ſpeciem præ ſe ferant vindictæ inſatiabilis, nec ulli cedant in commodum, aut emendationem. At Scriptura Sacra à partibus contrariis ſtare videtur. Humani generis amantiſſimus Jeſus Chriſtus, apertè & explicitè has pœnas Dæmonum & Damnatorum æternas appellat: cùm bonorum & malorum explicans fata, ſententiam in improbos hâc formulâ pronunciat. *Execrati abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*, Mat. xxv. 41. Eodem ſenſu, Tritico in horreum collecto, paleam exurendam dicit *igue inextincto*, Mat. iii. 12. & in Gehenna *non mori vermem, nec extingui Ignem*, Mar. ix. 44. Hæc

---

" demnantur uterque: Hi verò ante finem mundi & " adventum Chriſti non detrudantur in Infernum aut " locum tormenti, ut ex literis ſacris, earúmque Interpretibus conſtat: [Vid. PP. *Gerard.* tom. 9. de " extr. Jud. p. 78. Maldonat. in Mat. viii. 29. *Mirum quanto conſenſu plerique veteres Authores docuerint, Dæmonas ante diem judicii non torqueri.*] Neque alteros in locum illum detrudere ante id tempus, oraculis noſtris conſentaneum eſſe videtur."

HÆC teſtari videntur, idque ex ore Chriſti, Improborum pœnas fore æternas & interminatas. Neque aliter loquuntur Prophetæ & Apoſtoli, *Dan.* xii. 2. 2 *Theſſ.* i. 9. Interea ex alterâ parte, Ratio, natura Dei, & natura rerum, altâ voce reclamant: monéntque temperamentum aliquod adhibendum eſſe, & interpretationem commodam verborum ſacrorum: ne divina, ſimul & humana, violentur jura: atque eo nomine lædatur, aut malè audiat Religio Chriſtiana.

INTERIM receptæ Theologos regulæ de interpretandâ Scripturâ, firmiter adhærendum cenſeo. Nimirum, à *Literâ non recedendum eſſe ſinè neceſſitate.* Proinde quærendum proximè, Repugnet, necne, rationibus manifeſtis, & argumentis invictis, æterna pœnarum futurarum duratio. Hoc enim ſi compertum fuerit, nos excuſatos habere debent rigidi cenſores, ſi ab explicatione communi, in hâc parte diſcedamus. Fugit animus, horrétque memorare ſempiternam miſeriam: multáque occurrunt meditanti de hâc materiâ, quibus mihi aliiſque perſuaderi ſentio, nec Deum velle, aut ferre poſſe, perpetuam ſuæ creaturæ afflictionem & torſionem: nec id quidem pati naturam ipſam. Deum Chriſtianorum concipimus credimúſque numen optimum & ſapientiſſimum: nec crudele, nec iniquum in genus humanum. In ſuo cultu, nihil barbarum, aut triſte: nihil feri

aut inhumani, inſtituit aut permiſit. Non vulnera, aut cædes, aut cutis aut carnis dilaniationes: Neque Molochi ad morem, vivos infantes ardentibus brachiis amplecti amat. Præterea, Dux & Caput œconomiæ Chriſtianæ Jeſus: cui commiſſum eſt à Patre omne judicium, eſt φιλανθρωπότατος: propriúmque effudit ſanguinem, ut nos redimeret à malis & miſeriâ. Hic Rex & Pater, cum hoc Judice æquiſſimo, moderantur fata humani generis: ais tamen, ſecundùm ſacras literas, ab hoc Patre, ab hoc Judice maximam partem gentis humanæ damnatum iri ad pœnas æternas.

Joh. v. 22. Act. x. 42. 2 Tim. iv. 1.

De numero miſerorum poſt hanc vitam nihil dicendum habeo, cùm is mihi planè incompertus ſit. Sed ad æternæ miſeriæ ſtatum ſuas damnare creaturas, & in eodem retinere, tam ſapientiæ, quàm bonitati divinæ: addam etiam juſtitiæ, repugnare videtur. *Sapientiæ* dico, quoniam hujuſmodi ſtatus ſempiternæ & immutabilis miſeriæ, fruſtra eſſet ac inutilis, adeóque ineptus & ἀθεοπρεπής. Neque Deo, neque homini prodeſſe poteſt cruciatus indeſinens & ſinè exitu. Non utique homini, ſi nullus locus ſit reſipiſcentiæ, nec melioreſcere poſſit punitus. Si nulla intermiſſio, aut levamen, ad reſpirandum pauliſper, & deliberandum de animo & ſorte mutandis. Sit acris & amara hæc pœna, ſit diuturna, ſed

ſed tandem, quæſo, finem habeat: aliter fructum, vel minimum, habere nequit. Neque his miſeris peccatoribus fas eſſet exequi meliora propoſita, ſi fortè inter patiendum & dolendum enaſcerentur.

AT dices forſan meritò continuari pœnas, continuatâ eorum impietate: Damnatos autem eſſe *Inſanabiles*, ſempérque perſiſtere in ſuâ malitiâ. Sed hoc gratis dictum eſt: nec id tantùm, ſed etiam lædit dignitatem Dei Conditoris hæc ſuppoſitio. Sapientiæ enim divinæ, nedum bonitati, non congruit, naturam humanam vel rationalem, ita formare & conſtituere, ut poſſit degenerare in pravitatem inemendabilem: aut in ſtatum immutabilis impietatis & miſeriæ.* Nam hujuſmodi ſtatus nulli placere poteſt numini, niſi forſan malo Deo Manichæorum. Si verò Deus optimus maximus condere vellet hujuſmodi creaturam, hâc ſaltem lege & modo conderet, ut relaberetur in nihilum, ſtatim ac deventum eſſet ad hunc ſtatum inſanabilem & penitùs deſperatum. Nec aliter, ut mihi videtur, ſalvus eſſet honor Providentiæ, quàm abſcindendo vel tollendo è medio, quod nullo modo ſanari poterat. Nec id ultrà con-

* Sciens nullam rationabilium creaturarum apud Deum perire in perpetuum. *Hieron.* in *Gal.* c. 5.

ſervando, quod non tantùm nihil valet, ſed eſt quid pejus nihilo.

Sed quo mihi perſuadebis argumento Improborum animas poſt mortem eſſe prorſus inſanabiles? non id videntur crediſſe Patres, qui extremum ignem πῦρ καθάρσιον eſſe voluerunt, de quâ re actum eſt capite ſeptimo. Nec æquum eſſe videtur, potentiam & ſapientiam divinam limitare & opprimere Fato malo ineluctabili, aut immedicabili morbo. Siquidem verò hic morbus Animarum qualiſcunque ullo modo aut medicamine expelli poſſit, nullum utique remedium fortius & efficacius Igne & cruciatibus igneis. Faciet hic dolor, ſi quicquam aliud, ut tangantur ſenſu præteritorum errorum, & ſe tædeat præſentis miſeriæ. Præterea, in alterâ illâ vitâ, non erit ultrà locus Improborum iſtorum infidelitati: ubi viderint Chriſtum venientem in nubibus, gloriâ cinctum & præpotentibus Angelis: & in ſuos ubique inimicos, pedibus ſubjectos, triumphantem. Dein, fomes mali, qui in hoc corpore, in hac carne habitat, extinguetur & deſinet in illo ſtatu. Nulla erit concupiſcentia interna, nullum vitiorum pabulum externum: nec voluptatis illecebræ, nec ambitionis, nec avaritiæ: aut ulla ſenſuum aut affectuum irritamenta ad nequitiam. Quâ denique ratione moti, verâ aut falsâ: aut quo impellente, intus aut foris: adhere poterunt

runt æternùm ſuis vitiis & impietati, niſi divinitus indurentur, planè non video. Quòd ſi extrinſecus & alicunde acti, nec ratione nec libertate polleant, non ultrà cenſendi ſunt homines. Sed de hâc re ſtatim, pergamus ad reliqua.

APPELLAMUS præterea in hâc causâ Æquitatem & Juſtitiam divinam. Quem Deus creavit labilem, eum non puniet æternùm quòd lapſus fuerit. Nec adimet illi potentiam aut libertatem relinquendi ſua vitia, cui indidit potentiam, vel potiùs impotentiam atque libertatem prolabendi in vitia. At, inquies, Deus non adimet improbis illis hanc potentiam aut libertatem: ſed ab ipſorum voluntate provenit, quòd in malo perſiſtant immobiles & inflexiles. Reſpondeo: At, ſecundùm tuam hypotheſin, Deus ita conſtruxit eorum naturam, ut non poſſint non eſſe inflexiles & irrecuperabiles, cùm ſemel diſceſſerint ex hâc vitâ, aut in ſuos cruciatus deſcenderint. Modò conceſſeris miſeros illos reſipiſcere poſſe, non abjiciemus ſpem omnem de iis in gratiam recipiendis. Sed reſipiſcere poſſe negas: Quin id probes quæſo, eorum nempe reſipiſcentiam eſſe impoſſibilem. Si manent creaturæ rationales, intellectu & voluntate præditæ, poſſunt reſipiſcere: ſi deſtituuntur autem ratione & libertate, non poſſunt ultrà peccare.

Alii à Juſtitiâ divinâ ſic argumentantur: Haud æquum eſt, Errores vitæ brevis, & in vitium proclivis, puniri æternis pœnis: quum nulla ſit proportio inter pœnam & culpam. Sed regeres hìc forſan, ut ſolent, Omne peccatum habere in ſe infinitam culpam, quatenus committitur in Deum infinitum. Hoc quidem aliquo modo dici poteſt, ſed hæc non eſt ratio & menſura actionum Dei versùs ſuas creaturas, ac proinde locum non habet, cùm rationem reddimus ipſius erga homines voluntatis aut actionis. Secundùm hanc regulam Draconicam, Leviſſimum peccatum legitimè puniri poteſt æternis pœnis; addo etiam, graviſſimis; nam eadem illa ratio perinde valet quoad gravitatem pœnarum ac de earum duratione. Fac itaque, quandoquidem juſtè fieri poteſt, leviſſimos peccatores pœnis æternis graviſſimiſque punitum iri: Quid fiet gravioribus peccatoribus? quid graviſſimis? Si leviſſimum peccatum ſummas & perpetuas pœnas mereatur, quid ultrà meretur, aut mereri poteſt, graviſſimum? nihil datur majus maximo. Hæc itaque ratio tua omnes juſtitiæ punitivæ confundit rationes, & peccata facit quodammodo æqualia.

Sed progrediamur à Juſtitiâ, ad Bonitatem divinam. Summum jus dici ſolet ſumma injuria: Saltem non congruit bonitati & miſericordiæ. Deus autem ſecundùm

dùm hanc tuam hypotheſin, in plectendis improbis ſummo utitur jure, nequid dicam gravius. Plectit enim tormentis exquiſitiſſimis, & æternùm duraturis: quibus nulla poteſt excogitari pœna fortior aut intolerabilior. Legimus, quæ perpeſſi ſunt tormenta Chriſtiani, in primis Evangelii ſæculis: Quæ præterea Siculi, aliique invenere Tyranni: Sed hæc mollia ſunt præ cruciatibus Inferni. Nec mollia tantùm, ſed etiam breviuſcula. Dolor autem vehemens ſimul & æternus omnes in ſe habet doloris gradus. Finge tantùm æſtum febris, aut calculi, aut ilium tormina, durare in ſeptennium: Quis par eſſet ferendis his doloribus? at ſi loco ſeptennii millennium ponas, nemo vitam millennem emere vellet, aut ferre hâc conditione: multo minùs æternitatem.

Hoc tamen non eſſe jus extremum forſan dices: Potuiſſet enim Deus annihilare, vel in nihilum redigere Improbos: atque hoc modo quidem extremo ſuo jure uſus fuiſſet. Reſpondeo: multo optabilius eſt penitùs non eſſe, atque nullo tangi ſenſu, vel boni vel mali, quàm hærere in perpetuis cruciatibus, ſinè intermiſſione aut remiſſione. Hoc mihi videtur clarum lumine naturali; redeam in nihilum, tædet me mei. *Præſtat* nihil omnino ſentire, quàm ſentire nihil præter dolorem. Aufer, quod tuum eſt, inquit Deo miſer vix mentis

compos, mallem non eſſe; peream, ut non peream. Hæc eſt vox naturæ. Neque hic moramur ſteriles argutiolas & λεπτολογίας Metaphyſicorum: Teſtem appello gentem humanam, omnéſque cordatos, annon eligibilius ſit omni vitâ, omni cogitatione deſtitui, aut penitùs non eſſe, quàm æternis torqueri flammis, æternis cruciatibus ingemiſcere. Et revera niſi magìs abhorruiſſet natura humana à ſummâ miſeriâ & æterno cruciatu, quàm ab inſenſibilitate aut annihilatione, Deus minatus fuiſſet improbis annihilationem, non æternum cruciatum, atque eo modo homines à vitiis magìs deterruiſſet. Sed revertamur ad argumentum.

Mat. xxvi. 24. Eccl. iv. 3.

QUUM hæc ita ſe habeant, & annihilatio ſit ſummum jus Dei in creaturas, (ne majoris mali quàm boni cuilibet author eſſet) aliquid tamen gravius & triſtius, aliquid acerbius & ſeverius, quàm poſtulat ipſum jus extremum, in condemnatos decernere & exercere videtur. Jus extremum eſt proximum ſævitiæ: quod itaque prætergreditur jus extremum, crudelitatis notam effugere non poteſt. Saltem, prout antea diximus, hic modus puniendi ad extremum, vel ultra extremum, parum reſpondet infinitæ illi, quam Deo adſcribimus, bonitati, benignitati, & miſericordiæ. Ita tamen, non tantùm lumen naturæ, ſed etiam ſcrip-

ſcriptura ſacra Deum nobis repræſentat.
Miſericordem, Gratioſum, Longanimem, Exod.
multúmque benignitate & fide. Velut in- xxxiv. 6.
vitus trahitur ad puniendum: Eſt opus ſu- Iſa. xxviii.
um *extraneum,* & à naturâ ſuâ *alienum.* 22.
Nullo modo delector morte Improbi: Dictum Ezek.
Domini Jehovæ. Si non morte tempora- xviii. 23.
li, multo minùs æternâ. Unde demum & 32.
naſcitur, aut à quo infligitur hæc mors æterna? ſi neque Deo placeat, neque creaturæ, quæ patitur: nec utrivis ullo modo ſit profutura.

His ita propoſitis & excuſſis, de naturâ Dei, rerúmque creatarum æquo regimine, redeundum eſt ad ſacras literas, eorúmque locorum interpretationem, quæ pœnarum futurarum æternitatem præ ſe ferre videntur. Nôſti horum locorum ſenſum pendere magnâ ex parte à ſignificatu vocis αἰώνιος, Hebraicè עולם aut לעולם: quod Latinè *Æternum* reddidimus. Interea notum eſt, hujus vocis αἰώνιος vel עולם vim eſſe dubiam in ſacris literis: nec ſemper *Æternum* ſimpliciter, ſed tempus diuturnum, aut indefinitum, deſignare. Statuta Legis Moſaicæ ſæpius dicuntur *æterna,* vel in æternum duratura: *Exod.* xxvii. 21. & xxviii. 43. *Lev.* x. 15. & xvi. 34.
Num. xviii. 11. & paſſim alibi. Hæc ta- " De paſ-
men ſtatuta, cum totâ lege, multis retro " chate
ſæculis exoleverunt. Mitiganda eſt igitur " Exod.
iſtius " xii. 14."

iſtius vocis ſignificatio, niſi legem Judaicam adhuc retinendam eſſe velis.*

In eadem Lege, Famulus cui voluntariò pertuſa fuit auris ab hero, ſerviturus dicitur in *æternum* : *Exod.* xxi. 6. tamen eadem Lex ſtatuit emancipandos aut manumittendos eſſe omnes ſervos intra ſemiſæculum, quoquo nempe Jubilæo. Præterea, ante Legem Moſaicam, Circumciſio dicitur inſtitutum *Æternum* : *Gen.* xvii. 7. Hæc tamen jam abolita eſt eâdem authoritate divinâ. Denique Terra Canaan data eſt Abrahamo & poſteris ſuis, in poſſeſſionem *æternam* : *Gen.* xiii. 15. & xvii. 8. & xlviii. 4. Sed ab hâc poſſidendâ expulſi ſunt dudum ipſius poſteri. His locis, aliiſque plurimis, ſatis patet, Æternitatem non ſemper denotari ab hâc voce עולם vel לעולם : cui reſpondet, ut noſti αἰὼν vel αἰώνιος apud Septuaginta : & exinde in novo fœdere; ubi has voces pariter aliquanto laxiùs accipi neceſſe eſt.
" Joh.xiv. " 16. Vide, ſi placet, *Philem.* 15. *Jud.* 7. *Rom.* xvi. 25. 2 *Tim.* i. 9. *Tit.* i. 2. Denique, apud

* " Templum Hieroſolymitanum dicitur *fore* habitatio Deo *in æternum* 2 *Chron.* vi. 2. Periit tamen ſemel iterumque; neque lapis ſuper lapidem relictus eſt, aut ullum inhabitationis Divinæ veſtigium.

" Regnum Davidis dicitur æternum, quod tranſiit ex familiâ Davidis, & jam prorſus deſiit. Vid. Epiſc. p. 32. Col. ii. b. Sec. 3. 2 *Sam.* vii. 13."

apud Græcos exoticos etiam, utriuſque vocis remiſſiorem eſſe ſenſum, Grammaticis notum eſt.*

A Vi & uſu harum vocum nihil itaque certò definiri poteſt de pœnarum Infernalium æternitate. Præterea notandum, in illâ Imagine Inferni, quam nobis repræſentant ſacræ Literæ, eſſe nonnulla (ſinè controverſiâ) figuratè, vel tropicè dicta: quæ ad literam exigi non patitur rerum ipſarum natura. Præterquam enim, quod flammas, tenebras, & extremum frigus, difficile ſit aſſociare & conjungere: Quì poterunt vivere in his flammis vermes aut vermiculi? nec vivere tantùm, ſed immortales eſſe quodammodo: vel ſingulos, vel in ſuâ progenie: quandoquidem *nunquam mori* dicantur. Denique ipſorum damnatorum corpora qualiacunque: ſaltem ſi compoſita ſint & organica: pati non poſſunt Ignem æternum ſinè diſſolutione. Nec durabit in æternum ipſa Terra: in eadem, quam nunc habet,

---

* "Nec quicquam facit, ut id addam, contra hanc "explicationem, quòd eadem vox uſurpetur in pœnis "ac in præmiis futuris deſignandis. Nullis enim Dei "attributis repugnat æterna Sanctorum fœlicitas, ac "proinde in illâ parte nulla eſt ratio recedendi ab ac-"ceptione communi & literali. Atque id ſemper re-"ceptum eſt, ut verba cedant rebus: aliter *hoc eſt* "*corpus meum* eſt dictio non minùs explicita, quàm "*abite in ignem æternum*."

habet, formâ: vel quam acceptura eſt poſt conflagrationem; & in earum alterutrâ conſtituendum eſt Infernum.

Hactenus vim verborum examinavimus, & naturam rerum. Tertio loco liceat adjicere, Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum, cùm verſatus eſt in terris, acceptâ ſervi formâ, non Philoſophorum, ſed filiorum hominum locutum eſſe linguâ: Judæorum imprimis, ad quos eſt miſſus. Prout paſſim in ſermonibus Chriſti à doctis interpretibus obſervatum eſt. Proinde acceptas gentis ſuæ ſententias & phraſeologias plerumque ſequitur, & quæ nota erant populo aut primoribus, ex Lege, Prophetis, aut traditione vulgatâ, iis dictis utitur libenter
Mat v. 22. 29. in iiſdem docendis & in pietate promovendis. Ità cùm de Inferno agit *Gehennæ* nomine, & pro ratione delicti diverſos pœnarum gradus conſtituit, loquitur ſtylo Judaico, & ad intelligentiam communem accommodato. Pariter in exprimendis pœnis Inferni, *Mar.* ix. 44. utitur dicto Iſaiæ Prophetæ, *cap.* lxvi. 24. ubi ipſiſſima illa verba occurrunt apud Septuaginta interpretes: ὁ γὰρ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται. Authores etiam alii manifeſtum faciunt, hanc dictionem notam & familiarem fuiſſe Judæis, *ultionem Impii eſſe ig-*
Ecclus. vii. 18. *nem & vermes.* Quare nihil mutavit in
Judith. xvi. 21. hac parte Chriſtus: ſed anticipationem il-

lam

lam aut prænotionem populi, cùm non incommoda videretur ad refrænandam audaciam impiorum, non immeritò retinendam duxit.

His omnibus expenſis, ex utrâque parte, circa pœnas Inferni: Quiſque per me licet apud ſe ſtatuat id, quod, ſuâ conſcientiâ judice, rationi ſanæ maximè conſentaneum videbitur: Eámque, in hoc argumento, Scripturæ ſacræ interpretationem adhibeat, quam ferent optimè cauſæ, de quâ agitur, rationes & momenta. Si æternæ impietatis & miſeriæ ſtatus in Creatura diſſideat & diſcordet cum ſapientiâ & æquitate Creatoris, diſcedendum eſt ab expoſitione literali in hâc parte: ſive diſtinguendum inter hypotheſin literalem & rationalem, vulgarem & arcanam: ne temerariâ & imperitâ interpretatione natura divina violetur. Sin è contra, in iſtiuſmodi ſtatu deſperato, ſive immutabiliter malo & miſero, nihil tibi alienum videatur, vel à naturâ Dei, vel à naturâ rerum, adhærendum eſt Literæ: & obduranda præcordia, & obſtruendæ aures ad omnes vagitus, gemitus, fletus, & clamores hominum perditorum. Si me tamen audire velis, non clamantem ſed tacitè monentem, mallem te pœnas has dicere *Indefinitas* quàm *Infinitas*. Nobis utique non ſatìs conſtare aut innoteſcere, quem finem habituræ ſint: ſed id penes Deum

re-

relinquamus, pro ſuâ ſapientiâ & miſericordiâ decernendum.*

Hodie, neſcio quo pacto, Theologis quibuſdam feroculis placent admodum æternæ & infinitæ Malorum pœnæ: nec facilè patiuntur æquum utriuſque partis examen & diſceptationem. Sed è veteribus non pauci multò mitiùs & modeſtiùs hoc tractârunt argumentum, atque moras cujuſque in his pœnis, conſilio Dei & beneplacito, unicè permiſerunt. Ita *Juſtinus Martyr* cum Tryphone, Page 223. ἀι μὲν (τῶν εὐσεβῶν ψυχαὶ) ἄξιαι τοῦ Θεοῦ φανεῖσαι, οὐκ ἀποθνήσκουσιν ἔτι· ἀι δὲ (τῶν ἀδίκων) κολάζονται ἔστ' ἂν αὐτὰς καὶ εἶναι καὶ κολάζεσθαι ὁ Θεὸς θέλῃ. *Piorum Animæ, quæ dignæ Deo viſæ ſunt, non moriuntur ampliús. Injuſtorum autem, puniuntur, quoad eas & eſſe & puniri Deus voluerit.* Nec ab his diſſidet S. Hieronymus, aliàs vir acris, & in nonnullis impetuoſus : hâc tamen in re non illaudabilem animi moderationem oſtendit. In ſuis commentariis ad

minum

---

* " Ut exeant è carcere captivi, modò ipſi placue-
" rit, cùm ultimum quadrantem perſolverint, atque
" ſuæ juſtitiæ ſatisfecerint : Denique ſi neque id tibi
" placeat, hoc dogma, inter obſcura & ἀκατάληπτα nu-
" Mat. v. " meremus. Sed veniet dies, cùm non minùs abſurda
" 26. " habebitur & odioſa hæc opinio quàm Tranſubſtanti-
" atio hodie."

præfatum locum Iſaiæ *cap.* lxvi. *ult.* hæc habet : *Porrò qui volunt ſupplicia aliquando finiri, &, licèt poſt multa tempora, terminum habere tormenta, his utuntur teſtimoniis.* Dein, citatis locis quæ opinioni illi favere videntur, addit hæc verba, *Quæ omnia replicant, aſſeverare cupientes, poſt cruciatus & tormenta, futura refrigeria : quæ nunc abſcondenda ſunt ab his quibus timor utilis eſt : ut dum ſupplicia reformidantur, peccare deſiſtant ; Quod nos Dei ſolius debemus ſcientiæ derelinquere : Cujus non ſolùm miſericordiæ, ſed & tormenta, in pondere ſunt : & novit, quem, quo modo, & quamdiu, debeat judicare.* Hæc Hieronymus in locum. Atque his affinia dixerat antea in iiſdem Commentariis ad caput xxiv. ſub finem : *Sciendum quòd judicium Dei non poſſit ſcire humana fragilitas, nec de pœnarum magnitudine atque menſurâ ferre ſententiam : quæ Domini arbitrio derelicta eſt.*

HÆC Ille : Origenem non memoro, cujus notiſſima eſt ſententia. Eúmque ſequi videntur, in hâc parte, ut ſæpe alias uter-

---

" Contra pœnas finitas Inferni quid ſtatuit Synodus quinta OEcumenica. Vid. apud *Gerard.* de Infer. tom. 9. p. 467. & Huet. Orig. lib. 2. c. 11. p. 138. *&c.*"

que Gregorius, * Nazianzenus & † Nyſſenus. Reliqui etiam Patres, qui flammas Inferni, πῦρ καθάρσιον perinde ac κολαστήριον eſſe voluerunt : de quibus ſuprà dictum eſt : eo ipſo ſignificabant finiendas olim has pœnas. Denique hujus ſententiæ Patronos S. * Auguſtinus appellat, titulo non incongruo, Doctores *Miſericordes*, tractátque non inhumaniter † : *Nunc*

---

* *Vid. Orat*. 40. p. 665. Cùm de pœnis æternis damnatorum modo vulgari locutus eſſet, dubitabundus & quaſi ſeſe corrigens, ſubdit εἰ μὴ τῷ φίλον κἀνταῦθα νοεῖν τοῦτο φιλανθρωπότερον, καὶ τοῦ κολάζοντος ἐπαξίως· *Niſi alicui placeat hoc mitius erga homines, & dignè Deo Puniente, hic quoque intelligere.* Innuit & magìs humanum & magis divinum eſſe has pœnas moderari. Hunc locum Nazianzeni cùm notaſſet Nilus, Chryſoſtomi diſcipulus, & Martyr, indè colligit, Temporibus illis apud Patres dubium & in utramque partem diſputatum fuiſſe illud dogma de pœnarum æternitate : Quandoquidem Nazianzenus, inquit, ἐφίησι τοῖς βουλομένοις νοῆσαι τὸ πῦρ ἐκεῖνο φιλανθρωπότερον. *Liberum relinquit volentibus Ignem illum mitiùs interpretari.*

† *Vid. cap*. viii. *Orat Catechet*. ubi in hâc vitâ inſanabiles, ſanandos dicit in futurâ, acrioribus & acerbioribus remediis. Et de *Animâ & Reſur. p*. 229. de purgatione ac inſtauratione univerſali agit. Et in eodem tractatu ſæpius eundem aut cognatum ſenſum proſequitur. " Uti etiam de Opif. hominis, c. 21.".

* *Civit Dei, lib*. xxi. *c*. 17. *& ſeq.*

† " Quin imò quicquid aliàs dixerit, nonnunquam hærere videtur dubius in hôc argumento, quo ſenſu pœnæ peccatorum ſint æternæ : ut cùm ait, *Neque ita hoc dixerim, ut diligentiorem tractationem videar ademiſſe de pœnis peccatorum, quomodo in ſacris dicantur æternæ* (V. D. Hamm. * * * * * * & * * * * * *

" l. 7. ex

Nunc, inquit, *cum Miſericordibus noſtris agendum eſſe video, & pacificè diſputandum, qui vel omnibus illis hominibus quos juſtiſſimus Judex dignos Gehennæ ſupplicio judicabit, vel quibuſdam eorum, nolunt credere pœnam ſempiternam futuram: ſed poſt certi temporis metas, pro cujuſque peccati quantitate, longioris vel brevioris, eos indè exiſtimant liberandos.*

Ita nobis exhibuit ſententiam *Miſericordium* Sanctus Auguſtinus. Qui ſtant à partibus contrariis, nuncupari poſſunt, ratione oppoſitorum, Doctores *Immiſericordes:* atque eorum unus, reliquorum nomine, ſuam ſententiam de pœnis Inferni his verbis explicuit: *Si omnes homines nati ab Adam uſque ad hodiernum diem, & amplius naſcituri, viverent uſque ad noviſſimum diem: & omnia gramina, quæ exorta unquam fuerunt, eſſent homines: Ac ſi unam pœnam quam patitur Anima pro uno peccato mortali in inferno, ex æquo partirentur, ita ut daretur unicuique pars illius pœnæ æqua: tunc particula quævis illius pœnæ hominis unius, major eſſet quàm omnia tormenta, quæ omnes Sancti Martyres, & omnes raptores & omnes malefici unquam paſſi fuerunt.* Hæc Ille. His pœnis truculentiſſimis ſi æternitatem addas

Apud Diſcip. de temp.

" l. 7. ex S. Auguſt. lib. de Serm. Dom. in mont. *Tom.* 4.
" ſuper *Matth* v. 25, 26.) ſed redeamus ad locum de
" *Miſericordibus*."

addas, omnes explebis inhumanitatis partes, numeros, rationes.*

NOBIS

---

* " Quid ſit Æternitas, quanta & quàm immenſa, " parum conſideramus, & propterea his miſeris faci- " liùs damus æternas pœnas. Æternitas eſt quid " tremendum, quid infinitum & inexhauſtum. *Tanta* " *ſunt æternitatis ſpatia*, inquit quidam Theologus, *ut* " *ſi damnatus aliquis milleſimo quoquo anno unam tan-* " *tùm ex oculis emitteret lacrymulam, plus aquæ efflu-* " *eret, quàm totus mundus capere poſſit.*

" His ſententiis PP. adde, ſi libet, hanc rationem, " hoc argumentum, quod alicujus eſſe ponderis mihi " videtur. Quid fiet ab animabus mediocribus & me- " diæ conditionis, ſi nulla ſit purgatio aut pœna mo- " deratior & aliquando finienda. Animas mediæ " conditionis appello, quæ neque multâ pietate aut " impietate imbutæ ſunt : nec admodum probæ, nec " inſigniter improbæ : quales revera ſunt hominum " pars maxima. Plus habent Bruti quàm Diaboli : " neque videntur inſani. Quid fiet, inquam. ****

" Memoravimus ſuprà gentem humanam diſtribu- " endam eſſe in tres ordines, bonos, malos, & medios " ſive mediocres. Boni transferuntur ad æterna gau- " dia, mali ad æterna tormenta; quo abeunt mediocres, " vel quid fiet ab illis ? Neque digni videntur æternis " pœnis, neque æternis gaudiis. Scilicet oportet con- " ſtituere certum gradum. ****

" Oportet, ut eadem ſit diſparitas in retributionibus, " quæ eſt meritis perſonarum, quibus fiunt illæ retri- " butiones.

" Alii denique, cruciatibus exhauſtas, tandem mori " improborum Animas, atque omnem vitam ſenſum- " que exuere, crediderunt ; ſecundùm illud Arnobii, " *Animæ neſcientes Deum perlongiſſimi temporis cruci-* " *atu conſumuntur ignifero.* Nec aliter Tatianus & I- " renæus.

Vid. Irenæum. lib. 2. c. 64.

" Denique πῦρ ἄσβεστον dicitur, quod perenne eſt, " ſinè intermiſſione : nec ullâ vi ſuperveniente extin- " guitur, ſed durat uſque durante ſuo fomite."

NOBIS difficile eſt, omnem exuere humanitatem: Deo difficilius omnem miſericordiam. Et ſi naturam noſtram corrumpere aut deſtruere poſſumus, divinam non poſſumus. Pulsārunt olim tympana in valle Hinnon, ne exaudiretur à populo & à parentibus Infantum clamor, qui immolabantur Idol oigneo, & vagiebant acerbè inter flammas. Sed totum licèt æthera reſonare feceris continuis tonitribus, nunquam efficies ut in hoc Tophet, de quo loquimur, excruciatorum planctus & ejulatus non aſcendant in aures Jehovæ, Patris miſericordiarum.

RESPICE pauliſper, ſi placet, Doctor immiſericors, Quale nobis exhibes ſpectaculum: Quale Theatrum Providentiæ: multo majorem partem humani generis æſtuantem inter flammas per æterna ſæcula. O digna Deo & Angelis ſpectatoribus ſcena! Dein ad demulcendum aures, dum plangoribus & ululatu Cœlum Terramque replet hæc infœlix turba, harmoniam habes planè divinam. Illud præterea mihi dole tnon parum, quod videam, hoc modo, tantam partem naturæ rationalis inutilem factam, funditus perditam & rejectaneam: Inſtar ſalis inſulſi, aut inſtar Vappæ, projectam foras, ſinè uſu, aut ſpe futurâ.

OMNIS creatura, quantum nobis conſtat, eſt ſuâ naturâ labilis: perinde ac improbi

& damnati. Quòd ſi eodem modo lapſi, ſint penitùs irrecuperabiles, tota creatio intellectualis expoſita eſt, non vanitati tantùm, ſed etiam æternæ miſeriæ. Nec tam bonitatis divinæ opus eſſet, quàm crudelitatis cujuſdam, aut periculoſæ luſus aleæ, hanc rerum naturam conſtruxiſſe.* Pœnituit olim Deum, ſe condidiſſe homines: ob eorum nimirum nequitiam. Pœnitebit viciſſim homines miſeros ſe conditos eſſe à Deo: Quandoquidem ſatius illis fuiſſet nunquam extitiſſe. *

De

* "Quod accidit in hôc mundo, accidere poteſt in "aliis: hìc autem, ut vulgò creditur, peritura eſt æter-"nùm major pars humani generis. Fac par dam-"num in cæteris mundis! quanta erit jactura, quan-"tum naufragium naturæ rationalis, ſi, per totum "univerſum, computum ineas? Pars illa deperdita "rerum major erit parte reliquâ. *Deperdita*, inquam: "Eſt enim veluti caput mortuum univerſi, aut Ter-"ra damnata, unde nihil boni elici poteſt. Nec id "tantum, non ſolùm eſt pondus inutile in rerum "naturâ, ſed etiam onus intolerabile ſibiipſi; neque "ſeipſum excutere poteſt, neque ferre. Execratur "inviſam lumen, diémque quo primùm aſpexit ſolem "& ſydera: Quo prodiit è nihilo, & rerum non no-"tarum ſomno & ſilentiis."

"* Denique quibus diſplicent abſoluta reprobationis "decreta, quòd naturæ & attributis divinis repugnare "videantur, iis non minùs diſplicere debent æternæ "malorum pœnæ, quum iiſdem attributis non minùs

" repug-

De Inferno, & futuris Impiorum ſuppliciis, hæc dixiſſe ſufficiat, modò ſubjicias illud monitum, quod à præfatis Patribus, ubi hoc tractant argumentum, ſæpius adhiberi ſolet. Nimirum, Quicquid apud te ſtatuas, intus & in pectore, de his pœnis, æternis vel non: receptâ doctrinâ verbiſque utendum eſt cum populo, & cùm peroratur ad vulgus: præceps nempe in vitium, & ſolâ formidine pœnæ à malis abſterrendum. Præterea, inter Bonos etiam ſunt Infantes & Adulti: lacte, vel cibo ſolidiori, pro cujuſque viribus, alendi. Horum non minùs habenda eſt ratio: nec temere mutanda eſt parvulorum aut infirmorum diæta, ne intemperies oriatur, & in morbos incidant. † Progreſſum Providentiæ, in mundo ſenſim ad perfectionem promovendo, & in illuminandâ gente humanâ, ſemper ante oculos, ſemper in conſiliis habere oportet: atque pari paſſu procedendum in ſtudiis & conatibus

1 Cor. iii. 2. Heb. v. 12, 13.

" repugnent. Et ex alterâ parte, qui hæc decreta re-
" cipiunt, eorum intereſt æternas pœnas reſpuere, quâ
" ratione levantur ſui oneris parte graviſſimâ. Cùm
" non tanti ſit præordinari aut condemnari aliquem
" ad pœnas deſituras; ſed ad pœnas æternas & intole-
" rabiles, *Hic ſtimulus eſt, hic aculeus ſeveritatis.*"

" † Propterea hæc, quæ doctioribus inſcripta
" ſunt, ſiquis in linguam vulgarem tranſtulerit, id
" malo animo atque conſilio ſiniſtro factum arbitra-
" bor."

conatibus noſtris: donec eò perventum fuerit, ut quod *in aurem audivimus, in Solariis prædicare* liceat. Sed paulatim aſſuefaciendi ſunt animi fortioribus ferendis veritatis radiis; Teneris oculis officit lux nimia, aut ſubitò nimis affuſa. Pauci res ipſas, ſed rerum imagines, tanquam in ſpeculo intuentur: at res ipſas, facie ad faciem, ut dicitur, & ablato velo, viſuri ſumus tandem, ſi Deo placuerit, partim ſub occaſu hujuſce mundi, pleniùs autem in futuro.

CONCLUSIO.

CONCLUSIO.

QUUM multifaria ſit hujuſce ſcripti materia, & diverſa doctrinæ Chriſtianæ complectatur capita: Eáque plerumque extra vias aut lumen Naturæ poſita: facilè fieri poteſt, ut, in his tractandis, nonnunquam à ſcopo aberrârim. Homo ſum, tenuis Homo, nihil humani à me alienum puto. Sed qui animo ſincero, ſinè metu aut amore partium quarumcunque, ſimplicem veritatem quærit, Deum habet adjutorem. Deus, inquam, pulſanti aperiet, quærenti dabit: modò quæramus illam ſapientiam, quæ cœlitus eſt, puram & pacificam. Neque id mihi vitio vertat quiſquam, quod in hoc argumento multa offenderim obſcura in ſacris Literis: inadæquatè, ut ita dicam, vel inabſolutè revelata. Hoc dictum velim maximè reſpectu mei intellectûs & ingenii. Et ſiquis alter his lucem afferre poterit, lætus amplectar & gratulabor authori. Sed obſtaculo mihi videtur veræ cognitioni, quòd nos pudeat noſtræ ignorantiæ: neque clara ab obſcuris diſtinguamus, ac ſi omnia nobis perinde eſſent nota & perſpecta.

SACRI

SACRI Codicis Commentatores plerique loca ſingula intelligunt, aut ſe intelligere ſimulant. Nullibi reperies ſuæ ignorantiæ conſcios & confeſſos. Pariter Cathedrarum Præſides, & Doctores Scholaſtici nullum non problema ſolvunt, ſuo modo: omnes controverſias dirimunt, veritatem in omnibus aſſequuntur & comprehendunt. Miror equidem utriuſque claſſis Theologorum omniſcientiam. Turpe putant ſcilicet, aut ingloriofum, Chriſtianæ gentis doctores ignorare quicquam in ſuâ arte. Facit aliquid forſan ad augendam eorum exiſtimationem apud diſcipulos ſuos, aut vulgus hominum, hæc univerſalis ſcientiæ oſtentatio: ſed apud ſapientes, judicii minùs exacti argumentum habebitur. Qui enim de objectis remotis, aut in tenebris latentibus, non minùs audacter pronunciant, quàm de propioribus & in luce poſitis; neque hæc, neque illa, clarè & diſtinctè perſpicere cenſentur.

VISUM eſt Providentiæ rerum myſticarum rationes contractim, & quaſi dimidiatim, in hac vitâ proponere: ut his notitiis & ſpeciminibus excitati & expergefacti, & hodiernæ œconomiæ limites, & futuræ perfectionem addiſcamus. " Si decem viri " cordati & liberalis ingenii de eâdem hâc " materiâ, de rebus nempe vitæ futuræ, " ſive noviſſimis, ut dici ſolent, ſimul con-" ſcriberent: vix credo è decem duos quoſ-

" libet

" libet in eandem ſententiam per ſingula
" capita coituros. Proinde ſi in nonnullis,
" quin etiam ſi in cunctis, à me diſſentiat
" amicus lector, ego nihil mirabor, neque
" mihi pariter ſuccenſeat ille. Tantun-
" dem enim diſtant Thebæ ab Athenis,
" quantum à Thebis Athenæ. Neque il-
" le minùs à me diffidet, quàm ab ipſo
" ego diffideo. Uter noſtrûm ad verita-
" tem propiùs accedat, eſt unica quæſtio."
Ubi venerit Elias, enodabit multa: ubi venerit Chriſtus, omnia. " Fiat lux, cu-
" pio refelli, ubi aberrârim: nihil magìs,
" nihil aliud quàm veritatem efflagito."

Interea retineamus fideliter formam ſanorum verborum & dogmatum. Immortalitatem Animæ, Mortuorum reſurrectionem: Præmia & pœnas in vitâ futurâ, ſecundùm cujuſque opera & diſpoſitiones animi: Denique Mundi conflagrationem & renovationem, Chriſtúmque venturum & regnaturum. Hæc, & ſiquæ ſunt præterea primaria capita, quæ ad vitam futuram ſpectant, ſarta tecta conſervemus: ſed de modis rerum futurarum, * ordine & circumſtantiis,

* Circa id Judicium (*de extremo loquitur*) has res didicimus eſſe venturas: Eliam Thesbitem, fidem Judæorum, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum judicaturum, mortuorum reſurrectionem, Bonorum malorúmque diremptionem, Mundi Conflagrationem, Ejus denique renovationem. Quæ omnia quidem ventura

cumſtantiis, æquum eſt alios aliis quæritantibus indulgere & auxiliari. Ob ea, quæ nos plenè & apertè doceri noluit Deus in hoc ſtatu, non eſt acerbè litigandum: Et qui hujuſmodi de cauſis ſe invicem mordent & convitiantur, aut exardeſcunt iracundiâ & ſtomacho, ob leves & incertos aliorum errores, Ipſi in certa peccata, addam etiam
1 Cor. iii. gravia, incidunt. Fugiamus tandem hæc
3. & mala, quæ, non ſinè opprobrio nominis
1 Corinth. Chriſtiani, heu nimiùm invaluere. Deſipe-
vi. 10.
Gal. v. 20. re tandem, vel potiùs inſanire deſinamus.
1 Pet. ii. 1. Sufficiat unicuique ſuam proponere ſententiam, optimis, quibus poterit, rationibus & argumentis munitam: ſinè damno alterius, abſque contumeliis aut rixis: quæ nihil faciunt ad veritatem aut ad ſuæ cauſæ probationem. Quinimo, Laborantis cauſæ indicium eſt, cùm ipſius Patroni ad convitia confugiunt. *Quotquot ſumus perfecti*, aut veritatis ſtudioſi, *hoc ſentiamus: Quod ſi quid aliter ſentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.*

---

tura eſſe credendum eſt. Sed quibus modis & quo ordine veniant, magìs tunc docebit rerum experientia, quàm nunc ad perfectum hominum intelligentia valet conſequi. *Lactan. Fragm. de extra. Judic. Auguſt. de C. D. lib.* xx. *cap.* 30.

FINIS.

APPENDIX

DE

Futura Judæorum Reſtauratione.

Autore THOMA BURNETIO, S. T. P.

ACCEDUNT,

Ejuſdem Epiſtolæ duæ de Archæologiis Philoſophicis.

APPENDIX
DE
Futurâ Judæorum Reſtauratione.

IN tractatu præcedenti, capite de Millenni Regno Chriſti, pauca aut nulla diximus de ſorte Judæorum in futuro regno Meſſiæ, ne filum orationis interrumperetur. Cæterùm res eſt majoris momenti quàm ut prætermittatur intacta, aut levi operâ diſcutienda. Habetur à non paucis Populus ille pro *Sponsâ Agni*, quæ in Apocalypſi Sancti Joannis paratur ad nuptias ante finem mundi cum ſolenni pompâ. Nimirum Meretrice Magnâ Babylonicâ judicatâ, damnatâ & combuſtâ, auditæ ſunt voces multæ, in cœlo & in terris, cantantes Deo *Halleluiah:* Voces viginti quatuor Seniorum, quatuor Animalium, omniumque Dei famulorum, majorum & minorum. Voces inſtar multitudinis aquarum, & tonitruum potentûm, dicentium *Halleluia*, *Quoniam*

Cap. x.

Iſa. liv. 5.

Apoc. xix. 1, &c. Dan. vii. 11, 13, 14.

—Ver. 7, 8.

niam Regnum iniit Dominus, Deus ille noſter omnipotens. Dein ſequitur, *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quià venerunt Nuptiæ Agni, & uxor ejus paravit ſe. Et datum eſt ei, ut amiciatur byſſo mundâ & ſplendidâ. Byſſus enim eſt juſtitia ſanctorum. Tum dixit mihi* An-
—Ver. 9. gelus, *SCRIBE, Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Et dixit mihi, Hæc verba Dei vera ſunt.* Vera, licet admiranda: Et literis mandanda, ut ad poſteros certâ fide perveniant.

Insignis aliqua rerum mutatio aut inſtauratio in his nuptiis Agni futura hìc indicatur. Cumque eadem Agni Sponſa poſtea dicitur *Civitas ſancta, magna, nova Jeruſalem, deſcendens è Deo à cœlo* (c. xxi. 2, 9, 10.) Civitatis nomine, novæque ſanctæque Jeruſalem, Regnum Meſſiæ deſignari videtur. Idem nempe Regnum, quod, ſuo tempore, daturus eſſet Altiſſimus Meſſiæ, *ſanctiſque ſui populi*, ſive Judæis, ut ait Daniel, *c.* vii. 27. Confer Luc. i. 33. aliaque loca cognata quæ in progreſſu diſſertationis ſuo ordine interſerentur. Neque enim velim ab his paucis præmiſſis definiendum eſſe, quas partes habituri ſint Judæi in illis nuptiis Agni aut in illo regno Meſſiæ; Longiùs repetendum eſt argumentum, & ab ipſis Gentis illius originibus.

Proinde de Futuro Judæorum ſtatu tractaturo exordiendum eſſe videtur ab Abrahamo

hamo eorum Patre, promiſſiſque exinde datis in ſæcula ſæculorum. Cum Abram Dei juſſu, patriâ ſuâ relictâ, in terram Canaan veniſſet, ei apparuit Jehova, dixitque, *Semini tuo daturus ſum regionem hanc;* Abram *verò extruxit ibi altare Jehovæ qui apparuerat ipſi.* Dein reverſo ex Ægypto, quo fame coactus abierat, Deus renovavit promiſſum, dixitque ei, cum oculos undequaque circumjeciſſet, *Totam hanc regionem quam vides tibi daturus ſum, & ſemini tuo uſque in ſæculum.* Poſtea denique cum datæ fidei implendæ ſignum petiiſſet Abram, dedit ei Deus ſignum eximium, eoque dato, per modum pacti repetivit promiſſum, dicens, *Semini tuo dedi terram hanc, à flumine Ægypti uſque ad flumen illud magnum, flumen Euphratis.* Denique mutato ipſius nomine ab *Abramo* in *Abrahamum*, Deus fœdus iniit perpetuum cum Abrahamo de rebus promiſſis, dicendo, *Stabilio fœdus meum inter me & te, ac ſemen tuum poſt te per ætates ſuas, ut fœdus ſit perpetuum: Me eſſe tibi Deum & ſemini tuo poſt te: Daturumque tibi, & ſemini tuo poſt te Terram peregrinationum tuarum, univerſam terram Canaanis in poſſeſſionem perpetuam: ut ſim tibi Deus.* Deinceps ut ſigillum fœderis inſtituitur Circumciſio, ex parte Abrahami & ipſius ſeminis obſervanda: & ex parte Dei promittitur Abrahamo (cum jam ſenex eſſet & ipſius

Gen. xii. 4, 7.
Cap. xiii. 15.
Cap. xiv. 8, 18.
Cap. xvii. 5.
—Ver. 7, 8.
—Ver. 10.

 ſius

ſius uxor) filius Iſaacus, quem præſtituto tempore lætus accepit.

Hactenus de terrâ Canaan promiſsâ Abrahamo & ipſius ſemini in perpetuam hæreditatem. Idem promiſſum renovatur Iſaaco, prout ſuo Patri Deus antea dixerat. Cap. xvii. 19, 21. Quum abiturus eſſet Iſaacus in Ægpptum ad vitandam famem, Deus ei apparuit, & interdicto illo itinere, juſſit ut maneret in terrâ Canaan; ne verò hæſitaret Iſaacus, timidus & famelicus, promiſſum identidem datum Abrahamo Deus repetiit, & juramenti nomine inſignivit. His verbis, Gen. 26. 3. *Peregrinare in hâc regione, & ero tecum & benedicam tibi: nam tibi & ſemini tuo dabo omnes regiones illas: & præſtabo juramentum illud, quod juravi Abrahamo Patri tuo.*

Isaacus hoc promiſſum tranſtulit ad Jacobum & ſemen ejus, Gen. xxviii. 4. Idemque confirmavit Deus ipſe Jacobo: cùm mutato ipſius nomine in *Iſraelem*, dixit ei, *Ego* ſum Deus *Omnipotens ----- Regionem hanc, quam dedi Abrahamo & Iſaaco, tibi daturus ſum, & ſemini tuo poſt te dabo hanc regionem*, Gen. xxxv. 11, 12. Deinceps hæc hæreditas promiſſa, eodem jure & titulo, Dei omnipotentis nomine transfertur à Jacobo ad Joſephum & ipſius ſemen in perpetuam poſſeſſionem, *Gen.* xlviii. 3. 4. Denique à Joſepho moribundo traditur & traducitur

ducitur hoc donum Dei ad filios ſuos & ad fratres, capita tribuum Iſraëlis, *Gen.* l. 24.

Ita repetitis vicibus res eadem confirmatur, idque variis temporibus & gradationibus. Deus ſeſe obſtrinxit ad hæc exequenda vi *promiſſi*, *fœderis*, & *juramenti*: quibus nihil habetur ſanctius aut inviolabilius. Promiſſum obligat fidem privatam, Fœdus publicam, omnem denique fidem, humanam & divinam complectitur juramentum.

2 Chron. xx. 7. Pſal. cv. 8. & cxxxii. 11, &c.— Heb. vi. 13, 17, 18.

Hactenus de promiſſis Dei ad Patriarchas (tam ſeparatim quàm conjunctim, *Exod.* vi. 4, 8. *Deut.* i. 8. & xxx. 20.) & eorum filios de Terrâ Canaan poſſidendâ olim datis. Notum eſt, hanc Terram deinceps poſſediſſe Iſraëlitas, & eatenus completa fuiſſe promiſſa; inde etiam expulſos fuiſſe ſæpiùs, & denuò reſtitutos, uſque ad ultimam & graviſſimam, quam à ſeptendecim prope ſæculis ſuſtinuerunt expulſionem, & etiamdùm ſuſtinent. Quùm verò data ſit Iſraëlitis in *perpetuam hæreditatem* Terra Canaan, diſceptatur meritò, an tandem reſtituendi ſint in antiquam patriam, ne irrita fiant Dei promiſſa.

Prædixere quidem ſæpius Prophetæ Captivitates, ſimul & reductiones Iſraëlitarum, reſpondítque Vaticiniis rerum exitus: neque inde læſum eſt promiſſum divinum. Non enim poſtulabat ratio promiſſi, ut Terram illam poſſiderent Iſraëlitæ omni tem-

 pore,

pore, continuâ & nunquam interruptâ annorum ſerie, ſed ut poſtliminio ſaltem redierent ad præſignatam hæreditatem. Ita nempe ut jus fundi, à quibuſcunque occupati, ad eos ſemper pertineret; *ſemper*, inquam, & ad extremum, virtute donationis divinæ, quæ extingui nequit. Nullum tempus occurrit Deo, nulla præſcriptio.

NUNQUAM punitum iri Iſraëlitas, ſive domi, ſive foris, (bellis, exilio & captivitate) nullibi promiſit Deus; è contrà, interminatus eſt iis omne genus pœnarum quoties graviter peccaverint. Ita Moſes, *Lev.* xxvi. & *Deut.* xxviii. aliique paſſim Prophetæ, ut periculum admoniti præcaverent. Sed agitur impræſentiarum de expulſione, captivitate & deſolatione *perpetuis*, quemadmodum in antedictis hæreditas *perpetua* promiſſa fuerat. Moſes autem in dicto loco Levitici, atque alibi, poſt extremas calamitates ſubeundas reſtitutionem pollicetur, virtute primævi fœderis quod memoravimus. Ita enim orationem de pœnis præmiſſis concludit, ſi peccata ſua Patrumque confeſſi fuerint, meque in patriam inimicorum eos adduxiſſe, *Si tandem abjiciatur cor iſtud eorum incircumciſum, & acquieſcant in pœnâ iniquitatis ſuæ: utique recordabor fœderis mei cum Jacobo, & fœderis mei cum Iſaaco, atque fœderis mei cum Abrahamo recordabor, ac terræ ipſius recordabor.*-----

—Ver. 44. *Inſuper hujus rei* recordabor, *quùm erunt in*

Deut. iv. 30, 31.

Lev. xxvi. 39, 40, &c.

in terrâ inimicorum ſuorum, me non ſpreviſſe eos, neque faſtidiviſſe, ad conſumendum eos: irritum faciendo fœdus meum cum eis: Quià Ego Jehova ſum Deus ipſorum. —Ver. 45.
Recordabor, inquam, erga illos fœderis priſcorum, quos eduxerim è terrâ Ægypti ante oculos gentium, ut eſſem ipſis Deus, Ego Jehova. Repetit promiſſa Patribus data, & eorum ſe memorem fore dicit, cum verſarentur Iſraëlitæ in terrâ alienâ. *Vid. etiam* Deut. xxx. *ad* Ver. 10.

At inquies, ad hanc Dei miſericordiam erga Iſraëlitas exules & afflictos obtinendam, præmittit exigitque Moſes eorum reſipiſcentiam & ad Deum converſionem; Rectè mones, atque hæc quoque dabit Deus præſtituto tempore: ut in ſequentibus oſtendetur. Qui promittit finem, præſtabit media, quùm ſit Deus Omnipotens. Intereà concedere videris, datâ hâc conditione reſtauratum iri Iſraëlitas, & in ſuam patriam redituros eſſe: Nondum itaque deſperandum eſt de fortunâ, ſalute, & futurâ eorum reſtitutione. Volvuntur ferè per hunc circulum fata Judæorum: *Peccant, puniuntur: Reſipiſcunt, redintegrantur.* Cujus rei exempla videbimus in ſubſequenti diſſertatione.

Hactenus de iis quæ in Scriptis Moſaicis occurrunt, primo quaſi intuitu, circa hoc argumentum. Sed conſulenda ſunt prætereà aliorum Prophetarum oracula, ut eorum

conſenſu & ampliori explicatione corroborentur antedicta, & de reſtituendis Iſraëlitis ſpes lætior effulgeat. Notum eſt, apud *Iſaiam*, *Jeremiam*, reliquoſque Prophetas, tractari potiſſimum de ſorte & fatis Iſraëlitarum; Eorum nempe proſperâ & adversâ fortunâ, maris inſtar reciproci fluctuantibus. Nunc gaudent pace & rerum copiâ, dein ab hoſtibus oppreſſi abductique in alienas terras, gemunt aliquamdiù ſub captivitatis jugo: unde denuò liberati favore Numinis, ad antiquum ſolum & patrimonium reducuntur. Atque hæc ſæpiùs alternant vices; ſed inter has viciſſitudines eminet una, à Moſe memoriæ prodita, & à Prophetis ſuccedentibus confirmata, quâ cùm inter omnes gentes diſſipati fuerint & diſperſi Iſraëlitæ, uſque ad fines terræ, revocandi ſunt gloriosè & ſtabiliendi in ſuâ terrâ, cum dominio inſigni, pace & fœlicitate multifariâ, in perpetuum duraturis. De hâc reſtitutione ſupremâ Iſraëlitarum præcipuè quæritur, an præterita & completa ſit, necne. Quod, ſecundùm datos characteres, ulteriùs à Prophetis diſcendum eſt.

Deut. c. xxviii. & c. xxx.

Iſaias.

ISAIAS, capite ſecundo, Meſſiæ adventum deprædicat ad Judam & Jeruſalem: & ipſius judicia juſta in Gentes, & tempora pacifica Iſraëlis notat & depingit his verbis,

—Ver. 4. *Judicabit inter gentes, & corripiet populos multos: tundentque gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces; Non attollet gens*

una

una in alteram gladium, neque diſcent amplius bellum. Dein Majeſtatem Dei terribilem deſcribit, cum venerit ad concutiendam Terram. Neque hæc tempora pacifica inter omnes populos, neque hunc Diem terribilem, prout deſcribitur, adhuc vidimus. Sed quum hujuſmodi vaticinia ſæpius occurrant pleniúſque apud hunc Prophetam alioſque, de iis infra dabitur differendi locus. —Ver. 10, &c.

Interea notandum, utì hic pacem, ita capite quarto in eodem Meſſiæ adventu gloriam & majeſtaticam Dei præſentiam Iſraëlitis promittit & prænunciat Propheta. Ita enim intelligo ipſius verba, *Creabitque Jehova*, nempe illo tempore Meſſiæ, *ſuper unumquodque habitaculum montis Sionis, & ſuper conventus ejus, Nubem interdiù fumumque, & ſplendorem ignis flammantis noctu: nam ſuper totam gloriam erit protectio.* Nihil dubito Prophetam reſpicere & deſignare τὸ *Schechinah*, ſive majeſtaticam Dei præſentiam, qualem Deus exhibuit Iſraëlitis in deſerto; atque in hoc verſu & ſequenti explicitam mentionem facit τ'ὸ *Schechinah* Chaldæus Paraphraſtes. Quùm verò poſt redemptionem Babylonicam, in ſecundo templo non apparuerit *Schechinah*, hæc ad futura tempora referenda videntur. Cap. iv. 5.

Idem *Schechinah* exhibetur Prophetæ Cap. vi.
glorioſiùs in capite ſexto, propiuſque ad modum

modum Schechinah in Templo: aſtantibus Seraphim, & fumo, ad præſentiam Dei, do-
—Ver. 10, &c. mum pervadente. Ibidem narrat Propheta incraſſatum fore aliquamdiù cor Iſraëlitarum, devaſtatas urbes, populumque diſperſum: & cùm hæc occœcatio aut obduratio eouſque permanſerit, tandem rediture ſunt reliquiæ Iſraëlitarum, Truncus aut radix non abſcinditur, licet diù fuerint abſque flore aut fructu.

Hactenus hæc duo capita aut characteres, De *pacificis temporibus* & *divino Schechinah* ad Iſraëlitas redituris proſecuti ſumus, & ad definiendum tempus illius *pacis* & *gloriæ* nonnulla dedimus indicia, ſed clariora ſuperſunt. Iter enim tendimus verſus ſolem orientem, & quo longiùs progredimur eo minores erunt umbræ & lux fortior. Pergamus in propoſito.

Cap. ii. Capite undecimo renovatur iterum promiſſio de ſtatu rerum pacifico ſub regno Meſſiæ orituro, ſcilicet à juſtitia & fide quæ florebunt maximè ſub imperio Meſſiæ. Sic
—Ver. 5, 6. ait Propheta, *Erit enim Juſtitia cingulum lumborum ipſius, & fides, aut veritas, cingulum renum ipſius. Quapropter commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hædo recubabit, vituluſque, & juvenis leo, ac pingue pecus ſimul erunt, & puer parvulus dux inter eos, --- Et oblectabit ſe*
—Ver. 8, 9. *lactens ſuper foramen aſpidis, & ſuper ſpecum viperæ manum ſuam mittet ablactatus.*

tatus. Non nocebunt, non malo afficient, non detrimentum aut injuriam inferent, *neque perdent in toto monte ſanctitatis meæ, cùm plena erit Terra ſcientiâ Jehovæ, velut aquis alveum maris operientibus.* Hic multa & magna pollicetur Propheta, præter ſanctitatem & ſcientiam Dei copioſiſſimam, inimicitias omnes inter bruta animantia ſublatum iri innuit, ſaltem erga homines nulla erit eorum maleficentia. Si has notas regni Meſſiæ recolamus, non video quî poterunt congruere aut torqueri ad hodierni temporis ſtatum deſignandum. Sed hæc cuique æquâ lance trutinanda relinquo, repetentur identidem in ſequentibus, & pleniſſimè capite 65. ubi, ni fallor, totius myſterii clavim nobis tradit Propheta.

Interea notandum, in hoc capite utrumque adventum Chriſti præſignificari. Quoad primum non ambigitur: ſecundum autem (præter jam dicta) exhibere videntur illa versûs quarti verba, *Percutiet Terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet Improbum.* Addit Chaldæus Paraphraſtes *Armillum* improbum. Quo nomine Antichriſtum ſuum deſignant Judæi. Utcunque id ſit, huc reſpexiſſe videtur Apoſtolus, 2 *Theſ.* ii. 8. cum ait, *Tunc revelabitur Improbus ille, quem Dominus abſumet ſpiritu oris ſui, & illuſtri adventu ſuo abolebit.* Hoc de Antichriſto intelligunt Interpretes Chriſtiani plures & celebriores,

briores, ad ſecundum Chriſti adventum abolendo. Quem utique adventum deſcripſerat Apoſtolus capite præcedenti, Ver. 7, 8, *&c.* & πανολεθείαν quandam improborum inde ſecuturam.

Præterea adjecit hæc Propheta, Ver. 11. *Adveniet illo tempore ut adhibeat Dominus ſecundò manum ſuam, ut recuperet reliquum populum ſuum ab Aſſyriâ,* aliiſque locis plurimis. Agitur hic, ut vides, de *ſecundâ* aliquâ reſtauratione populi Dei, ſive Iſraëlitarum, ut dicitur Ver. 12. & ſequentibus: Et de unione & reductione undequaque diſperſorum in omnes angulos Terræ. Quæritur, de quâ reſtauratione hîc loquatur Propheta? Divulſæ erant à Judâ tribus Iſraëlis ante hæc tempora, necdum ſunt reſtitutæ: Proinde de futuris adhuc temporibus intelligenda eſt hæc promiſſa reſtauratio, & adunatio. Neque ad reductionem Babylonicam referri poteſt, quùm in eâ non reductæ fuerint tribus Iſraëlis. Præterea, in omnes partes terræ, in omnes regiones quas nominat Propheta, non diſperſi erant Hebræi ante excidium Hieroſolymorum. Denique ea liberatio de quâ loquitur Propheta, erit ad modum Ægyptiacæ, exiccato mari & fluminibus quæ obſtiterint (confer cap. xxvii. 12, 13, & xlii. 15, 16. *Zech.* x. 10, 11. *Apoc.* xvii. 12.) quorum nihil ſimile contigit in liberatione Babylonicâ. His omnibus expenſis, æquum mihi

mihi videtur, ut hanc *ſecundam* & univerſalem reſtaurationem Iſraëliticam de temporibus aliquibus Meſſiæ intelligamus; de quibus loquitur Propheta verſibus præcedentibus, &, ni fallor, per totum hoc caput. Quùm verò in primo adventu Meſſiæ nihil iſtiuſmodi contigerit Iſraëlitis, ſed potius contrarium, in ſecundo ipſius adventu hæc complenda expectamus.

TRANSEAMUS ad *caput* xxiv. ubi totius terræ deſtructio prædici & explicari mihi videtur. Mos eſt Iſaiæ, aliiſque Prophetis, ut quoties offertur occaſio ab excidio aliquo gravi hujus aut illius urbis & gentis, quod imaginem gerat typumve eorum quæ toti mundo noviſſimis diebus obventura ſunt, eò libenter animum & orationem convertant. Cum ſtrage maximâ inimicorum Dei finietur hic mundus, ut ex oraculis ſacris utriuſque fœderis patet; & ad hanc ſtragem maximam ſuccedet glorioſum Meſſiæ regnum. Eandem rerum faciem nobis exhibet Propheta in hoc capite, ſtragem maximorum, naturæ perturbationem, & dein Chriſtum in Sione glorioſè regnaturum. Verſus tres ultimos repetamus, ſecundum vulgatum Interpretem, *Et erit in die illâ viſitabit Dominus ſuper militiam cœli, in excelſo, & ſuper reges Terræ qui ſunt ſuper Terram: Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & poſt multos dies viſitabuntur.*

Cap. xxiv.

—Ver. 21, 22, 23.

buntur. Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol, cùm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion & in Jeruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum, vel ſeniorum, *fuerit glorificatus.*

Quicunque ſint *Seniores* illi, erunt Spectatores & participes regni Chriſti. Nec alii mihi videntur quàm Seniores illi Apocalyptici, *Rev.* iv. 4. & cap. v. 8, 9, 10. *Qui Reges facti & ſacerdotes regnabunt cum Chriſto in Terrâ.* Hi verò ſeniores, à pleriſque pro conceſſu Patriarcharum & Apoſtolorum habentur, & eoſdem hic intelligendos eſſe cenſeo. Dein, Quicunque ſint Illi

—Ver. 21, 22. *Excelſi in excelſis* qui diſtinguuntur à Regibus terræ, ligabuntur in vinculis, & claudentur in carcere. Quod facit ut reminiſcar ligati Satanæ, & conjecti in carcerem, adveniente regno Chriſti, *Apoc.* xx.

Denique, ut ad propoſitum arctiùs revertamur, Quærendum adquos populos hæc ſpectent Vaticinia? Habituri ſunt in hâc victoriâ, hâc gloriâ, ſuas partes Iſraëlitæ; nec opinor, exiguas. Sequitur enim capite proximo,

Cap. xxv. *Hymnus* Prophetæ: & ſubſequenti, *Canticum Sionis.* Has laudes Deo fundunt Iſraëlitæ, unà cum aliis. Quemadmodum in Cantico priori, cap. xii. 6. quod hoc clauditur epiphonemate, prout ex Chaldæo vertitur. *Exulta & lauda, Congregatio Sionis, quià magnus eſt qui dixit ſe collocaturum Schechinah ſuum*, præſentiam ſuam Majeſtaticam,

cam, *in medio tui, Sanctus Iſrael.* Nec minus in fine hujuſce Cantici, *cap.* xxvi. ſecundum eundem Paraphraſtem, *Revelabitur Deus de loco Majeſtatis ſuæ*, vel majeſtaticæ ſuæ preſentiæ.

Hæc tria Cantica ſunt quædam *Epinicia*, ut canticum Moſis, Deboræ, & plura in Apocalypſi. Sunt, inquam, Epinicia, ad modum triumphi in proſtratos hoſtes, & laudis ad Deum ſoſpitatorem ob recuperatam libertatem. Referuntur autem ſpeciatim ad Iſraëlitas, ut ex totâ oratione conſtat: Ita tamen ut ad omnes pertineant quos Deus eripiet è malis & miſeriis, & in libertatem, ſalutem, gloriamque afferet.

Quærendum denique, Quæ tempora hìc reſpiciat Propheta? Res ipſa loquitur: Quæ enim alia redemptio, liberatio, aut gloria illi quam deſignat Propheta par eſſe poterit, præter illam illuſtriſſimam in ſecundo adventu Chriſti futuram. Tunc glorificabitur Chriſtus coram ſuis Sanctis aut Senioribus, ut dixerunt Apoſtoli, 2 *Theſ.* i. 6, 7, *Apoc.* cap. 11. 16. Atque ipſum illud tempus definire videtur Propheta, & quaſi niveo lapillo inſignire, cum ait in ſuo *Cantico*, (cap. 25. 8.) *Abſorbebit ipſam mortem in victoriam, & abſterget Dominus Jehova lachrymas ab omnibus faciebus, & opprobrium populi ſui amovebit à totâ terrâ. Nam Jehova locutus eſt.* Vide de quo tempore hæc loca Prophetarum interpretati ſint Apoſtoli,

poſtoli, & eà de re nulla erit amplius controverſia, 1 *Cor.* xv. 54. *Apoc.* xxi. 4. Sed progrediamur cum Prophetâ de reſtaurandis Iſraëlitis.

Cap.xxvii. *CAP.* XXVII. Deſtructo *Leviathane*, (quiſquis fuerit, ſive Satanas, ſive quivis alius Dei hoſtis) & punito purgatoque *Iſra-*
—Ver. 14. 15. *ële*, recolligentur dein Iſraëlitæ. *Erit autem illo tempore, Excutiet Jehova inde à fluxu illius fluminis, uſque ad torrentem Ægypti: Vos autem colligemini ſigillatim, O Iſraëlitæ. Eritque illo tempore, cum clangetur buccina magna, ut veniant qui perierunt in terrâ Aſſyriæ, & qui pulſi fuerunt in terrâ Ægypti, incurvent ſe Jehovæ in monte ſancto Jeruſalem.* Ad decem Tribus ſi hæc applicueris, nondum ſunt reductæ. Neque Babylonis, quò refertur ab aliis Prophetia, hic ulla fit mentio. Atque *clangor ille tubæ magnæ, & expergefactio mortuorum*, vel quaſi mortuorum, cujus meminit Propheta præcedenti capite, ad aures meas quiddam majus ſonant quàm paucorum reditum à *Babylone*. Pergamus adhuc ad ulteriora.

Phropetarum ſcripta ita ſunt intertexta variis argumentis, ſtyluſque adeò intercluſus ſubitis tranſitionibus, ut non facilè ſit idem filum ſequi per ſingula capita, & quid ad quamque materiam pertineat certò diſtinguere. Interminationes aut pœnæ conſolationibus permiſcentur. Nunc ad hanc, nunc illam

illam captivitatem reſpicitur: ad decem Tribus aut reliquas, ad Iſraëlitas aut Gentes: ad tempora inſtantia aut futura. Denique ad Judæos aut Chriſtianos, quandoque ſub iiſdem titulis & nominibus. Hæc & hujuſmodi alia ſæpius incertos faciunt Interpretes, & inter ſe multùm diſcrepantes. Cum mentio fit antiqui fœderis Patriarchis dati minus hæremus in reddendo ſenſu: Ita *cap.* xxix. Cap. xxix. hujuſce Prophetæ poſt peccata pœnaſque ex- 22. poſita, adjicit Propheta *ver.* 22. *Idcirco ita ait Jehova, (qui redemit Abrahamum) de Jacobo: Non jam pudefiet Jacobus, neque jam facies ejus expalleſcet. Nam cum videbit natos ſuos, opificium manuum mearum in medio ſui, ſanctificantes nomen meum: tum ſanctificabunt Sanctum Jacobi, & Deum Iſraëlis exſpaveſcendum prædicabunt. Ut cognoſcant errabundi ſpiritu prudentiam, & obmurmurantes diſcant doctrinam.* Redemptio hic promittitur Iſraëlitis, & eandem ampliùs proſequitur Propheta capite ſequenti, cumulatque abundanti rerum copiâ. Nec obſtabit afflictio quæcunque intermedia, gratioſus erit in fine Dominus Iſraëli. *Cap.* xxx. 18, 19, 20. Cap. xxx. *Idcirco expectabit Jehova gratiam facere vobis, & idcirco elaturus eſt ſe ad miſerendum veſtri, quià Deus juſtitiæ eſt Jehova: Beati omnes qui expectant Eum. Nam populus Sionis habitabit Hieroſolymis: porrò non flebis, omninò gratiam faciet tibi*

ad vocem clamoris tui: ſimul ac audierit exaudiet Te. Dabit tibi quidem Dominus panem anguſtiæ, & aquas oppreſſionis: verùm non includentur angulo amplius docentes te; ſed oculi tui videbunt doctores tuos. Hoc de illuminatione divinâ, & viſione Dei Majeſtaticâ intelligit Chaldæus Paraphraſtes.

Cap. xxxii. CAP. xxxii. ſic incipit, *Ecce in juſtitiâ regnabit Rex, & Principes juſtè principatum gerent*, &c. Licet hæc de *Hezechiâ* quadantenùs intelligi poſſint, velut in typo: Eſt tamen in ideâ hujuſce regni, prout infra deſcribitur, aliquid ſublimius & beatius quàm ut poſſit temporibus illis adaptari. Erit regnum pacis, juſtitiæ, ubertatis, & incolumitatis perpetuæ, *ver.* 16, 17, 18. Et præter hæc bona, ſcientia aut illuminatio divina, *ver.* 3, 4. Et effuſio Spiritûs Sancti, *ver.* 15. in dicto tempore communicanda promittuntur. Hæc ad regnum Meſſiæ primariò & plenè pertinere nemo negaverit. Et cùm toties hæc promiſſa, de bonis externis & internis, (præter dicta & dicenda vide caput ſubſequens, *ver.* 20. ad finem) facta ſint Iſraëlitis; nec iis contigerint ſub primo Meſſiæ adventu, ad ſecundum mihi videntur expectanda.

NEQUE obſtant quæcunque intervenerint calamitates & deſolationes, hic & alibi prædictæ à Prophetis; ſemper fuit permiſta, & acriter condita ſuis pœnis conditio Iſraëlitarum.

rum. Hoc curæ paternæ eſt, ut caſtigationes & benefactiones viciſſim recipiant chari liberi: ut eo meliùs, inter ſpem & metum, in debitis obſequiis detineantur. Denique, cum experti ſunt pœnas, eo certiores facti ſunt, modò revertantur ad frugem, de præmiis ſecuturis. Prov. iii. 11, 12. Ad Heb. c. xii. 6, 7, 8.

Cap. xxxiv. exhibetur horrenda ſtrages Idumeæorum; Eo nomine intelligunt alii *Romanos*, alii generatim Dei hoſtes. Neque facilè mihi perſuaſero nomen illud *Edom*, *Idumea*, & hujuſmodi, in ſcriptis ubique Propheticis eſſe merè gentilitium, nec ultra aliud quicquam involvere. Quorſum enim toties in exiguam gentem intonuere minas Prophetæ, tam majores quàm minores? Et in hoc ipſo capite cœlum & terras miſcet *Iſaias*, & tragœdias agit tanquam de mundo ruituro. Conſule locum, atque animi tui ſenſus. Tanto apparatu, panolethriâ & triumpho mihi potius repræſentare videtur extremum prælium Gog & Magog, quod reſtaurationem integram Iſraëlitarum præceſſurum eſt. Sed eâ de re poſtea diſſerendum eſt. Intereà ſi ad literam exigatur Prophetia, quam velis Idumeæ gentis internecionem hic intelligamus? Victi ab *Hircano* Idumei, circumciſionem admiſerunt, reliquamque juxta Judaicos ritus vivendi formulam, atque ex illo tempore cœperunt inter Judæos cenſeri. Cap. xxxiv. Joſ. Antiq. Jud. l. 13. c. 17.

Sed, ut rem expediamus, his hoſtibus quibuſcunque Dei & Iſraëlis funditùs extinctis, ſuccedit lætiſſimus & florentiſſimus, (ſive totius mundi, ſive Iſraëlitarum) ſtatus; qui capite ſequenti fusè exponitur,
Cap. xxxv. Deſerto, cujus ſuprà meminerat Propheta, in Paradiſum jam converſo. Rident hic omnia, ut horrebant antea. Novus exoritur rerum ordo, atque omni bonorum genere tituliſque, pulchritudinis, pacis, ſalutis, gloriæque divinæ, ad inſtar novæ *Jeruſalem*, adornatur. Rem ipſam dico, non efferor, non exaggero. Adi locum Prophetæ priori parte capitis; dein hæc ſequuntur:
—Ver. 9. *Non erit ibi leo, nec violenta ulla fera conſcendet illuc, non invenietur ibi, ſed ambulabunt ibi vindicati.* Ii nempe quos Deus ſibi aſſeruit & vendicavit: *Et redempti*
Apoc. xxi. 4. & iv. 15, 16, &c. *Jehovæ revertentur, pervenientque Sionem cum cantu & lætitiâ perpetuâ ſuper caput eorum. Gaudium & lætitiam aſſequentur, fugientque mœror & gemitus.*

Ad regnum Meſſiæ hæc eſſe referenda conſentiunt ferè omnes Interpretes. Certè non congruunt ad *Hezechiæ* tempora, ut voluit *Grotius*. Exigua illa & fugitiva neutiquam reſpondent Prophetæ verbis. Redemptio & inſtauratio hic memoratæ ſunt multo magis univerſales, & perennes. Nec ad ſolos Judæos hæc reſtringenda velim, ſed omnes complecti quos ſuis tandem afflictionibus liberabit Deus, & præfatis donabit beneficiis.

beneficiis. Sed in quo ſæculo, quâ hominum ætate reperiemus hæc aurea tempora, fœlicem hunc rerum ſtatum? Nihil illius ſimile nos hactenus vidimus, nec par quicquam retulêre majores. Hæc illuſtris inſtauratio & præclara conditio reſpiciunt tempora aliqua Meſſiæ, ut ſupra diximus: ſed quem adventum Meſſiæ reſpiciant, ambigitur. Si in primo adventu non completa fuerint, in ſecundo complenda meritiſſimè expectamus. Denique, ſi ad Iſraëlitas (non excluſis aliis) referantur: ut verba ipſa præ ſe ferunt, totaque Prophetia: Hos reſtituendos eſſe, in ſecundo Chriſti adventu, ad ſtatum fœlicem ſanctumque, concludendum eſt.

Sequitur capitibus xxxvi. xxxvii. xxxviii. xxxix. hiſtoria *Hezechiæ* & *Sennacheribi*, eâque peractâ, redit Propheta ad ſuum argumentum ſolenne & pluſquam decies repetitum, de *Regno Meſſiæ.* Capitibus xl. xli. xlii. xliii. xliv. varia ſunt intertexta, Adventus Meſſiæ, confuſio idolorum, omnipotentiæ divinæ declaratio, & reſtitutiones Iſraëlitarum. *Reſtitutiones* dico, nam ultra Babylonicam proferri mihi videntur. Conſule, ſi placet, *cap.* xli. 8, 9, 10, &c. *cap.* xlii. 13, 14, &c. *cap.* xliii. 3, 4, 5, 6, 7, & 18, 19, &c. *cap.* xliv. 1, 2, 3, &c. & 21, 22, &c. *cap.* xlv. 17, & 25. unà cum *cap.* xlvi. 3, 4. Hæc loca indigitamus tantùm ut ab aliis expendantur, monſtrentque quantum curæ & affectûs perpetui in Iſraë-

litas teſtatur Deus. Dein *cap.* xlix. quò progredimur, amoris chariſſimi motus & affectus repetit, & vehementiùs exprimit.

Cap. xlix. Hoc caput eſt Vaticinium illuſtre de Meſſiâ venturo, tam ad Judæos quàm Gentes. *ver.* 13. & ſequentibus Judæos ſignatè videtur Deus alloqui. Quid autem dicit; Audiamus verba Prophetæ: *Cantate*
—Ver. 13. *cœli, & exulta terra, & fragorem edite*
14, 15, 16. *montes cantu, quia conſolatus eſt Jehova populum ſuum, & afflictorum ſuorum miſertus eſt. Quod ſi dicat Sion, dereliquit me Jehova, & Dominus oblitus eſt mei: An oblivisci poteſt mulier fœtûs ſui, ut non miſereatur filii uteri ſui? etiam hæ obliviſci poſſint, tamen Ego non obliviſcar tui. En in manibus ſculpſi te: Muri tui ſunt ante oculos meos jugiter.* Querelas metumque exprimit Iſraëlitarum, ne penitus à Deo deſerantur, in perpetuam oblivionem traditi. Reſpondet Deus, id fieri non poſſe, quum Te magis amem quàm mater quælibet ſuum tenellum infantem: Teque ſculpſerim in manibus meis, ne unquàm elabaris è memoriâ.

Hæc quùm dixerit Deus, conteſtabimur contra? Iſraëlitas derelictos fore in perpetuum dicemus, extra omnem ſpem reditûs & inſtaurationis? Audacis hoc eſſet ingenii. Præcipuè cùm in ſubſequentibus Propheta non tantùm inimicos ſubactum aut reconciliatum iri doceat, ſed etiam querebundos exhibeat

exhibeat Iſraëlitas, ne ſatis ſit loci ſibi & ſuis amicis. *Anguſtaberis præ habitatoribus, procul recedentibus qui abſorbebant Te.* —Ver. 19. & cap. liv. 2. Confluent plures & miraberis numerum filiorum tuorum, ab omnibus terris, ſub auſpicio numinis, ſubitò reductorum. Hæc ad finem capitis proſequitur Propheta.

In hoc Capite derelictionem & reſtitutionem memorari vident omnes: & utramque reſpicere aliquo modo Iſraëlitas. Referuntur quidem hæc Vaticinia à nonnullis ad tempora Babylonica, ab aliis ad tempora Meſſiæ: & multo quidem probabiliùs, quùm de regno Meſſiæ per totum caput tractari videatur. Exitus utique Babylonicus, & ſtatus à Prophetâ prædictus, comparati invicem non reſpondent. Redemptio univerſalis hic promittitur, —Ver. 12. & ab omnibus terris recollectio, quùm altera nec univerſalis fuerit reſpectu populi Iſraëlitici, nec locorum unde redierant. Præterea, queruntur hic Iſraëlitæ reduces de anguſtiis ſuæ regionis, at in reditu à Babylone deſolatam terram invenerunt, & ad eandem colendam vix ſatis populi. Denique ſine cæde & ſanguine peracta eſt illa liberatio Babylonica. Hic autem madent, aut inebriantur hoſtes ſuo —Ver. 26. confer Apoc. xvi. 6. ſanguine, & proſtrati ad pedes Iſraëlitarum lingunt pulverem terræ. Hæc aliena ſunt prorſus à reſtitutione Babylonicâ, & in poſterioribus ſæculis quærenda ſunt; ſed fruſtrà quærentur in præteritis ſæculis quibuſ-

cunque, ut non ſemel oſtenſum eſt; in futuris ideò ſpe lætâ gaudeant, & implendam expectent Iſraëlitæ.

Cap. li. COMITEMUR Prophetam ad *cap.* li. ubi eadem vel majora recurrunt de reſtituto &
—Ver. 2. florenti Iſraëlitarum ſtatu. Jubet Propheta ut reſpiciant ad Abrahamum Patrem; & quaſi ejus ſe dixiſſet Deus memorem fore,
—Ver. 3. ſequitur, *Conſolabitur Jehova Sionem, conſolabitur omnes vaſtitates ejus, & diſponet deſertum ejus tanquam Edenem, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Jehovæ; Gaudium & lætitia invenienter in illo, gratiarum actio & vox pſalmodiæ.* Et ad hoc confirmandum, quæcunque acciderint rerum mutationes, ait *ver.* 6. *Licet Cœlum & Terra* evanuerint, duraturam adhuc ſalutem
—Ver. 7, &c. ipſius erga Iſraëlem. In ſequentibus Propheta ſpem & animos Iſraëlitarum erigit, revocando in mentem eorum ex Ægypto liberationem, aliaque Divinæ Omnipotentiæ
—Ver. 11. miracula. Dein ſubdit, *Ita redempti Jehovæ revertentur, & ingredientur Sionem cum cantu, lætitiâque perpetuâ* (Chald. habet *nube gloriæ*) *ſuper caput ſuum: Gaudium & lætitiam aſſequentur, fugient mæror & gemitus.* Quid ultra petere poſſunt, utut avara vota? Sed ante hanc plenam integramque redemptionem indicat Propheta Iſraëlem ebibiturum eſſe *poculum furoris & excandeſcentiæ divinæ.* Nempe perpeſſurum eſſe pœnas graviſſimas & amariſſimas,

mas, *vaſtationem, contritionem, famem, gladiumque.* Tandem verò his calamitatibus epotis pro ſuâ parte, traditur poculum amarum in manus inimicorum, ut exhauriant reſiduum. Sic ait Propheta, *Audi O afflicta & ebria, non autem ex vino: ſic ait Dominus tuus Jehova & Deus tuus, qui cauſam aget populi ſui: Ecce recipio de manu tuâ poculum horroris, fæces poculi excandeſcentiæ meæ; nec iterum illud bibes amplius.* Hæc de afflictione ultimâ prædici videntur. *Sed ponam illud in manu affligentium Te, Qui dicebant animæ tuæ, proſterne te, ut tranſeamus: Quibus exponebas, tanquam humum corpus tuum, & tanquam plateam,* aut viam communem, *tranſeuntibus.*

2 Theſ. i. 6, 7, &c.

—Ver. 21, 22, 23.

Ad Chriſtum hæc omnia transferuntur à nonnullis: & rectè quidem ad Chriſtum Liberatorem. Sed quæſtio eſt, de quâ gente liberandâ hic loquatur Propheta: Non enim agitur de perſonâ ſingulari ſeorſim, ſed de gente aliquâ: &, ni fallor, Iſraëliticâ, ut apparet ex toto capite. Ubi ex rerum & verborum conſecutione ad Iſraëlitas referri videtur, poſt afflictionem acerbiſſimam, liberatio maxima.

Denique, qui hæc deprimunt ad fortunam Judæorum adverſam in captivitate Babylonicâ, proſperamque poſt reditum, parvis componere magna videntur. Certè non exhauſere calicem ultimum divinæ excandeſcentiæ

deſcentiæ in illa captivitate: ſuperfuit ebibenda portio multo major & acerbior: cum in obſidione & excidio Hieroſolymorum fame, gladio, peſte, quàm maximè plures periere Judæorum quam olim exierant è Babylone. Confer *Nehem. c.* 7. cum *Joſepho de Bell. Jud. l.* 7. *c.* 17. Dein in cæteris urbibus Judææ quas deinceps expugnavit & diruit *Titus*, facta eſt ubique immanis populorum ſtrages. Et tandem devaſtatâ Judæâ & in deſertum ferè conversâ, Romani deportàrunt pluſquam nonagintâ mille Captivorum, & in varias terras & regiones diſſiparunt. Nec tantùm, ut id ſuperaddam, à Romanis Ethnicis mala maxima perpeſſi ſunt Judæi, ſed etiam à Chriſtianis: Romani aut alterius nominis. Quanta autem, horret animus meminiſſe.

His triſtibus non libenter immoror: ſed de reſtitutione Judæorum quid dicit Propheta? Deſolata illi regio, cum reſtituetur, quam faciem induitura ſit, videamus. Erit inſtar *Edenis aut Paradiſi*, inquit Propheta, ut ſupra vidimus: populumque reducem omnibus malis immunem fore prædicat, & fœlicitate perpetuâ gaviſurum, *ver.* 6, & 11.

Qui hic depingitur rerum ſtatus, Naturalis & Moralis: adeo ſuperant mediocrem fortunam & fœlicitatem Judæorum poſt reditum à Babylone, ut hodiernæ naturæ vires, & hodiernæ œconomiæ ſtatum non parùm

rùm excedere videantur. Loquitur Propheta de Paradiſo reſtituto, de plantandis cœlis & terris, quaſi de novo, *ver.* 16. De ſtatu, non indolentiæ tantùm, ſed perennis gaudii: fugatis in perpetuum malis omnibus, animi, corporis, fortunæ: cùm viderint omnes terræ ſalutem Dei. *Vid.* cap. lii. 9, 10.

Nec afflictiones extremæ ſupra memoratæ, neque tantæ reſtitutiones contigêre Judæis ante tempora Chriſti. Ex illo tempore afflictiſſimi quidem ſunt, & reſpondet afflictio dictis Prophetæ. Proinde neceſſe eſt ut reſtitutio aliqua futura pariter reſpondeat fœlicitati hic promiſſæ. Pergimus ad *cap.* liv.

Exhibet hic Deus Iſraëlitis, ne deſerti aut oppreſſi animum deſpondeant, quædam munimenta ſuæ fidei: Amorem ſuum priſtinum, quaſi maritalem, quodcunque interveniat friguſculum, redivivum & perpetuum teſtatur, *ver.* 4, 5, 6, 7, 8. ſtabilemque ut fœdus cum Noacho initum. Dein addit, Etſi locum deſeruerint montes & colles, ſe tamen à firmitate & conſtantiâ ſui promiſſi non receſſurum. Qui hæc ab Iſraëlitis alienare volunt, dicant ingenuè & apertè, Quis *maritus*, quæ *ſponſa* & uxor adoleſcentiæ, quod *repudium* aut *viduitas*, quæ demum receptio, hic intelligenda ſint. Perpendant præterea, Qualis apparatus redeuntis ſponſæ, & quæ ei & ipſius filiis promit-

Cap. liv. —Ver. 9. —Ver. 10.

promittuntur. *Ver.* 11, 12. ad finem Capitis. Denique comparentur hæc cum verbis Prophetæ, *cap.* lix. 20, 21. prout à Sancto Paulo exponuntur, *Rom.* xi. 26, 27. Properamus ad *cap.* lx.

Cap. lx. In hoc Capite magnifica & glorioſa multa narrantur: ſed ad quos ſpectent, Iſraëlitas an Chriſtianos, dubitatur à nonnullis. Ambos ego quidem libenter hic complecterer, nempe cùm uniti fuerint in Regno Meſſiæ: nam de illius regni ſtatu tractare Prophetam, inter omnes prope convenit. Eatenus, inquam, convenit: ſed ambigitur de quo regno Meſſiæ, primo an ultimo, ſermonem inſtituat Propheta. Non exiguum eſt diſcrimen, fateor, inter illa duo regna. Quùm verò decerpſerit multa ex hoc capite S. Joannes in deſcribendo ſtatu *Novæ Jeruſalem*, (*Apoc.* xxi. 23, 24, 25, 26. & *cap.* xxii. 5.) non niſi in ſecundo Chriſti adventu apparituræ, ad idem tempus pertinebit hæc gloria promiſſa. Præſertim, cùm in primo ipſius adventu & hodierno regno conſummata hæc promiſſa & ad plenum deducta nondum viderimus: nec iis implendis quoad regnaverit Antichriſtus, locus eſſe videatur. Dicit Propheta inimicos omnes perditum iri, omneſque gentes confluxuras ad Sionem. Ibi juſtitiam regnaturam promittit, pacemque perpetuam, & rerum ubertatem. Hæc præclara & exoptatiſſima iterum

iterum iterumque repetuntur à Prophetis, & à nobis, heu diutiùs, expectantur.

Denique, Hæc pertinere ad Iſraëlitas, pro ſuâ parte, ipſa facies & color totius capitis & argumenti demonſtrant. Ut *Sionis*, *Iſraëlis*, *Sanctuarii*, *Jacobi*, aliaque nomina cognata prætereamus: De populis *redeuntibus loquitur* uſque Propheta, inſtar columbarum redeuntium ad ſua columbaria: hoc eſt, ad avitas ſedes aut receptacula. Eò advolant, ut nubes, numeroſè, celeriter & confertim, ut cœli faciem obtegant. Ita hæc intellexiſſe videtur Chaldæus Paraphraſtes, *Qui ſunt iſti qui veniunt, ut nubes velociſſimæ? Tranſmigratio Iſraëlis, quæ congregatur & venit ad terram ſuam, quaſi columbæ quæ revertuntur ad ſua columbaria.* Non autem mutârunt ſolum Chriſtiani expulſi & reverſuri ad ſuam patriam. Poſtremò, Divinum *Shechinah*, quod in hoc Capite bis promittitur (ſecundum eundem Paraphraſtem *ver.* 2. & 13.) in illo ſtatu futuro glorioſiùs rediturum, hactenus ad Iſraëlitas, nondum ad Chriſtianos, pertinuit.

Hoc Caput cum proximè ſequentibus connectitur, quæ idem proſequuntur argumentum: ut Meſſiæ gloria & inſtauratio Iſraëlis magis illuſtres fiant & conſpicuæ. Nimius eſſem, ſi pertractarem ſingula & excuterem, quæ diſtinguunt Iſraëlem ab aliis populis, & eorum ſortem futuram deſignant.

nant. Legantur tria hæc cap. l. li. lii. eodem ſpiritu, & quatenus ſpectent ad Iſraëlitas quiſque apud ſe perpendat.

Cap. lxiii. C AP. lxiii. ſic incipit, *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte glorioſus in ſtolâ ſuâ* gradiens *in amplitudine potentiæ ſuæ? Ego qui loquor juſtè, potens ad ſervandum.*

—Ver. 2. *QUARE ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?*

—Ver. 3. *TORCULAR calcavi ſolus, nam ex populis nullus vir mecum; calcavi eos in irâ meâ & conculcavi eos excandeſcentiâ meâ: ita aſperſus eſt ſanguis eorum veſtimentis meis, & omnia indumenta mea contaminavi.*

—Ver. 4. *QUIA dies ultionis in corde meo, & annus redimendorum meorum venit*, &c.

De Meſſiâ hic loqui Prophetam, rectè aſſerunt Interpretes plerique Chriſtiani, & antiqui Judæi. Dein verba ipſa teſtantur (cum *cap.* xxxiv. collata) ſtragem aliquam inſignem hic denotari. Hunc locum Prophetæ comparare ſoleo cum Viſione S. *Joannis*, *Apoc.* xix. ubi Ducem glorioſum magni exercitûs cùm deſcripſerat, addit, *Amictus erat veſte tinctâ ſanguine, vocaturque nomen ejus, SERMO ILLE DEI,* ver. 13. Quin hic ſit ipſe Chriſtus, audax eſt, nequid dicam gravius, qui negaverit. Dein ait *Joannes*, ver 15. *Is eſt qui calcabit lacum vini excandeſcentiæ & iræ Dei omni-*

omnipotentis. Confer ejuſdem *cap.* xiv. 19, 20.

Hæc ita reſpondent verbis *Iſaiæ*, ut de eodem Bellatore & eàdem ſtrage non poſſum non utrumque intelligere. Quapropter ad tempora Babylonica, Maccabæica, aut quæcunque alia ante dirutam gentem Iſraëliticam, referri nequeunt: neque iis refutandis immorari, operæ pretium cenſeo.

Sed quærit à Chriſto Deus, aut ab ipſius Spiritu Propheta, unde Illi hæ veſtes cruentatæ, & tanta ſanguinis effuſio? Mitem & immaculatum Agnum Dei non decet hic color, hæc cædes, ſed Lupum aut Leonem potius. Tacitè reſpondet Chriſtus, ſe meritò excandeſcere in hoſtes Dei, rebelles, Apoſtatas, aut inſigniter degeneres: nec parcendum eſſe eorum ſanguini. Injurias Deo illatas ulciſcor, inquit: ut decet *Leonem Judæ*, *Gen.* xxix. 8, 9, 11.

His dictis ſubjungit Propheta, Deum eſſe memorem ſemper *Domûs Iſraëlis*, afflictumque in eorum afflictionibus. Dein meminit liberationis eorum ex Ægypto per *Angelum præſentiæ*, ſive faciei ejus, *Moſe* ſubadminiſtratore, cum potentibus miraculis & prodigiis: quo minus deſperent Iſraëlitæ de quàvis futurâ redemptione. Denique preces fundit ardentiſſimas Propheta pro ſalute Iſraëlis, & per ſuam omnipotentiam, per ſua viſcera miſerationum, per antiqua jura Deum orat & obteſtatur, utcunque

—Ver. 6, 7.

—Ver. 9.

—Ver. 15 &c.

que

que ſit eorum ignarus hodiè *Abrahamus*, ut apud ipſum non tradantur in oblivionem. Nec minori æſtuat zelo in adverſarios Dei

Cap. lxiv. Capite ſequenti, *Utinam lacerans cœlos deſcenderes, à facie tuâ montes defluerent: ut ignis liquefaciens ardet, qui coquit & ebullire facit aquas*, cum cæteris quæ ſequuntur miris, inexpectatis & terribilibus. Eò pertinent hæc omnia, ut ingentem cædem inimicorum Dei expectemus, & quandam Iſraëlis inſtaurationem ante finem mundi. Addam id tantùm, In his capitibus mentionem fieri ſæpiùs ſecundum Chaldæum Paraphraſtem, redituri *Shechinah*, ad Iſraëlem quod pridem diſparuerat. *Vid. cap.* lxiii. 17. & *cap.* lxiv. *ver.* 3. & 6.

Cap. lxv. Sequitur *cap.* lxv. In quo illud eſt egregium & imprimis notabile, quod hic primùm explicitè mentio fiat *Novi Cœli* & *Novæ Terræ*, futurorum. *Explicitè*, inquam, nam in antecedentibus Vaticiniis pro-

Cap. li. 3. miſerat Deus *Paradiſum redivivum:* & quæ ſtatum illum comitantur, rerum ubertatem & delicias, exutam beſtiarum feritatem, pacem perennem: ægritudinis, doloris, & moleſtiæ vacuitatem. Hæc, inquam, promittuntur ſæpiùs, prout ſupra notavimus gradientes ſenſim per hujuſce Prophetæ capita & conciones. Vide notata ad *cap.* ii. 4. *cap.* xi. 5, 6, 8, 9. *cap.* xxv. 8. *cap.* xxx. 23, 24, 25, 26. *cap.* xxxv. per totum; cum *cap.* li. 3. 16.

His

His præmiſſis, audiamus quæ ſuperaddit in hoc capite Propheta. De reſtitutione Iſraëlis, terræque Iſraëliticæ vaticinatur, *ver.* 8, 9. Nec tamen intelligit totum populum, ſed reliquias quaſdam inſtar ſeminis. Non enim, *omnes*, ut ait Apoſtolus, *Rom.* ix. 6. *qui ſunt*
ex Iſraële ſunt Iſraëlitæ. In cæteros de- —Ver. 11,
generes, qui gentilium mores imitantur, gra- 12, &c.
ves pœnas denunciat, eoſque fore dicit odio
& execrationi aliis. Denique ſtabilito Dei —Ver. 15,
veri cultu, rerumque mutato ſtatu, populo 16.
ſuo Deus omnium anguſtiarum præterita-
rum abſterget memoriam. *Nam ecce Ego* —Ver. 17.
creaturus ſum, Inquit Deus, *Cælos novos*,
& Terram novam : neque commemorabuntur hæc priora neque venient in animum.
Sed gaudete & exultate in ſempiternum in —Ver. 18,
iis quæ Ego recreo : nam ecce Ego recreo 19.
Jeruſalem exultatione, & populum ejus gaudio. Et exultante me de Jeruſalem, & gaudente de populo meo, non audietur in eâ ampliùs vox fletûs, aut vox clamoris.

Duo hic prænarrantur à Deo, molitio ſive creatio novi mundi: dein dicit ſe exultaturum eſſe in illo novo mundo, populumque ſuum Hieroſolymitanum: nec ampliùs auditum iri fletum aut clamorem. Confer *Iſa.* xxv. 8. & xxx 19. *Jer.* xxxi. 12.

Non neſcio de illo *novo Mundo* plures agitari controverſias: præcipuè, an de mundo *Naturali*, unà cum morali hæc intelligenda ſint: An de morali tantum, nullâ

factâ mutatione aut innovatione in naturâ. A variis argumentorum locis decidenda eſt hæc controverſia: Primó ab ipſorum verborum uſu & ſignificatione. Dein à notis & characteribus hujuſce novi mundi, quibus diſtinguitur à priori ſive hodierno. Denique ab explicationibus aliorum Prophetarum, cum idem tractant argumentum.

Ad primum quod ſpectat, nomine *Cœli & Terræ* notum eſt ab Hebræis deſignari *Mundum Naturalem:* prout ipſa verba præ ſe ferunt, nec ſuppetit iis vocabulum quo aptè eum exprimant unicâ voce. Ad ſecundum, in deſcriptione hujuſce novi mundi plures ſunt notæ & characteres quæ hodierno mundo non conveniunt. Non gaudium perpetuum, fletûs & clamoris expers: non Longævitas, non tranquilla ſemper habitatio, & liberalis ſoli fœcunditas: Denique, non manſuetudo & innocua Ferarum indoles. Hæ ſunt dotes & privilegia novi Mundi, quæ ab hodierno maximoperè diſſident & diſcordant. Et quæ hic cumulantur multa, ſigillatim occurrunt in aliis Prophetiis Ad hæc annotanda, præter loca ſuperiùs adducta, vide *Hoſ.* ii. 18, *&c.* *Amos* ix. 13, *&c.* *Joel* ii. 18, 19, *&c.* & iii. 18, *&c.* *Mic.* iv. 3, *&c.* Hæc de Characteribus Novi Mundi.

Ad tertium argumentorum caput quod attinet, Hanc doctrinam Propheticam repetunt renovantque duo authores ſacri in novo

vo canone, S. *Petrus* & S. *Joannes*. Hic, in viſione Novæ Jeruſalem, vidit impletam hanc Prophetiam, *Apoc*. xxi. 1, &c. *Vidi*, inquit, *novum Cœlum & Terram novam: primum enim cœlum & prima terra abierant. Et nullum eſt ampliùs mare. Et Ego Joannes vidi ſanctam illam civitatem Jeruſalem novam, deſcendentem à Deo è cœlo, paratam, ut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audivi vocem magnam*, &c. *Et abſterſurus eſt Deus omnem lachrymam*, &c. *Et dixit ei, qui inſidebat throno, ecce nova facio omnia*. De iiſdem rebus, ut conferenti patebit, loquuntur *Iſaias* & *Joannes:* De eâdem Jeruſalem Novâ, gaudii plenâ, doloris omnis immuni. De iiſdem cœlis & terris, priora non commemorabuntur, ait *Iſaias*; Abiiſſe & præteriiſſe priora omnia dicit *Joannes*. Hæc ita ſibi invicem reſpondent, ut ejuſdem vultûs duæ Tabulæ: aut ejuſdem ſtatûs naturæ duæ repræſentationes, non eâdem quidem manu, ſed nec abſimili delineatæ.

Apoc. Cap. xxi. 22, 23, 24, 25.

Nec minus S. *Petrus* eundem locum *Iſaiæ* reſpicit, cum nos expectare monet *novos cœlos novamque terram: ſecundum Dei promiſſum*. Ubinam verò promiſit Deus hanc novam creationem, tam clarè & manifeſtè ac apud *Iſaiam?* Huc ſi referatur, Apoſtolum habemus Prophetæ Interpretem: divinitùs inſpiratos ambos. Apoſtolus autem Prophetæ oraculum interpretatur de mundo naturali & materiali. Nempe com-

2 Epiſt. iii. 13.

buſtis inquit cœlis & terris hodiernis, qui ſunt *materiales*, renovabitur mundus in cœlos novos & terram novam: melioris quidem formæ, ſed non minùs *materiales*. Id quod monſtratum eſt, opinor invictè, in tractatu præcedenti, capite decimo. Ad *Iſaiam* jam regrediamur.

Hic primùm, nempe in hoc capite & ſequenti, aperuiſſe videtur Spiritus Sanctus *Myſterium Novi Mundi*, & Prophetiarum quæ eò ſpectant. Quoties dictum eſt ab *Iſaiâ* aliiſque Prophetis, Adfore tempus quo omnes Feræ manſueſcent: Quo ſponte aut abſque labore injucundo fruges ferent Terræ: Quo pax univerſalis regnabit, & vitæ tranquillitas: Denique quo Paradiſi primi facies renovabitur, & veluti aurei ſæculi redintegratio. Hæc ænigmata fuerunt ante novum hunc mundum detectum. Nec locum habuere hactenus, nec habere poſſunt, in mundo hodierno. At ſi deſtructo hoc mundo in ſupremis ignibus, novus reviviſcat in ſecundo adventu Meſſiæ, nihil impedit quo minus ad formam primævi mundi ſive Paradiſiaci nova illa molitio inſtituatur. Atque hoc poſito, exorietur, unà cum *Sole Juſtitiæ*, novus rerum ordo, Eaque naturæ facies & conſtitutio, quæ prædictis phænomenis, utut miris, reſpondeat. Quâ ratione hæc fiant, quibuſque ex cauſis, cum alibi ſatis pro virili oſtenderim, iis hic ulterius explicandis ſuperſedeo.

Tell. Theo. lib. 4.

Hæc

Hæc de Novis Cœlis & Novâ Terrâ, eorumque phænomenis. In capite ultimo ſequitur Propheta eundem tramitem quem antea ſæpiùs delineârat & calcârat; Præterquam quod hic adjicere videatur, reſtitutionem Iſraëlitarum fore ſubitam & repentinam, veluti mulieris parientis inopinatò & ex improviſo. Sed parturienti ſuccurrit Deus, & cum pepererit gaudebunt omnes boni: quibus ubera præbebit lacte plena. Interim in inimicos non minùs ſæviet Deus, igni, turbine, & furore; & in ſupremo rerum exitu manebit ſemper ſemen Iſraëlis, ut *novi cœli & nova terra:* datis in ſempiternum exitium improbis & Dei hoſtibus. Hæc de reſtauratione Iſraëlitarum ſecundum *Iſaiam* dicta ſunto, quâ potui brevitate.

Cap. lxvi. —Ver. 7, 8. Confer Zech. iii. 9. —Ver. 14, 15. —Ver. 12.

De Jeremiâ Prophetâ.

Notum eſt & in confeſſo apud omnes, Prophetias Jeremiæ reſpicere potiſſimùm tempora Babylonica: Iſtius captivitatis cauſas, ſtatum, & exitum. At in his tractandis non nunquam in longitudinem proſpicit Propheta: Ad tempora Meſſiæ, tam in primo quàm ſecundo ipſius adventu. Neque aliter, ut mihi videtur, nonnullis hujuſce Prophetæ locis pleno ſenſu ſatisfieri poteſt. Atque ea loca, cum ad Iſraëlitas ſpectant, præcipuè notabimus.

Cap. xxiii. ORDIAMUR à *cap.* xxiii. *ver.* 5, 6, &c. De Meſſia hic verba fieri, nihil ambigo: ſed de quo adventu Meſſiæ, primo an ſecundo, dubitant nonnulli. Ego libens utrumque complector. Subinde dicitur verſu illo ſexto, *In ipſius diebus ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit tranquillè*, vel ſecurè. De primo adventu Meſſiæ hæc intelligi nequeunt. Statim poſt illud tempus diſſipati erant Judæi & afflicti maximè, dirutis Hieroſolymis & diſſolutâ eorum politiâ. Proinde ut conſtet veritas & effectus hujuſce promiſſionis, ad aliud tempus, aliumque Meſſiæ adventum neceſſe eſt referantur.

ADHUC magis alienum eſſet ab omni ratione, hæc dicta ad tempora Babylonica reſtringere: quùm ſubdat Propheta, tantam fore hanc præfatam Iſraëlitarum redemptionem & ſalutem, ut non commemorent ulteriùs eorum ex Ægypto liberationem. Liberatio autem Ægyptiaca cùm incomparabiliter major fuerit Babylonicâ, ſive numerum ſpectes redemptorum, ſive miracula eximia & multifaria, omnium ſæculorum memoriâ digniſſima: haud æquum eſſe videtur, ut minor majoris extingueret memoriam. Quibus collatis conſequens eſt, futuram aliquam & illuſtrem Judæorum inſtaurationem adhuc eſſe expectandam.

Cap. xxv. CAP. xxv. 15, &c. Hic iterum de effuſo calice indignationis Dei in omnes populos,

los, tam Judæos quàm alios, & in omnes Reges terræ, mentio fit. *Iterum*, inquam, fit mentio: cùm idem ſit hic calix futurus cum illo memorato *Iſa.* li. 17, 22. & *Pſal.* lxxv. 8. unde petenda eſt expoſitio triſtis hujuſce Vaticinii, quod hic obiter tantùm noto.

Cap. xxx. Hic denuò promittitur (in di- Cap. xxx.
ebus venturis) Reſtitutio tam Judæ quàm Iſraëlis, ad terram Patribus datam, ab illis pariter poſſidendam, *ver.* 3. Poſſidendam
quidem, at poſt afflictiones & dolores, quaſi —Ver. 6,
parturientis; è quibus tamen eripientur in 7, 8, 9.
magno Die: Excuſſo jugo & diſruptis vinculis extraneorum. Neque illis, inquit, ſervient ultrà, ſed Jehova eorum Deo, & *Davidi* eorum Regi, quem excitabit ipſis. Per *Davidem* intelligo, ut plerique omnes, *Meſſiam*: itaque in ipſius aliquo tempore excutientur Judæorum jugum & vincula, ab extraneis impoſita. Hoc neutiquam contigit in primo adventu Meſſiæ, quin multo gravius factum eſt ab illo tempore eorum jugum, & duriora vincula. Audi quæ ſequuntur a-
pud Prophetam: *Tu ergo ne timeto, ſerve* —Ver. 10,
mi Jacob, Dictum Jehovæ, neque conſter- 11.
nator Iſraël; nam ecce Ego ſervabo te è longinquo, & ſemen tuum è terrâ captivitatis ſuæ: ut reverſus Jacob quieſcat ac tranquillus ſit, nemine terrefaciente. Tibi enim adſum, &c. Hic adhuc agitur de temporibus Meſſiæ, non utique Babylonis;

Iſti enim captivitati non interfuit Iſraël, nec habetur in cenſu populi reducti. Prætereà, loquitur Propheta de rebus in *noviſſimo dierum* eventuris, *ver.* 23, 24. & de ultimâ captivitate Judæorum, è quâ liberati nunquam redituri ſunt in ſervitutem extraneis, *ver.* 8. Denique de furore voraci & impetuoſo turbine quibus conſumendi ſunt hoſtes Dei & populi ſui, *ver.* 16, 23. confer *cap.* xxiii. 19, 20.

Cap. xxxi. Cap. xxxi. Hic agit Propheta prolixè de revocatione Iſraëlis & Ephraim per totum caput: verbis quidem amoris & affectûs pleniſſimis. Sed comitante pœnitentiâ, novoque fœdere cordibus indito: ut intus & animitùs Deum ſuum recognoſcant. Dein ait Deus, non minus eſſe firma ſua promiſſa quàm rerum naturam atque ordines cœli, *ver.* 35, 36, 37. Vide *cap.* xxxiii. 20, 21. & *Iſa.* liv. 10.

Cap. xxxiii. Cap. xxxiii. Redit Propheta ad idem argumentum de reſtitutione Judæ & Iſraëlis: Idque in diebus Meſſiæ, *ver.* 15, 16, *&c.* Quæ lectori perlegenda & penſitanda relinquo, nè ſæpiùs dicta repetam. Pariter *cap.* xlvi. *ver.* 27, 28. conſumptis omnibus gentibus, ubi erant diſſipati Iſraëlitæ, iis, ſed meritò punitis, ſalutem tandem & tranquillitatem promittit: Confer *Iſa.* xli. 13, *&c.* xliii. 5, *&c.* & xliv. 2, *&c.* *Jer.* xxx. 10, 11.

Hæc

Hæc ſtrictim è Prophetiis *Jeremiæ* de Reſtaurandis Iſraëlitis; Ad *Ezekielem* pergamus.

Ezekiel ad Babylonem avectus, in iſtâ captivitate Prophetavit; nec alter quiſquam Prophetarum mirabiliores edidit Viſiones & Vaticinia. Sed ea tantùm nos attingemus, quæ reſtitutionem aliquam Iſraëlitarum, poſt illam Babylonicam, denotare videntur. Quocirca rectà tendemus (ad evitandas lites) ad cap. xxxiv. ubi de Reſtitutione Iſraëlitarum agitur, (*ver.* 8, &c.) ſub præfecturâ & regimine Meſſiæ, ſive Davidis regis, *ver.* 23, 24. Et ſub illâ tutelâ, excuſſo jugo Gentium, vivent tuti & incolumes Iſraëlitæ: abſque feris noxiis, aut quibuſcunque hoſtibus: in altâ pace & rerum externarum plenitudine. Hæc omnia memorantur à Prophetâ in hoc capite à verſu 25. ad finem, ampliſſimis verbis. Confer *cap.* xvi. 60, 61. *&c.* & xx. 33, *&c.* Ezekiel.

Cap. xxxvii. De Reſurrectione & Animatione aridorum oſſium hic agitur; Quâ repræſentatione vividè exhibetur Prophetæ Judæorum reſtauratio, & velut à mortuis reſurrectio. Adumbratur etiam Reſurrectio vera & literalis; quam quidem, ſi Primam accipias, non multùm diſtare exiſtimo à reſtaurationis Iſraëliticæ tempore. Utriuſque enim tempora connexa & colligata videntur apud *Danielem*, cap. xii. cùm populares ipſius

Cap. xxxvii.

Confer Iſa. xxvi. 19. Rom. xi. 15.

ipſius in extremis anguſtiis poſitos eripuiſſe dicitur *Michael*, *Princeps ille maximus*, *qui ſtat pro popularibus tuis*. Hæc dicta ſunt ad *Danielem* de reſtauratione Judæorum: dein ſtatim ſubjicitur Reſurrectio propria & literalis ſubſecutura, *ver.* 2. *Et multi qui dormiunt in pulvere*, &c. Hæc petuntur à *Daniele*, ſed quærendum imprimis, de quâ reſtitutione Iſraëlis loquatur hic *Ezekiel*, ſecundum ipſius verba. Dicit ille unionem fore tunc temporis Judæ & Iſraëlis, conjunctione duorum lignorum aut tabellarum præfiguratam, *ver.* 15, &c. & 21, 22. Addit hanc unionem fore ſub *Davide*, ipſorum Rege, *ver.* 24. Hoc denotat, ni fallor, tempus adhuc futurum. Et ſi ſtatum & characteres illius temporis quæras, ſub *Davide* rege futuri, audi quæ ſequuntur apud Prophetam, *ver.* 25, &c. *Et reſidebunt*, loquitur de Iſraëlitis, *in eâ terrâ, quam dederam ſervo meo Jacobo, in quâ reſiderunt majores veſtri, reſidebunt*, inquam, *in eâ ipſi, filiique ipſorum, & nepotes ipſorum uſque in ſæculum: Et David ſervus meus, Princeps ipſis erit uſque in ſæculum.*

ET pangam cum ipſis fœdus pacis: fœdus perpetuum futurum cum ipſis: & collocabo ipſos & multiplicabo, ponamque ſanctuarium meum in medio ipſorum in ſæculum.

ET

ET tabernaculum meum erit quoque cum ipſis. Etiam, ero Deus eorum, & ipſi erunt mihi populus.

ET cognoſcent Gentes, me Jehovam ſanctificare Iſraëlem, cum erit ſanctuarium meum in medio ipſorum in ſæculum.

Hic repromittitur Terra Canaan Iſraëlitis habitanda, ſub *Davide* ſervo Dei, eorum Principe. Dein fœdus perpetuæ pacis cum iis initur: poſito Dei Sanctuario & Tabernaculo in medio ipſorum in ſempiternum. Atque hinc cognoſcent Gentes Jehovam eſſe ſanctificaturum eos in perpetuum.

Hæc quanta quanta, cum nondum advenerint, expectanda ſunt ab Iſraëlitis in Regno Meſſiæ. Nondum ea adveniſſe,notum eſt omnibus qui per Davidem Regem intelligunt *Meſſiam.* Et quæ dicta ſunt de Tabernaculo Dei in medio ipſorum poſito (quod de præſentiâ Dei Majeſtaticâ rectè exponit Chaldæus Paraphraſtes ad *ver.* 27) repetit S. *Joannes* in deſcribendo ſtatu Novæ Jeruſalem, *Apoc.* xxi. 3. Pertinent hæc itaque ad eundem ſtatum atque idem tempus: nondum completa, ſed poſt Antichriſtum debellatum, ſecundum eundem Joannem, affutura.

Sed ut pergamus, Sequuntur apud *Ezekielem* duo capita (*viz.* cap. xxxviii. xxxix.) Cap. xxxviii. & xxxix.
de *Gog* & *Magog*: belloque nefando ab iis ſuſcepto in Iſraëlitas, populumque Dei, in noviſſimis

noviſſimis diebus. Sed ab irato cœlo proſtratis hoſtibus cum immensâ ſtrage, Deus Iſraëlitis ſua promiſſa renovat, dicitque effuſo ſpiritu ſuo in domum Iſraëlis, ſe conſervaturum eſſe eos in perpetuum, *cap.* xxxix. *ver.* 23. ad finem. Vid. *Joel* ii. 28, &c. *Zech.* xii. 10.

De bello Gog & Magog exponendo hærent omnes Interpretes: nec immeritò, ſi ad particularia deſcendendum ſit. Illud in genere notandum ex hâc aliiſque Prophetiis, ingens bellum & cruentiſſimum præceſſurum eſſe finem hodierni mundi, & ſupremam Iſraëlitarum populique Dei redemptionem. Hæc redemptio generalis bonorum, & vindicta divina in nefarios in noviſſimis diebus exercenda, variis modis præfiguratur in ſcriptis Propheticis. Hic ſub nomine belli aut prælii nefarii & θεομάχε, ut in Cantico Moſis, *Deut.* xxxii. 41, 42, 43. Ad hunc locum referenda videntur alia Vaticinia, *Iſa.* xxxiv. & *cap.* lxiii. *Joel* iii. 10. *Mic.* iv. 11. *Zeph.* iii. 8, &c. *Zech.* xiv. *Rev.* 16. ſub phiolâ ſextâ; & *cap.* 19. Alibi res eadem tempuſque exhiberi videntur ſub nomine *Calicis indignationis* Dei, in gentes omneſque improbos effundendi, *Iſa.* li. 22, 23. Confer *Pſal.* xi. 6. & lxxv. 8. *Jer.* xxv. 15, &c. *Apoc.* xiv. 10. & xvi. 19. Præterea, hoc judicium Dei, aut vindicta ſuprema in ipſius hoſtes, repræſentatur quandoque per modum turbinis

aut

aut tempeſtatis, aut effuſi ignis & ſulphuris, hic *cap.* xxviii. 22. *Jer.* xxx. 23, 24. ſupra *Pſal.* xi. 6. Denique, quum hic memineret *Ezekiel*, prope tempus idem futuræ, univerſalis naturæ perturbationis & confuſionis, *ver.* 18, 19, 20, &c. nec hactenus viderimus hujuſmodi cataſtrophas ſive in rerum naturâ, ſive in rebus humanis, facit ut hæc referenda videantur ad hodierni mundi exitum. Cum hoſtes Dei pertinaces, in ſecundo adventu Chriſti, conſumendi ſunt igne & omne genûs procellis. Confer 2 *Theſ.* i. 7, 8, 9, &c. 2 *Pet.* iii. 7. *Apoc.* xi. 19. & xvi. 18.

Sed his omnibus peractis, Quid fiet ad Iſraële? Reſtituentur, ut ait Propheta, ad ſuam terram, *cap.* xxxix. 28. atque his demum verbis claudit Prophetiam, *ver.* ult. *Neque abſcondam amplius faciem meam ab eis: cum effudero ſpiritum meum ſuper domum Iſraëlis, Dictum Domini Jehovæ.* Vides hic loqui Prophetam de ſupremâ diſperſione aut deſolatione Iſraëlis: utpote quam ſecutura eſt reſtitutio conſummata in ſempiternum: cum manifeſtatâ Dei facie, ſive præſentiâ Dei Majeſtaticâ: ſic enim exponitur locus hic à Chaldeo Paraphraſte.

Hactenus de argumento noſtro. Neſcio an hic revocanda ſint in memoriam ea quæ dicit Propheta, *cap.* xxxviii. 17. *An tu es Ille* (loquitur de Gog & Magog) *de quo locutus fuero diebus priſcis per ſervos*

meos

meos Prophetas Iſraëlis, qui prophetârunt diebus illis annos multos, me adducturum Te contra illos. De Gog & Magog nominatim, adducendos contra Iſraëlem, nihil dixere Prophetæ veteres præter *Ezekielem*, quoad novimus. Sed de re ſignificatâ, ſive excidio hoſtium Dei per judicia extraordinaria in noviſſimis diebus, multa dicta ſunt à Prophetis, prioribus & poſterioribus, ut ſupra notavimus. Atque eo modo & ſenſu explicandum eſſe exiſtimo hunc locum Prophetæ. Sed his ſuperſedeo, & Vaticiniis *Ezekielis* de Reſtauratione Iſraëlitarum. Cætera quæ ſequuntur apud *Ezekielem*, heu nimiùm obſcura, libenter prætereo, donec lux plenior affulſerit.

Succedit *Ezekieli Daniel*, apud quem occurrunt nonnulla, pauciora licet, cognati argumenti. De Regno Dei erigendo in noviſſimis diebus, tradendoque in manus Filii hominis, & ſancti ipſius populi, ſæpius loquitur. Et tandem (*cap.* xi.) de ingenti conflictu Regum, Auſtri & Aquilonis: A quibus in extremas anguſtias reducentur Iſraëlitæ, per *Michaëlem*, eorum Principem liberandi, *cap.* xii. 1. Dein ſequitur *Reſurrectio multorum:* quam accommodatè ad alias Prophetias, de primâ Reſurrectione
—ver. ult. intelligo. Cætera ſpectant ad computationes temporum uſque ad finem præfixum, qualia hic non inveſtigo. Sed clarè indicat Dominus *ver.* 7. finitum iri tandem diſperſionem

ſionem Judæorum: nec aliter finiri poteſt diſperſio quàm per populi diſperſi recollectionem. Recolligentur itaque Iſraëlitæ poſt Tempus, tempora, & partem temporis: ubicunque inceperit aut terminanda fuerit illa periodus myſtica. Denique in ſuâ ſorte ſtaturum eſſe *Danielem*, dicit Dominus, in conſummatione dierum. Quam conſummationem de *Mundo futuro*, ſive עולם הבא cum reſtaurabuntur omnia, cum nonnullis Hebræorum libenter intelligo.

Hinc pergimus ad Prophetas minores.

SECTIO II.

In rerum futurarum hiſtoriâ Propheticâ (ut id in anteceſſum notemus) ſæpius occurrunt duo capita generalia, & ferè per vices repetuntur, *Status belli*, & *ſtatus pacis*: vel ut id pleniùs efferam, *Status calamitoſus*, ſive ſit captivitas aut exilium, & quæ hæc comitantur mala: ſive bellum apertum & ſanguinolentum. Dein *Pax beata*; Eo enim nomine complectimur non tantùm immunitatem à bello, ſed etiam res proſperas & lætas omni modo, & bona tam ſpiritualia quàm temporalia. Hi ſtatus contrarii & extremi ſæpius depinguntur à Prophetis, idque vividis coloribus, forti & vehementi

hementi oratione. Quatenus verò hæc reſpiciant Judæos, alioſve populos: & quæ tempora, præterita aut futura, per ſingulos Prophetas ſecuturos deſpiciendum erit.

Hoſeas. EXORDIENDUM ab *Hoſeâ*, in cujus Prophetiâ hæc loca notanda. Primò, *cap.* i. 7. ubi hæc ſunt verba, *Domûs autem Judæ miſerebor, ſervaboque eos per Jehovam Deum ipſorum.* Hæc ſpeciatim ad *Judam* referenda videntur. Sequitur autem *ver.* 10, 11. *Quanquam futurus eſt numerus Iſraëlitarum par arenæ maris, quæ neque menſurari, neque numerari poteſt; Eritque pro eo quod dicitur iſtis, Non populus meus eſtis, ut dicatur illis, Filii Dei fortis viventis eſtis. Quando congregantes ſe Judæi & Iſraëlitæ unà, & præponentes ſibi caput unum, aſcendent è terrâ hâc: quàm magnus fuerit dies Jezreëlis.* Hîc conjungitur redemptio Judæ, & Iſraëlis: & utrique æque promittitur. At tempore reſtaurationis Babylonicæ hoc non obtinuit, neque ex illo tempore. Manet itaque complendum in regno Meſſiæ.

DIXIMUS hoc promiſſum non expletum & abſolutum fuiſſe per liberationem Babylonicam; ſive ſpectes nationes quæ rediere tunc temporis, ſive eorum numerum, ſive caput ducemque. Decem Tribus, quæ hîc nomine *Iſraëlis* denotantur à Prophetâ, non regreſſi ſunt in patriam cum ſoluta fuit
Cap. i. 5. Captivitas illa. Ab *Ezrâ* mentio fit tantum

tum Tribûs *Judæ* & *Benjamini*. Dixeris forſan, non quidem aſcendiſſe illas centuriatim aut catervatim ut duæ tribus præfatæ, ſed ex his cum alteris immiſtos fuiſſe plures, qui captivitatem Aſſyriorum evaſerant, & ſeſe Judæis aſſociàrunt. At Hiſtoria ſacra meminit tantùm eorum quos *Nebuchadnezzar* abduxerat, *Ezra* ii. 1. *Nehem*. vii. 6. utcùnque parum hoc eſſet ſi Decem Tribuum reliquias aliquas adjunxeris.

Vides numerum totius Gentis Hebrææ quæ à Babylone rediit non pertigiſſe ad quinquaginta millia hominum, ſecundum cenſum *Ezræ* & *Nehemiæ*: Quantulus autem eſt hic numerus ſi conferatur cum cenſu populi à *Davide* inito, 2 *Sam*. xxiv. 9. aut cum illâ æſtimatione indefinitâ quâ hìc utitur Propheta, cum ait, *Et numerus Judæ & Iſraëlis erit par arenæ maris, quæ neque menſurari poteſt, neque numerari. Congregantes ſeſe unà aſcendent è terrâ hâc;* nempe ubi erant diſperſi. Quinquaginta millia hominum facilè numerari poſſunt, nec probabile eſt tam exiguum numerum comparàſſe Prophetam maris arenæ, quâ multitudines innumerabiles denotare ſolemus. Ita dixit Deus ſe multiplicaturum ſemen *Abrahami inſtar arenæ maris*, Gen. xxii. 17. ad quem locum hîc alludere videtur Propheta, eâdem uſus phraſeologiâ.

Ezra ii. 64, 65. Nehem. ii. 66, 67.

D Hæc

Hæc de numero & tribubus: Supereſt tertia nota, *Præponentes ſibi caput unum.* Hic intelligendum volunt nonnulli *Zerubbabelem*, qui dux erat populo redeunti è Babylone. Verùm hæc interpretatio nititur falsâ hypotheſi, ſaltem inconceſsâ: nempe nihil aliud hic indicare voluiſſe Prophetam, nihil ultra reductionem Babylonicam. Evicimus autem, ni fallor, reductionem illam non reſpondere aut adæquari verbis & propoſito hujuſce Prophetiæ; & mortuus eſt *Zerubbabel* ante aliam ullam, qualemcunque ſuppoſueris, Judæorum liberationem. Libenter concedimus *Zerubbabelem* typum fuiſſe Meſſiæ, eamque liberationem majoris futuræ per Meſſiam; non autem illum unicum & ultimum *Caput* eſſe quod à Prophetâ deſignatur. Adjicit hic Chaldæus Paraphraſtes per modum interpretationis, conſtituent ſibi principem unum *de domo David*, quod Meſſiam κατ' ἐξοχὴν commonſtrare ſolet. Et in eandem expoſitionem conſentiunt Interpretes Hebræi, & è Chriſtianis plurimi.

Ex iis qui ad tempora Meſſiæ hoc promiſſum referunt, nonnulli completum eſſe volunt in vocatione & converſione Judæorum non paucorum in primo adventu Chriſti & ſub initio Evangelii. Sed multa impediunt, ut mihi videtur, quo minus completionem ſuam integram ſub iſthoc tempore recepiſſe credamus. Quænam fuit, quæſo,

quæſo, tunc temporis, Judæorum *Congregatio*, Panegyris ſolennis & celebritas? Quis aſcenſus ad Terram *Judæam*, aut *Jeruſalem?* Tantiſque multitudinibus ut arenæ maris comparari potuiſſent?

Ad multitudinem quod ſpectat, dicent forſan, Omnes Fideles jam haberi *Iſraëlitas* atque ſemen *Abrahæ*, licet alienigenæ ſint & Gentiles. Rectè, quoad acceptionem divinam habentur omnes Iſraëlitæ, ſed loquitur Propheta primariò de Hebræis nativis, de Judâ & Iſraële, Decem Tribubus & duabus, ac earum unione. Denique loquitur de populo rejecto & reſtituto, quod Gentibus minus propriè convenit. Neque tamen Gentes hic excludi volumus (ad eas utique accommodatur pars hujuſce Prophetiæ ab Apoſtolo ad *Romanos*, *cap.* ix. 25, 26.) nec Judæorum omnes & ſingulos includi, ſed eorum quotquot agnoverint Jeſum Nazarenum pro vero Meſſiâ (ſive in primo ſive ſecundo ipſius adventu) eique adhærebunt. Ut verbo dicam, Agit hic *Hoſeas* de reſtauratione aliquâ inſigni (non minutim ſed cumulatim, *Qûam magnus fuerit ille dies Jezreëlis*) Judæ & Iſraëlis: Quam, propter rationes ſupra allatas, nondum perfectam eſſe quàm maximè probabile videtur.

Eandem reſtaurationem Judæorum proſequitur Propheta, *cap.* ii. 14. ad finem capitis: augetque beneficiis omne genûs,

quo minus ad ſtatum quemlibet præteritum Judæorum referri poſſit. Pollicetur Propheta pacem ſummam & ſecuritatem, rerum abundantiam, Cœlos propitios Terramque: Denique Deum, bonorum omnium fontem, iis fore amicum & tutorem. De hàc fœlicitate longiuſculus eſt ſermo Prophetæ, quem conſulere magis juvabit quàm huc transferre.

Idem Propheta, *cap.* iii. 4. ſtatum Iſraëlitarum deſolatum, magiſtratu & ſacris ſpoliatum, eumque diuturnum, his verbis deſcribit, *Diebus multis deſidebunt Iſraëlitæ nullo rege, nulloque principe, & nullo ſacrificio, abſque ſtatuâ, abſque Ephod aut Teraphim.* Quocunque modo hæc verba poſteriora interpretaberis, referenda erunt ad *Sacra*, ut priora ad *Politica*; utriſque autem vides multandos fuiſſe Judæos per diuturnum tempus. Quid autem ſubinde ſequitur? Durabitne in æternum hæc deſolatio? Neutiquam,
Ver. 5. ſubjicit Propheta, *Poſtea reverſi Iſraëlitæ quærent Jehovam, Deum ſuum, & Davidem regem ſuum, & pavidè obſtupeſcentes accedent ad Jehovam, & ad bonitatem ejus ultimis temporibus.*

Per *Davidem Regem* Interpretes celebriores, tam Hebræi quàm Chriſtiani, intelligunt *Davidis* Filium καΐ ἐξοχὴν, nempe *Meſſiam.* Qui ſæpius à Prophetis dicitur *David*, vel *Rex David*, ut antea notavimus.

mus. Poſito proinde hoc fundamento, conſequens erit, Reverſuros eſſe tandem Judæos ad amplectandum Meſſiam: Idque in temporibus noviſſimis, poſt longas moras & miſerias. Hæc ſi ita ſint, Quid nobis cum *Zerubbabele*, loco Meſſiæ? aut ad Captivitatem & liberationem Babylonicam quomodò hæc reſtringi poterunt? Id quod fecit vir doctiſſimus *H. Grotius*, in ſcriptis Evangelicis enarrandis meritò celeberrimus, in Prophetiis, ut mihi videtur, minus ſagax. Sæpius interponit *Zerubbabelem* loco Meſſiæ; & res Babylonicas omni loco, omni tempori, præterito & futuro accommodare ſtudet; invitis Prophetarum monitis, ut antea oſtenſum eſt. Ad reſtaurationem etiam Iſraëlis referenda videntur quæ dicit Propheta, *cap.* xi. 8, 9, 10, 11. & quæ prætereà de ipſius florenti ſtatu, cœleſtis gratiæ deſtillatione fœcundato, *cap.* xiv. 4, 5, *&c.*

Hæc de *Hoſea*. Sequitur *Joël* ſecundum ordinem Canonis, ſed *Amos* habetur Amos. antiquior; & hic quidem verſatur maximè in denunciandis pœnis cladibuſque, tam in Gentes, quàm Judæos, degeneres & quaſi deſecratos. Attamen in fine ſuæ Prophetiæ, poſt ſummam deſolationem proximè præmiſſam, Reſtaurationem domûs *Davidis*, & reparandas omnes ruinas pollicetur. Quinetiam poſſeſſiones ſuas dilatandas in terram *Edomi*, omniumque Gentium. Deni-

que, pacem nunquam deſituram, rerumque copiam & ubertatem. Verba Prophetæ hæc ſunt. - - - -

Cap. ix. 11. *TEMPORE illo erigam taberaculum Davidis, & ſepiam rupturas eorum, & demolitiones ejus reſtituam, & reædificabo illud, ſicut olim. Ut poſſideant reliquias Edomi, atque omnium gentium quæ vocantur de nomine meo. Dictum Jehovæ*
—Ver. 13. *qui facit iſtud.* Dein agit de pace & bonorum copiâ, *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quibus attinget Arator Meſſorem, & calcatio uvarum ſatorem: Et ſtillabunt montes muſtum, & omnes colles*
—Ver. 14. *fluent aut colliqueſcent. Et reducam captivam multitudinem populi mei Iſraëlis, qui ædificabunt civitates deſòlatas, ut inhabitent, & conſerent vineas ut bibant vinum earum; facientque hortos ut come-*
—Ver. ult. *dant fructum eorum. Et plantabo eos in terrâ ipſorum, ac non evellentur ampliùs è terrâ ſuâ quam dedero ipſis. Dicit Jehova, Deus tuus*

En præclaram ſortem, Promiſſa eximia: poſt aſperam hyemem quaſi ver perpetuum. Sed ad quos ſpectent hæc promiſſa, Quærendum: Dein, Quo tempore completa fuerint, reſtentve adhuc complenda. Reſpondeo, Hæc ſpectare primariò ad Judæos; Quo nomine complector utramque nationem, Iſraëlis & Judæ. Propheta hanc concionem habuit ad populum Judaicum

cum, eos affatus eſt, & eorum res tractabat: Ad quos nempe ſpectabant mala quæ præcedenti parte capitis denunciarat, ad eoſdem ſpectant bona hic promiſſa: Ad quos captivitas ad eoſdem redemptio, quorum erat vulnus, eorundem eſt ſanatio.

At ſi ad Judæos pertineant hæ promiſſiones illuſtres, Dic quo tempore impletæ fuerint. Non utique ad liberationem Babylonicam: Ad reditum illum nulla ſucceſſit rerum tam læta facies, ſive naturæ ſive fortunæ, qualis hic depingitur à Prophetâ. Impediti erant diutiùs Judæi, & interrupti in Templo & Urbe reædificandis, & per inimicos vicinos infeſtati. Cúmque Templum ſecundum reædificaſſent ſuo modo, defuit illi, non tantùm ratione ſtructuræ Prioris magnificentia, ſed etiam deſiderabatur *Shechinah*, aliaque divini favoris monumenta illuſtria. Statimque ex illo tempore uſque ad Chriſtum tacuit omnis Prophetia, eminens & ſingulare donum illius Gentis.

Præterea, ut ſupra notavimus, conflictabantur Judæi multis magniſque incommodis ſub Regibus *Syriæ*, ut nullum prope eſſet interſpirandi tempus, nulla moleſtiæ intercapedo. Tandem etiam evulſi ſunt è ſuâ Patria, & ubique per terrarum orbem diſſipati. Atque ut illud denique repetam, non erat generalis illa reductio Babylonica, reducum pars minima fuit aut nulla Iſraëlis natio. Hæc ſi conferas cum verbis Prophe-

tæ, adeò non reſpondere ſingulis ipſius partibus reperies, ut in nullum quadrare, multo minus totum vaticinium adimplere videbuntur.

Nondum itaque ſatisfactum eſt huic Vaticinio, quatenus ad Judæos refertur. At hanc Prophetiam *Amoſi* retuliſſe creditur *Jacobus* in Conventu Apoſtolico (*Act.* xv. 13, &c.) ad converſionem Gentium. Sed utique non ita retulit aut reſtrinxit ad eam, ut inde excluſerit Judæos. Ait *Jacobus*, primò vocandas eſſe Gentes (ſecundum primitias illas à *Petro* exhibitas) *prout teſtati ſunt Prophetæ*. Poſtea reædificandum eſſe
Rom. xi. 25, 26. Tabernaculum *Davidis*. Poſtremò, Reſiduum Gentium eſſe aggregandum. Hæc libenter concedimus. Attamen eò adduci nequeo, ut credam per *converſionem Gentium* hic memoratam expletas eſſe omnes partes hujuſce prophetiæ, prout ab *Amoſo* profertur. Judæos aliquatenus reſpicere hujuſce Vaticinii iargumentum, nemo non fatebitur: credo equidem Hos primariò, alios ſecundariò. Loquitur enim Propheta primò de gravi deſolatione, *ver.* 8. dein de reductione è ſtatu captivitatis. Quomodò hæc quadrant ad Gentes? Quì poterunt eò adduci trahive? Prætereà, loquitur Propheta de *rupturis* & *demolitionibus*, dein reædificatione & reſtitutione in priſtinum ſtatum. Quid hoc ad Gentes, ſive converſas ſive convertendas? Agitur hic de ædificiis & urbibus reſtituendis, ut erant olim.

lim. Aut ſi de populis intelligatur, ad quem priſtinum ſtatum rediere Gentes per prædicationem Evangelii? Acceſſêre ad penitus novum, exutis relictiſque antiquis omnibus. Non memoro fortunas auctas, & lautiora omnia hîc promitti: Illi autem Gentium qui fidem Chriſtianam amplexi ſunt, unà tulêre crucem Chriſti, ſeque minùs habiles reddidêre muneribus publicis, imperio & honoribus: Quinetiam eo ipſo perſecutionibus erant magis obnoxii. Denique repetamus verſum ultimum Prophetæ, *Plantabo eos in terra ipſorum, ac non evellentur ampliùs è terrâ ſuâ quam dedero ipſis, Dicit Jehova Deus tuus.* Quî de aliis quam Judæis hæc intelligi poſſint, non video. Hæc ex *Amoſo.*

Propheta *Joël* præmonet Judæos de malis futuris ob ſua crimina & indicto Jejunio ad reſipiſcentiam eos hortatur. Dein poſt plura Dei judicia memorata, propitium numen & fœlicem fore tandem Judæorum ſtatum indicat, *cap.* ii. 18. *Tunc zelo terræ ſuæ affectus erit Dominus, & miſerebitur ſui populi.* Etiam reſpondebit *Dominus, dicetque populo ſuo, Ecce Ego mittam vobis frumentum & muſtum & oleum, ut ſaturemini iis: Neque expoſiturus ſum vos amplius opprobrio in Gentibus,* &c. Repetenſque ſubinde eandem materiam, dicit *ver.* 26, 27. *Comedentes indeſinenter ac ſaturati laudabitis nomen Jehovæ, Dei veſtri:* Joël.

veſtri : quòd ſe geſſerit erga vos mirificè, neque pudifient ; aut confundentur *populus meus in perpetuum.* Hæc non perſequar impræſentiarum, quùm ſæpius occurrant iterum iterumque repetita apud Prophetas, quaſi *Locus Communis Propheticus ;* Intelligo hanc libertatem promiſſam, & bonorum temporalium redundantiam Judæis olim futuram, nec auferendam ampliùs in perpetuum.

At, inquies forſan, bonorum temporalium vile eſt pretium uſuſque dubius, niſi unà accedant Spiritualia. Rectè, ſed accedent unà dona illa ſanctiſſima. *Eritque*
—Ver. 28. *poſtea,* inquit Propheta, *ut effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt, filii veſtri, & filiæ veſtræ : Seniores veſtri ſomnia ſomniabunt, Juvenes veſtri viſiones videbunt. Quinetiam ſuper ſervos & ſuper ancillas effundam Spiritum meum.* Hoc celebre promiſſum applicuit Sanctus *Petrus* ad effuſionem
Act. ii. 17. Spiritûs ſancti in Apoſtolos. Et meritò quidem : Erat illa divinæ virtutis illuſtris demonſtratio. Sed non prævetuit aut excluſit futuras completiones ejuſdem Prophetiæ. Audiamus quæ ſequuntur apud Prophetam. Effundens Spiritum meum,
Joël. ii. 30, 31. *Edam oſtenta in cælis & in terrâ, ſanguinem & ignem, & elationes fumi : Sol ipſe vertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat Dies Jehovæ magnus*

nus & reverendus. Hæccine evenerunt ad effuſionem Spiritûs ſancti in Apoſtolos, nemo dixerit. Quem itaque diem magnum Domini, glorioſum & terribilem deſignat Propheta? Si exuſtione deſtruetur hic Mun- Cap. iii.
dus, quod aperte nos docuit S. *Petrus* in 7, 10, 12.
ſecundâ Epiſtolâ, ſuffragante S. *Paulo* ad *Theſſalonicenſes*, univerſam Conflagratio- 1 Theſſ. i.
nem, cùm tota natura conturbabitur, præi- 7.
bunt & comitabuntur neceſſariò hujuſmodi ſigna ut alibi * oſtenſum eſt. Eadem etiam * *Theor. Tell. l.* 3. *c.* 11.
prodigia præſignificavit Chriſtus ante adventum Filii hominis in nubibus cœli, quòd Mat. xxiv.
aliter quam de ſecundo ipſius adventu in 29, 30, 31.
fine mundi interpretari nequeo. Manet itaque ulterior ejuſdem promiſſi completio verſus finem mundi, cum appropinquârit magnus ille dies Domini, ardens inſtar fornacis adverſus improbos, quos veluti ſtipulam devorabit; ſed inſtar exorientis Solis cum radiis ſalutiferis, erga pios: ſecundam Prophetam *Malachiam*, *cap.* iv.

His obſervatis, nihil impedit quo minus interpretatio Apoſtoli vim ſuam habeat, atque inſuper expectemus futuro tempore aut noviſſimis diebus effuſum iri Spiritûs ſancti dona in Judæos, ſecundum verba *Joëlis*. Nec in Judæos tantùm, ſed etiam Gentes, ſequitur enim apud eundem Prophetam, *Eritque ut quiſquis invocaverit* —Ver. 31.
nomen Jehovæ, nempe Meſſiæ, verâ fide & ſincero animo: *eripiat ſe: Quià in*

monte

monte Sionis & Jeruſalem erit liberatio, quemadmodum dixit Jehova, & in reſiduis quos Jehova vocaverit. Hæc ſignanter ad Judæos ſpectant.

Cap. iii. IDEM Propheta capite tertio, reductâ captivitate Judæ & Jeruſalem, Bellum horrendum prænunciat, Judæos inter & Gentiles futurum; Dein in claudendâ ſuâ Prophetiâ, exciſis & peſſundatis inimicis omnibus, fœlicem rerum ſtatum Judæis promittit perpetuò duraturum, *ver.* 18. ad finem.

SED de hoc bello maximo à Prophetâ memorato, plura ſunt dicenda. Sonabit inſtar tonitru per terrarum orbem, totumque inſtar fulguris inflammabit. Apparatus iſtius belli & denunciatio adeò ſunt ſolennes, tam numeroſæ belligerantum turmæ, & funeſtæ clades, ut vix aliis quàm ipſius Prophetæ verbis depingi poſſint. Sunt autem hæc verba Prophetæ, *ver.* 9.

PROCLAMATE hoc inter Gentes, indicite bellum, excitate potentes, appropinquent, aſcendant omnes bellatores.

—Ver. 10. *TUNDITE ligones veſtros in gladios, & falces veſtras in ſpicula: Qui debilis eſt dicat potens ſum.*

—Ver. 11. *COITE & convenite omnes Gentes undique, quùmque congregati fuerint, illuc, fac Jehova, ut deſcendant potentes tui.*

EX-

EXCITABUNTUR & aſcendent —Ver. 12.
*gentes iſtæ in convallem Jehoſophati: nam
ibi ſedebo ad judicandum omnes iſtas gentes
undequaque.*

IMMITTITE falcem, nam maturiit —Ver. 13.
*meſſis: venite, deſcendite quia plenum
eſt torcular, plateas perfundunt torcularium
lacus: nam ampla eſt malitia
iſtorum.*

MULTITUDINES, Multitudines —Ver. 14.
*in valle conciſionis; cùm propinquus fuerit
dies Domini in valle conciſionis.*

SOL & Luna obſcurabuntur, & ſtellæ —Ver. 15.
retrahent lucem ſuam.

CUM Dominus è Sione rugiet, *& ex* —Ver. 16.
*Hieroſolymis edet vocem ſuam, tum commovebuntur
cœli & terra: ſed Dominus
refugium erit populi ſui, & robur filiis
Iſraëlis.*

ITA agnoſcetis me Jehovam Deum —Ver. 17.
*veſtrum eſſe, habitantem in Sione monte
ſanctitatis meæ: Eritque urbs Hieroſolymorum
ſancta, & extranei non tranſibunt* Nahum. i. 15.
per eam ampliùs.

Ut hæc intelligamus, Quærendum imprimis de quo bello hîc loquatur Propheta? Præterito aliquo, an futuro? Dein, de quo loco, & quibus populis. Denique, finito hoc bello, quem rerum ſtatum deſignet ſecuturum. Ad primum quod ſpectat, putà tempus hujuſce belli, quod non fuerit præteritum quo tempore hoc ſcripſit Propheta,

extra

extra dubium eſt: aliter enim non Prophetiam ſcripſiſſet ſed hiſtoriam. Neque de bellis Aſſyriorum aut Chaldæorum intelligi poteſt. Victi enim fuere Judæi & in captivitatem adducti ab illis hoſtibus: Hic autem victoria ſtabit à partibus Judæorum, confundentur omnes eorum inimici, nec conculcabitur in poſterum Jeruſalem à Gentibus, ſive non tranſibunt per eam extranei ampliús.

Hinc facilè reſpondebitur ſecundo quæſito: Sedes & theatrum hujuſce belli erit Judæa, populi qui proſternentur, Gentes.
—Ver. 16. E Sione rugiet Deus, & ex Hieroſolymis emittit vocem ſuam, inquit Propheta. Præterea, dicitur fore hoc prælium in valle Je-
—Ver. 2, & 12. hoſaphati, Regis Judæorum; quo locus aliquis, quicunque ſit, in terrâ Judæá denotatur. Alludi quidem videtur ad vallem
2 Chron. xx. illam ubi olim tempore Jehoſaphati Deus confudit perdiditque Gentes inimicas Iſraëli, *Moabitas* nempe, *Hammonitas*, populos *Seir*, alioſque, ad invadendam Judæam congregatos. Simili modo, ſed multo magis atroci, congregatur hic turba ingens plurimarum gentium ad obruendum & extrudendum Iſraëlem. Quemadmodum
Ib. ver. 11. dicit Jehoſaphatus, veniunt ut *expellant nos ab hæreditate tuâ, quam hæreditario jure poſſidendam tradidiſti nobis.* Ita ſibi invicem reſpondent hi loci & caſus, ut Typus antitypo.

Est

Est itaque Terra Canaanitica rerum hic agendarum ſcena præcipua, ut totius narrationis ſeries indicat. In his campis aut eorum confiniis inſtruetur fatale prælium. In quo, præſente & præſidente Numine (ut in illo Jehoſophati) ſupremas referet victorias Gens Abrahamitica.

At tanta eſt & tam funeſta hæc extrema, ni fallor, mundi tragœdia, ut meritò quæratur, Ecquænam ſit alia in ſcriptis Propheticis ejuſdem belli aut prælii mentio. Idem mihi videtur hoc bellum cum illo *Gog* & *Magog*, ab *Ezekiele* memorato, *cap.* xxxviii. & xxxix. Utrobique bellum geritur in Terrâ Iſraëlis & contra Judæos, poſt redactam eorum captivitatem. Numeroſiſſimæ ſunt utrobique hoſtium copiæ, è variis populis, à variis partibus terrarum collectæ, nec tam humanâ quàm divinâ potentiâ tandem proſtratæ. Denique poſt hanc ſtragem & victoriam nulla futura eſt Judæis captivitas, diſperſio, deſolatio aut oppreſſio, ſed tempora læta & tranquilla, prout ab utroque Prophetâ dictum eſt. Vide locum *Ezekielis* cum annotatiunculis noſtris ibidem.

De eodem hoc bello libens etiam interpretor Prophetiam *Danielis*, *cap.* xii. 1. ubi de graviſſimis anguſtiis, ſummiſque periculis Judæorum vaticinatur. Liberabuntur autem, inquit, per *Michaelem* Principem magnum (quo nomine Meſſiam Je-

Jehovam intelligo) *qui ſtabit pro filiis populi tui*, ſive popularium tuorum, ut loquitur Angelus ad *Danielem*. Atque eo magis veriſimile mihi videtur, hanc calamitatem Judæorum eandem eſſe cum illâ incurſione formidabili à *Joële* deſcriptâ, & in idem tempus incidere, quòd utraque
Dan. xii. 1. ſit ultima Judæorum afflictio: Alteram enim
Joël. iii. 13, 14. excipiet Reſurrectio Mortuorum, Alterum Meſſis mundi, appropinquante Die Domini.

Denique, ut tranſeam ad oracula Chriſtiana, Prælium *Armageddon* in Apocalypſi
Apoc. xvi. 12, 13, 14, 15, 16. Sancti *Joannis* memoratum, idem mihi videtur cum illis *Ezekielis* & *Joëlis*. Eventurum eſt ſub phiolâ ſextâ, & exinde ſequitur in ſeptimâ, ni fallor, excidium mundi. Γέγονε, *Factum eſt*, conclamatum eſt de mundi fabulâ, conſummatum eſt myſterium Dei. In hoc prælio Armageddon congregantur copiæ *Draconis*, *Beſtiæ*, & *Pſeudo-Prophetæ*. Proculdubiò hoc prælium nondum præteriit, quodcunque ſit. Utî nec Prophetarum illa prænominata. Quid impedit, quæſo, quo minus ſtatuamus hoc idem fore prælium cum prædicto ab antiquis vatibus? Tempore conveniunt, nec à numeroſioribus copiis, aut à juratioribus hoſtibus contingere poſſunt. Vox *Armageddon* eſt vox Hebræa, atque locum aliquem in Judæâ denotare videtur, & dicitur prælium *magni illus diei Dei omnipotentis*:

Si

Si loci, tempora, & belli apparatus & denominatio inter ſe congruunt, nihil obſtat, quantum hactenus conſtat, quin unum idemque futurum ſit prælium, ab utriuſque fœderis Prophetis permonſtratum. Præterea, Hæ phiolæ, ſexta & ſeptima, videntur eſſe contemporaneæ cum Tubâ ſeptimâ, *cap.* xi. Atque in illâ Tubâ duplicia ſunt tempora, triſtia & læta. Dicitur *Væ Tertium*, *ver.* 14. quod calamitatem denotat: Dein, quaſi partâ victoriâ, reſonuit omne cœlum voce triumphante, *Facta ſunt regna mundi* —Ver. 15.
Domini noſtri & Meſſiæ, qui regnabit in ſæcula ſæculorum. At *fremuerunt gentes* in- —Ver. 18.
terim, inquit Propheta quod *advenerit ira Dei, & præſtitutum tempus mortuorum, ut judicentur*, &c. Denique, *Apertum* —ver. ult.
fuit templum Dei in cœlo, & viſa eſt Arca pacti ipſius in ejus Templo. Quibus verbis (quæ non ſemel occurrunt apud hunc Prophetam) antiqui fœderis cum Judæis icti habetur ratio & renovatur memoria. Sed ad *Joëlem* redeamus.

Circa hoc Bellum tam dira ſunt omina & tam funeſta rerum facies, ut à multis referenda videatur hæc ſcena tragica ad Diem Judicii & diſſolutionem Mundi. Neque multùm refragor, ſunt enim exitus illi conjuncti aut contigui, & ſæpiùs apud Prophetas in eodem Vaticinio involvuntur. Hic etiam utriuſque ſunt ſigna & indicia manifeſta, nimirùm apparatûs bellici & Diei Ju-

 dicialis:

dicialis: Atque horum uterque dicitur *Dies Domini*, aut *Dies magnus Domini*, apud Prophetas.

Superest tantùm tertium Quæſitum, ut ea adjiciamus quæ ſequuntur apud *Joëlem* de fœlici ſtatu Judæorum poſt eorum reſtau-
—ver. 18, rationem. Ita ſe habent, *Erit autem illo*
&c. *die, ſtillabunt montes ipſi muſtum, & colles defluent lacte, & omnes alvei Jehudæ defluent aquis, & fons è domo Jehovæ prodibit, qui irrigabit vallem cedrorum lectiſſimarum.*

ÆGYPTUS deſolationi erit, Edomæaque in deſertum deſolatiſſimum; propter violentiam in filios Jehudæ, in quorum terrâ effuderunt ſanguinem innocentum.

JEHUDA autem in ſæculum permanebit, & Jeruſalem à generatione in generationem.

NAM mundabo eos quorum ſanguinem non mundabam, Ego Jehovah habitans in Sione.

Hic, ut ſolet, promittuntur Judæis reſtauratis rerum externarum abundantia, peccatorum remiſſio, & ſingularis Dei præſentia. His adde Prophetiam inſignem *Balaami*, *Num.* ii, 5, 6, 7, 8, 9.

Hæc de *Joële*. Prophetæ proximè ſubſequentes dici poſſunt intermedii, ſed ex iis nonnulli ſingularem aliquam tractant materiam. Ita *Jonas* hiſtoriam ſuæ legationis ad Ninevitas memorat. *Nahum* etiam

Onus

Onus Ninives exponit. *Obadias* enarrat triſte fatum *Edomi.* (Quo nomine Hebræi Interpretes intelligunt *Romanos*) ob ſuam *Jacobi* perſecutionem. Dein reſtaurationem *Jacobi*, & funeſtam cladem *Eſavi*, *ver.* 17, 18. Denique, judicato & damnato *Eſavo*, *Regnum erit*, inquit, *Jehovæ*, ver. *ult.*

Reliqui Prophetæ intermedii ſunt *Micah*, *Habaccuc*, & *Zephaniah*. *Micah* acriter increpitat Judæorum vitia & prævaricationes, ſed & promittit collectionem & reſtaurationem *Jacobi* & *Iſraëlis*, *cap.* ii. 12, 13. Dein *cap.* iv. enunciat celebre illud oraculum de monte Domini in noviſſimis diebus exaltando ſuper omnes montes: Et ad eum, inquit, cuncti populi confluent & confugient. Hoc Vaticinium intelligunt omnes de regno Meſſiæ, ſive de adventu Meſſiæ, primo aut ſecundo. Utrumcunque verò accipias, comitetur eum oportet pax ſumma, unà cum rerum omnium ubertate, *ver.* 3, 4. Ac etiam dominium ſingulare tunc temporis Iſraëli promitti videtur, *ver.* 8, & 13. Denique caput ultimum, poſt triumphum Iſraëlis in ſuos inimicos, (remiſſis ipſius peccatis) ſic concluditur, *Præſtabis fidem* datam *Jacobo*, *miſericordiam* —ver. 16, &c.
Abrahamo, *quæ juráſti majoribus noſtris* *à diebus priſcis.* Quæ fuerint illa promiſſa, quæ fides data Patribus, ſatis notum eſt: At neque illa præſtabuntur, neque hæc liberabitur ſi perpetuo mulctandi ſint exilio, perpe-

tuò expulſi è Terrâ promiſſa Filii *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*.

Neque per reditum & redemptionem è Babylone, Vaticiniis *Micæ* ſatisfieri poteſt. Loquitur Propheta, in locis ſupra notatis, de confringendis Gentibus, dominio parto, & fœliciſſimo ſtatu Iſraëlitarum exinde ſecuturo: Quali hactenus, neque ſub illud tempus potiti ſunt, neque hodiè potiuntur. Manent itaque illum populum, præſtituto Dei tempore, requies & reſtitutio.

Præterii caput quintum hujuſce Prophetæ, ubi, ex conſenſu tam Hebræorum quam noſtrorum interpretum, tractatur de
—Ver. 2. Meſſiâ: diciturque futurus *Dominator in Iſraële*, & *paſturus*, *i. e.* recturus vel reg-
—Ver. 4. naturus, *in robore Jehovæ*, & *in majeſtate nominis Jehovæ Dei ſui: quùm magnus erit uſque ad fines terræ.* Hæc poteſtatem Regiam, eamque ſummam indicant, qualem Chriſtus non exercuit in primo ſuo adventu, humili & pauperculo: ſed exerciturus eſt in ſecundo, glorioſo & potenti. Dein agit Propheta de futurâ proſperitate Judæorum, Gentiumque quarumcunque inimicarum conculcatione, *ver.* 7. *Erunt reliquiæ Jacobi ſicut ros* & *tenues pluviæ*
—Ver. 8. *ſuper herbam. Erunt in gentibus, inter multos populos, velut leo inter beſtias ſylvæ: ut juvenis leo inter greges ovium: quacunque tranſit, calcat* & *rapit, nemine eripiente.*

Hæc ad tempora Maccabæorum nonnulli trahunt, ſed obtorto collo; ſecundum ductum Prophetæ poſt natum Meſſiam ſuccedet hæc in Gentes dominatio uſque ad fines Terræ. Succeſſum illum qualemcunque in Syros, excepit major oppreſſio per Romanos; neque hactenus excuſſum eſt illud jugum, multo minus obtinuit illa dominatio in Gentes quæ hîc prædicitur.

Post Prophetam *Nahum*, quem prælibavimus, ſequitur *Habaccuc*, qui mala multa denunciat in Judæos & Chaldæos. Et in tertio capite, quod dicitur *Canticum vel Oratio Prophetæ*, internecionem Gentibus, Iſraëli futuram enarrat ſalutem, *ver.* 12, 13. Sed in eo verſatur maximè, ut glorioſum & terribilem adventum Domini deſcribat: De quo poſtea apud *Zachariam*. Habaccuc.

ZEPHANIAH in primo & ſecundo capite acerba & ſevera Dei Judicia tam in Judæos delinquentes quàm in Gentes prænarrat: Eaque proſequitur uſque ad capitis tertii medium, ubi ſermonem orditur de Regno & temporibus Meſſiæ, deducitque ad finem capitis. Zephaniah.

Præmittit, *ver.* 8. ut ſolent Prophetæ, triſtia lætis: & effuſam Dei indignationem in gentes, regna, & populos tumultuantes & unà congregatos: his nimirum verbis, *Quapropter expectate me, dictum Jehovæ, in diem quo reſurrecturus ſum ad prædam:*

nam mihi decretum eſt, ut colligam Gentes, ut congregem regna, ut effundam ſuper illas indignationem meam, totum æſtum iræ meæ: nam igne zeli mei abſumpta erit tota terra. Hæc de famoſo Bello *Gog* & *Magog* exponunt Hebræi Interpretes; eſt quidem congregatio aliqua & clades inſignis Gentium, unde ſequantur lætiora fata Iſraëlis. *Tunc enim*, inquit verſu ſequenti, *mutabo in populis labium ut purum ſit, quo invocent omnes nomen Jehovæ, colendo eum uno conſenſu.* Dein *ver.* 11. *Tempore illo non pudefies*, &c. unde ſequitur exultatio Iſraëlis, *ver.* 14, 15. *Cane filia Sionis, clangite*, &c. ad modum *Pſalmi* xlvii. *Iſa. cap.* xii. & *cap.* liv. Denique, aliis interjectis quæ eodem ſpectant, clauditur Prophetia his verbis, *Tempore illo adducam vos, quùm vos congregavero, nam dabo vobis nomen & laudem in omnibus populis terræ, cum reduxero captivas turmas veſtras ante oculos veſtros, Ait Jehova.*

Agitur hic apertè, ut mihi videtur, de glorioſâ aliquâ reſtauratione Iſraëlis, & Inimicorum excidio; de gaudio ſummo & permanenti Sionis, & extraordinaria Dei præſentia & præſidentia. Ubinam, quæſo, hæc dona præclara reperiemus in temporibus præteritis? Hæc neutiquam experti ſunt Judæi ad reductionem Babylonicam, multo minus ſub adventum Chriſti: & ex illo tempore jactati ſunt huc illuc, fluctuum inſtar ventorum

torum impetu. Manet tantùm ſecundus adventus Meſſiæ, ſpes Iſraëlis, & promiſſorum omnium futurum complementum.

Hæc de *Zephaniâ*. Poſtremi tres Prophetæ (quibuſcum apud Judæos donum Propheticum expiravit) ſunt *Haggias*, *Zecharias*, & *Malachias*. *Haggias* animat & impellit Judæos ad extruendum Templum Secundum. In quo (aut in Tertio, nempe *Ezekielis* illo, ut volunt Judæi poſteriores) majorem fore gloriam aſſerit quàm fuerat in primo. Quod de adventu Meſſiæ ſub templo ſecundo rectè intelligi videtur, quùm aliàs (præter minorem ipſius ædificii magnificentiam) deſiderarentur in poſteriori illo multa divinæ gloriæ inſignia, quibus eminuit, & quaſi ſuperbiebat *Solomonis* Templum. Sub finem ſuæ Prophetiæ, *cap.* ii. *ver.* 20. & ſequentibus, triſtem cladem prænunciat Gentibus, regniſque mundanis; ſalutem gloriamque *Zerubbabeli:* utpote qui typus habetur Meſſiæ, ab ipſius ſtirpe naſcituri. Neque enim in perſonâ aut tempore *Zerubbabelis* hæc fuere conſummata; illa nimirùm rerum concuſſio reſpectu Judæorum, aut illa Gentium conquaſſatio quæ hîc enarratur. Hæc libentiùs refero ad iſtam Gentium cladem decumanam quæ ſæpiùs à Prophetis præmitti ſolet ultimæ Judæorum reſtaurationi. Haggias.

ZECHARIAS, qui ſequitur, abundat viſionibus, & quidem ſatis obſcuris. In Zecharias.

earum nonnullis tamen promiſſa de Meſſiâ venturo clarè exhibentur. Sed ea tantùm notamus impræſentiarum quæ futuram Judæorum reſtaurationem aſpiciunt. Cap. ii. ver. 10. *Cane & lætare, Filia Sionis,* &c.

—Ver. 8, & 9. Cùm Deus, ſermone proximè præcedenti, tenerrimum ſuum in Iſraëlem affectum declaraſſet, & in Gentes iis inimicas iram & exitium, per modum triumphi ſubjungitur, *Cane & lætare, Filia Sionis; Ecce venturus ſum, & habitaturus in medio tui, Dictum Jehovæ.*

Duo hic notanda, quæ etiam alibi ſæpiùs occurrunt apud Prophetas, Exultatio Iſraëlis ob fœlicem ſuam ſortem, & habitatio Dei in medio ipſius. Exultationem illam notavimus antea ad Cap. iii. *Zephaniæ*, ver. 14. & loca cognata quæ ibidem citantur. *Habitationem Dei in medio Iſraëlis* interpretatur Chaldæus Paraphraſtes hic, ut alibi, de *Shechinah*, ſive *majeſtativâ Dei præſentiâ.* Verba Paraphraſtis ita vertuntur, *Exulta & lætare cœtus Sion, Ecce enim revelabor, & collocabo majeſtatem meam* (שְׁכִנְתִּי) præſentiam meam majeſtativam *in medio tui, Dicit Dominus.* Eadem etiam ejuſdem interpretatio habetur verſu ſequenti, & priùs in verſu quinto. Neque aliter ad Cap. iii. *Zephaniæ*, ver 15. Idem hic promitti videtur quod promiſſum eſt antea *Ezek.* xxxvii. 27, 28. & poſtea à Sancto *Joanne* in *Apocalypſi*, cap. xxi. 3. Quum verò

verò non apparuerit *Shechinah* in Templo ſecundo, & promiſſum ſit à ſancto *Joanne* in Novis Cœlis & Novâ Terrâ, reſtat complendum, ut mihi videtur, unà cum lætâ Judæorum reſtauratione, in ſecundo Chriſti adventu, hoc Vaticinium.

Incoeptum proſequitur argumentum Propheta reliquis verſibus hujuſce capitis, nempe 11, 12, 13. Nec minus per caput *octavum*, & *nonum*, ubi promittitur Iſraëli pax, tutela Dei, hoſtium interitus, & affluentia bonorum quæ vitam conſtituunt beatam. Hæc autem nobis occurrêre toties in Prophetis antecedentibus, ut hoc in loco repetitâ explicatione non indigeant.

Sed intactum præterire nequeo caput duodecimum, ubi futurum robur & gloria Judæorum & domûs Davidis verbis magnificis celebrantur. *Debilis aut abjectus in-* —ver. 8.
ter incolas Jeruſalem, inquit Propheta, *illo die erit ſimilis Davidi, & domus Davidis ut Deus, ut Angelus Jehovæ coram illis.* Quale decus & dominium deſignant hæc verba? Ut populus ſit inſtar Regis *Davidis*, nec tantum *Davidis* inſtar, ſed etiam Angeli Dei. Ecquidnam hactenus obvenit Iſraëlitis à tempore dati promiſſi, quod ipſius partes explere potuerit? Aut reſpondere ad illum ſtatum Regium, ne dicam Angelicum aut Divinum, qui à Propheta exhibetur? Hæc ſi neque præterita ſint, neque præſentia, referenda ſunt neceſſariò ad

ad futurum aliquod tempus, ne dicta Prophetica fiant irrita.

At, inquies, inſurgunt *Gentes* contrà, & ubique conculcant Judæos: gentem derelictam & odio habitam; Qui poterunt eniti ad illud honoris faſtigium, niſi debellatis priùs hoſtibus qui undequaque obſiſtunt? Huic objectioni obviam ierat Propheta, dixerat enim in præcedentibus, Robore Jehovæ fore ſtipulam omnes Gentes, & Judam
—Ver. 6. inſtar Ignis. *Illo die diſponam duces Judæ tanquam focum ignis invadentis ligna, & ut torris ignei invadentis manipulum, qui conſumat ad dexteram & ad ſiniſtram omnes populos circumquaque; ut inhabitentur Hieroſolyma iterum, ſuo loco, etiam Hieroſolymis.*

Quid jam deeſt aut deſideratur ad futurum triumphum? Partâ victoriâ rerum potiuntur & imperii *Victores*, atque inimicorum ſpoliis diteſcunt & gloriantur. Nimirùm id ſolenne eſt Prophetis, prout antea notavimus, ut Judæorum reſtaurationi motus & tumultus populorum præmittant: Hoſtibuſque ſubactis pace fruantur & Epinicia canant Iſraëlitæ.

Denique cùm Dei favori & beneficiis externis viam aperiat interior gratia, Reſipiſcentiam intelligo, pioſque animi affectus, utriuſque generis bona conjunctim refert Propheta, *ver.* 9, 10. *Erit enim illo die quo perditurus ſum omnes gentes quæ invaſerint*

rint Hieroſolyma, ut effundam ſuper domum Davidis & ſuper habitatores Hieroſolymorum ſpiritum gratiæ & deprecationum, reſpicientque ad me quem transfixerint: Plangentque ſuper hoc tanquam planctu de unigenito, & amarè plangent de eo, ut amarè quis plangit de primogenito.

Hanc transfixionem, atque hunc Judæorum planctum non poſſumus non referre ad Meſſiam: quùm eò ſint relata à *Joanne*, Cap. xix. 37. & dein *Apoc.* i. 7. ubi notatur etiam tempus hujuſce planctûs: nempe cum *viderint omnes tribus terræ* Dan. vii.
Filium hominis venientem in nubibus: 13. Mat. xxi.
Quod de ſecundo ipſius adventu neceſſariò 30.
intelligendum. Proinde ſub illud tempus complenda ſunt omnia quæ hic enarrantur à Prophetâ.

Idem argumentum de ſtrage Gentium & gloriâ Iſraëlis exequitur Propheta capitibus ſequentibus uſque ad finem ſui Vaticinii. Hæc de *Zechariâ*.

Succedit *Malachias*, Prophetarum apud Malachias.
Judæos ultimus. Hic exprobat Iſraëlitis multifaria peccata, & ſpeciatim ſacerdotibus. Sed repurgati, inquit & igne conflati reni- *Cap.* iii
teſcent: Et prædicabuntur Beati inter om- *ver.* 3, 4,
nes gentes, recognoſcenturque ut peculium 12, 17.
Dei. Hæc autem ſors beata, ſplendida & magnifica, non contigit Judæis in excidio Hiero-

Hieroſolymorum, nec unquam poſtea uſque ad hodiernum diem.

In illo capite tertio & ſubſequenti, de *Meſſiâ* & *Eliâ* venturis ſermonem inſtituit Propheta, duplicemque utriuſque adventum illic ſignificari volunt nonnulli, & exinde monſtrari poſſe reſtitutum iri Judæos ſub ultima tempora. Equidem pronus ſum in illam ſententiam, utrumque Meſſiæ adventum hic deſignari: ſecundum nempe in illis verbis, *Cap.* iii. *ver.* 2. *Quis autem ſuſtineat diem adventûs ejus? aut quis conſiſtat cum apparuerit?* Nam *ipſe quaſi ignis conflatoris eſt, & ut ſmegma fullonum,* &c. Dein ſequitur *Cap.* iv. *Ecce dies ille adveniet, ardens tanquam fornax, quo erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes improbitatem, ſtipula; Et inflammabit eos dies ille venturus, ait Jehova exercituum,* &c.

Temperare mihi nequeo quo minus hæc ignea, terribilia & univerſim graſſantia, ad ſecundum Chriſti adventum referam: cùm veniet in flammis ignis ad conſumendos omnes improbos, ut loquitur Sanctus *Paulus*, 2 *Theſſ.* i. 7, 8. & dein Sanctus *Petrus*, 2 *Epiſt.* iii. 7. confer etiam, 1 *Cor.* iii. 12, 13. Neque aliter quàm de hoc tempore Conflagrationis Mundi (quo venturus eſt Chriſtus, 2 *Pet.* iii. 10.) intelligere poſſum præcedentis Prophetæ *Zachariæ* verba, *Cap.* xiv. 6, 7. cùm ignes miſti fumis viciſſitudinem

nem Diei & Noctis confundent. De quo rerum ſtatu atque cœli facie, vide, ſi libet, Theor. *Tell. lib.* 3. *cap.* 11. & 12.

Hæc de ſecundo Chriſti adventu; ſed de adventu *Eliæ* quid dicemus? venit quidem dudum *Elias*, ſed non in propriâ perſonâ, ſed potiùs in typo. Videtur enim typus *Eliæ* fuiſſe *J. Baptiſta*; Præcurſor erat primi adventûs Chriſti, ut erit olim alter *Elias* ſecundi. Eodem ſpiritu & officiis conveniunt, ut typus antitypo.

Multa ſolent diſceptari de futuro adventu *Eliæ* Prophetæ: Inter Judæos receptiſſima eſt doctrina de *Eliâ* venturo, nec quidem novitia, aut à poſteriori inventa. Tempore Chriſti invaluit, idque ex ore Scribarum, qui in Cathedrâ *Moſis* ſedebant, Quibuſque adeò (præter mores) auſcultandum eſſe duxit Chriſtus, *Mat.* xxiii. 3. Eandem retinent ſententiam Interpretes Hebræi recentiores, & è Chriſtianis plures. Mat. xvii. 10. Mar. ix. 11.

Qui negant *Eliam* adhuc venturum, *Joannem Baptiſtam* habent pro ſolo & unico *Eliâ*, nec alium putant eſſe expectandum; ſuſtinuit quidem vices & perſonam *Eliæ Baptiſta*, & muneris ipſius partes pro tempore; at ſi unicus fuiſſet *Elias*, (ex omni parte & tempore) à Prophetâ prædictus, haud negâſſet, opinor, explicitis verbis ſe eſſe *Eliam*, cum de eâ re interrogaretur, *Joh.* i. 21. Proinde mihi ſatius videtur ſupponere, ut ſupra innuimus, *Baptiſtam* fuiſſe

fuiſſe Typum *Eliæ* Prophetici, nec illud impedire quo minus veniat ſuo tempore alter *Elias*.

Adventus *Eliæ* tempus conjungi videtur apud *Malachiam* cum Die Judicii, adeoque ſecundi adventûs Domini. Neque enim deſcriptio illa Diei magni & tremendi quem præceſſurus eſt *Elias*, quadrare mihi videtur (ſaltem ultimò & completè) ad primum adventum Chriſti, humilem & manſuetum.

Scio hoc argumentum nihil valiturum apud eos, qui ſingula quæ dicta ſunt à *Malachiâ*, Cap. iii. & iv. expleta velint in excidio Hieroſolymorum & cladis Judaicæ exinde ſubſequentis: ſed apud alios vim ſuam habebit. Atque illa reſtrictio verborum Prophetæ ad excidium Hieroſolymitanum minus mihi placet, eò quod eoſdem videam Expoſitores loca quædam novi fœderis quæ apertè loquuntur de die judicii & ſecundo adventu Chriſti, extenuare & ad eandem cladem tempuſque deprimere. Talia ſunt quæ ſupra notavimus, & ejuſdem ordinis alia, quæ ferunt eundem ſenſum & aliquatenus eadem verba. Neque mihi perſuadere poſſum, nihil aliud intellexiſſe Prophetam præter cladem Hieroſolymitanam, cum
Cap. xliii. conculcationem Improborum inſtar cinerum, & beatum Judæorum ſtatum in eadem prædictione includat. Quæ neutiquam adveniſſe Judæis, omnibus notum eſt, ad cladem

dem Hieroſolymorum: ſed miſeram inde ſortem his planè contrariam.

PRÆTEREA Chriſtus ipſe dixit, *Venturum quidem Eliam*, tempus futurum denotans: & *reſtituturum omnia*, Mat. xvii. 11. quod de ſecundo ipſius adventu intellexiſſe videtur: quandoquidem, hæc dicente Chriſto, mortuus eſſet Baptiſta; atque illa *Reſtitutio omnium* non futura ſit niſi in ſecundo Chriſti adventu, *Act.* iii. 21.

DENIQUE ut hæc expediam, In eandem nobiſcum ſententiam de *Eliâ* venturo conſentientes habemus è Chriſtianis Patribus plures, prout ſupra innuimus. Omnes referre haud operæ pretium eſſet, ſed *Juſtini Martyris* cum Tryphone Judæo diſſerentis non pigebit apponere verba; ἐχὶ τῆς φοβερᾶς καὶ μεγάλης ἡμέρας, &c. *Annon terribilis & magni illius diei, hoc eſt, ſecundi adventûs Meſſiæ, Eliam præcurſorem fore, Verbum Dei prænunciâſſe intelligemus? Maximè reſpondit Trypho. Dominus ſanè noſter, inquam, hoc ipſum in doctrinis quoque ſuis futurum tradidit, cum dixit etiam Eliam venturum. Atque nos id fore ſcimus cùm cœlitùs in gloriâ adveniet Dominus Jeſus Chriſtus. Cujus etiam prioris manifeſtationis præco præceſſit, in Joanne generis veſtri prophetâ, Spiritus Dei qui in Eliâ fuerat.* Ita *Chriſti* & *Malachiæ* verba intellexit *Juſtinus.* Neque aliter S. *Auguſtinus*, cum dixit hanc doctrinam eſſe celebrem in ore animiſque fidelium. *Per hunc*

De Civ. Dei, l. 20. c. 29. *hunc Eliam*, inquit, *magnum mirabilemque Prophetam, expoſitâ ipſis Lege, ultimo tempore ante judicium Judæos in Chriſtum verum, id eſt, in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, celeberrimum eſt in ſermonibus cordibuſque Fidelium.* Vide * *Tertullianum, Chryſoſtomum, Theodoretum*, aliosque.

* De Anim. c. 35. & de Reſurrect. Carn. c. 22.

His demùm rationibus, aut aliis quibuſcunque adducti, qui *Eliam* venturum conceſſerint, ante diem tremendum Domini, haud negabunt, opinor, ad convertendos & reſtaurandos Judæos (quibus mittendum dicit Propheta) eum venturum eſſe. Siquidem illa converſio & reſtauratio, quibus non eſt alia major aut illuſtrior, ſi non primariò ad eos ſpectent, ſive ad *Tribus Jacobi*, ut ait *Siracides:* ſaltem communis ſalutis participes erunt. Tum demùm in unum conſentient Patres & Filii, Patriarchæ & eorum poſteri, confitentes Jeſum Nazarenum eſſe unicum Servatorem, unicum Meſſiam, Dominumque communem Judæorum & Gentium. Exinque cum Judæis reconciliatum iri Chriſtianos. Alteros filios *Abrahami*, natu quidem minores: alterum ſemen ex fide, ut *Paulus* dixit ad *Romanos*, & *Gal.* iii. 7. Atque in hac duplici unione & converſione animorum perficiendis, opus *Eliæ*, aut cujuſcunque Prophetæ qui ipſius vices ſuſtinuerit, adimplendum eſſe exiſtimo.

Eccl. xlviii. 10.

MULTA

Multa hactenus collegimus & pro virili explicuimus de reſtaurandis Judæis Prophetarum teſtimonia, præ cæteris explicita. Nodos relinquimus iidem *Eliæ* explicandos. Alia ſunt præterea loca, ut mihi videtur, quæ ſenſu reflexo & duplicato idem teſtantur, ut typi, præludia, & documenta implicita. Nihil enim dubito ſæpiùs occurrere in ſtylo Prophetico ſenſum duplicem, quem *directum* & *reflexum* appellare liceat. Sed quantum valeant primariæ ſignificationes Prophetiarum experiri libuit: relictis cæteris, pro cujuſque ingenio, ad idem argumentum corroborandum, adnotandis. Nec enim in his aut illis præjudicatum vellem quicquam aliorum ſententiis & rationibus. *Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris.* Eſto hæc regula aurea, quam ubique ſequi teneamur Chriſtiani.

SECTIO III.

HACTENUS Prophetarum ſcripta, alíus poſt alium ſigillatim perluſtravimus: ad notandum ea vaticinia & promiſſa quæ futuram Judæorum inſtaurationem denotare videntur. Atque hic ſit conſpectus primus argumenti. Sed juvabit præterea ſermones illos diſperſos velut in manipulos conſtringere, ſive in ſuas claſſes

& capita diſpeſcere, pares cum paribus: ut ea Prophetarum loca quæ generis ſunt ejuſdem & virtutis unà collecta, vires ſuas fortiùs exerant.

Quædam loca Prophetarum, ut inde incipiam, Reſtaurationem Judæorum dicunt futuram ſub Meſſiâ Rege. Alia tempus non exprimunt tam præcisè, ſed id conjungunt in eodem ſermone cum prædictione de Meſſiâ. Denique alia loca & vaticinia reſtaurationem illam iis inſigniunt characteribus & notis quæ adaptari non poſſunt ad reſtaurationem aliquam præteritam: ideóque quùm fallere aut falli nequeant Prophetæ, ad tempus futurum ſunt referenda.

Ad primum ordinem ſpectant ea vaticinia, quæ ſub *Davide* Rege hanc reſtaurationem collocant; Qualia ſunt illa, *Jer.* xxx. 9. & xxxiii. 15, 16. confer *cap.* xxiii. 5, 6. Dein *Ezek.* xxxiv. 23, 24, 25, *&c.* & *cap.* xxxvii. 24, 25. ad finem capitis. *Hoſ.* iii. 5. *Pſal.* lxxxix. 20, *&c.*

Ad ſecundum ordinem quod ſpectat, Quamplurimi ſunt loci Prophetarum, qui reſtaurationem pacemque Judæorum prædicant conjunctim in eodem ſermone cum iis oraculis quæ Meſſiam venturum enunciant. Hæc ſæpius occurrunt conjunctim apud *Iſaiam*. Conſule *cap.* ii. *cap.* iv. *cap.* xi. *cap.* xxxii. *cap.* xxxiv. *cap.* xlix. *cap.* lx. & lxiii. Dein *Jer.* xxiii. 5, 6, *&c.* *Hoſ.* iii. 11. *Amos* ix. 11. *Mic.* iv. *Zech.* ii. 10.

10. Denique, quæcunque notantur loca ſuperiùs in primo ordine, probant à fortiori reſtaurationem Iſraëlis & tempora Meſſiæ non eſſe disjuncta.

Manifestum eſt Judæos, hæc vaticinia Prophetarum de futurâ eorum proſperitate ita intellexiſſe, ac ſi ad dies Meſſiæ pertinuiſſent: adeoque non recepiſſe Jeſum Nazarenum pro Meſſiâ, quod neque pacem aut dominium attulerit Judæis, nec cætera bona, interna aut externa, quæ veniente Meſſiâ expectabant. Neque eos hâc in re deliráſſe dicerem, ſi primum & ſecundum adventum Meſſiæ non confudiſſent. Dicitur enim ab Iſaiâ *Princeps pacis* Meſſiah, & *Cap.* ix. ipſius regnum *Pacificum* ubique à Prophe- 6, 7. tis prædicatur. Sed neglexere nimiùm verba S. *Petri*, qui Judæis aliiſque piis *tempora refrigerii & reſtitutionis* promiſit, ſed non adventura donec è cœlo redierit Chriſtus, *Act.* iii. 19, 20, 21.

Ad tertium ordinem accedimus, atque illa vaticinia quæ reſtaurationem Iſraëlis iis inſigniunt characteribus, qui competere nequeunt in alia tempora quàm illa Meſſiæ. Characteres illi ſunt triplicis ordinis, *Morales*, *Politici*, *Naturales*. Hi nonnunquam omnes conjunguntur in eâdem Prophetiâ, quandoque ſeparatim proponuntur. *Morales* appello ſive divinos, juſtitiam & ſanctitatem, pœnitentiam & converſionem ad Deum, effuſumque Spiritum ſanctum,

atque cætera ſpiritualia. De his conſule *Iſa.* xxxii. 16, 17. *cap.* lx. 17. *cap.* lxi. 10, 11. *Hoſ.* ii. 19. *Joël.* iii. 17. Dein *Ezek.* xxxix. 29. *Joël.* ii. 28. *Zech.* xii. 10. *Politicos* nomino, Pacem & incolumitatem ſtabilem: abſque omni ſtrepitu aut clamoribus belli. Dein libertatem integram, abſque dominatione alienâ, exilio, captivitate, aut quovis extraneorum jugo: Denique ſecuritatem ſummam, domi foraſque, gladiis in ligones conflatis, haſtiſque in falces. Hic ſtatûs reſtaurati character eſt notiſſimus & frequentiſſimus apud *Iſaiam*: vide etiam *Ezek.* xxxiv. 25, 26, *&c. Hoſ.* ii. 18. *Zech.* ix. 10. Poſtremò, *Naturales* characteres dico *Cœlum novum*, & *Terram novam*: Longævitatem, agrorum luxuriam aut ſpontaneam fertilitatem, innoxiam animalium omnium naturam, & ſiqua ejuſmodi. Hæc loca notavimus ſupra ad *cap.* lxv. *Iſaiæ*, quod licet conſulere.

Hi ſunt characteres & inſignia reſtaurati ſtatûs Iſraëlitarum, & connectuntur ſæpè cum temporibus Meſſiæ. Si præterita fuiſſe dixeris ante illa tempora, dic quo ſæculo, quo regno, aut quocunque ſtatu fœlici Iſraëlitarum evenerint. Conſule hiſtorias, tam ſacras quàm prophanas, nihil reperies (ſi primi Paradiſi tempora excipias) his ſimile aut ſecundum. Dein, ab adventu primo Meſſiæ ad hodiernum diem peſſum iere res Iſraëlitarum: tantum abeſt ut hanc floren-

florentiſſimam fortunam adepti fuerint. Proinde tota ſpes reſtat in ſecundo adventu Chriſti. Eò confugimus, eò adigimur, ut Prophetiis ſua conſtet veritas, ſuus honos.

Quanquam ab his characteribus ſatis innoteſcere mihi videatur, nondùm impleta eſſe hæc promiſſa de reſtitutione Judæorum, ſupereſt tamen alter haud ignobilis character, qui cum iiſdem promiſſis conjungi ſolet à Prophetis: Manifeſtam,glorioſam & *majeſtativam Dei præſentiam* intelligo: quam *Shechinah* dicunt Chaldæi & Hebræi. In percurrendis Prophetarum ſcriptis hanc notam ſæpiùs adjecimus ex Chaldæo Paraphraſte; Qui cùm ſcripſerit ante natum Chriſtum, ipſius interpretationem, utpote præjudiciis immunem, eo magis æſtimamus. Sed res ipſa loquitur, & Prophetarum verba. Cum enim Deus ſe dicit *habitaturum in medio ipſorum: Tabernaculum ſuum inter ipſos poſiturum: Illis nubem fore interdiù, ſplendorem nocte:* Hæc & hujuſmodi dicta manifeſta ſunt indicia & deſcriptiones τῆς *Shechinah*, quale fuit in Deſerto, in Tabernaculo aut Templo. Vide *Iſa.* iv. 5. xii. 6. & lx. 2, 13. *Ezek.* xxvii. 27, 28. Adde *Apoc.* xxi. 2, 3.

Hæc de characteribus qui ad hanc claſſem pertinent. Tranſeamus ad Prophetias alius generis: quales ſunt illæ quæ in diebus Reſtitutionis magnæ unionem omnium Tribuum, Judæ & Iſraëlis, promittunt.

Hoc apertiſſimè prænunciavit *Ezekiel*, & externo ſymbolo, ut mos erat Hebræorum, repræſentavit, *Ezek.* xxxvii. 15, *&c.* ad finem capitis. Nec minùs ab aliis Prophetis conjunguntur ordinis utriuſque Tribus in hâc reſtauratione. Vide *Iſa.* xi. 13. *Jer.* xxxiii. 7. *Hoſ.* i. 11. *Zech.* x. 6, 7. Hæc Vaticinia, ut vides, τὸ δωδεκάφυλον comprehendunt. Ita tamen ut totum populum non includant promiſcuè, ſed populum ſelectum, ut *Apoc.* vii. & alibi ſæpiùs apud Prophetas; rejectis improbis, ad veros Iſraëlitas reſtringitur promiſſum. Hanc recollectionem & redemptionem generalem Hebræis nondum obtigiſſe, ſive in reductione Babylonicâ, ſive aliâ quâcunque poſteriori, ad loca præfata oſtendimus: Quæ dubitantibus, ſiqui fuerint, ſunt reviſenda.

Dicatur hæc nota, *Univerſalitas*. Sequitur ejuſdem reſtaurationis *Perpetuitas*. Perennis nempe & interminata liberatio, ut populus Iſraëliticus nullis deinceps exiliis cladibuſve publicis obnoxius, ſedes quietas in Terrâ promiſsâ & antiquâ patriâ ſit habiturus. Hoc iterum iterumque quaſi certatim prædicant Prophetæ. Vide *Iſa.* lx. 15. & lxvi. 22. *Jer.* xxx. 8, 9, *&c.* & *cap.* xxxi. 3, 25, *&c.* & 40. *Ezek.* xxxix. 27, 28, 29. *Hoſ.* i. 19, 20. *Joël* ii. 26, 27. & *cap.* iii. 20. *Amos* ix. 15. *Zeph.* iii. 15.

Hæc nota tituluſve *perpetuitatis* tollit ſuffugia & reſponſiones omnes quibus à nonnullis

nonnullis promiſſa Iſraëlis reſtitutio in tempora *præterita* conjici ſolet. Quæ præterita ſunt eo ipſo non ſunt perpetua. Expiravere dudum, quoſcunque habuerint olim Iſraëlitæ, dies fœlices aut intervalla lucida. *Lucida intervalla* non immeritò dicimus, quùm incerta fuerint & fugacia; Expirâſſe autem teſtatur hodiernus Judæorum ſtatus, triſtis, ſervilis, & oneroſus: ad modum populi deſolati, & tantùm non deſerti. Nec hodiè aut heri hæc mala patiuntur Judæi, ſed à multis retro ſæculis, non procul ab adventu Chriſti, his laborârunt incommodis aut calamitatibus, & etiamdum in iiſdem hærent. Nulla liberatio Iſraëlitarum hactenus fuit perpetua; poſt regreſſum à Babylone mala graviſſima perpeſſi ſunt ſub Antiocho Epiphane, & iis, qui eum ſecuti ſunt, Syriæ regibus; Rerum nempe ſuarum, tam ſacrarum quàm temporalium, ſpoliationem, & bella diuturna. A Romanis poſtea ad extremam redacti ſunt miſeriam, & à tempore diruti ſui Templi & Reipublicæ, diſperguntur & vagantur, exules & extorres, per totum terrarum orbem. Hiſtoria Iſraëlitarum eſt veluti Tabula variata figuris, triſtibus & lætis; triſtes autem hactenus majorem ipſius occupârunt partem. At ſi promiſſa ſit iis aliquando futura requies perpetua, *Manet adhuc*, ut loquitur Apoſtolus, *Sabbatiſmus populo Dei.*

Sufficere mihi videntur hæc indicia & characteres ad conſignandum tempus hujus redemptionis Iſraëliticæ eouſque ut à præteritis quibuſcunque poſſit inde diſtingui. Calculos non ineo de futuris, nec ſum cupidus ſciendi temporum momenta, quæ Pater apud ſe retinuit: At nondum eluxit, ſiquid video, clarus ille Iſraëlitarum dies, nec in proximis eſſe auguror. Nondum, proh dolor, expiarunt cædem Meſſiæ, aut ſupplicio debito ſcelus illud luère; Nec tantas perpeſſi ſunt pœnas, quanquàm ſubierint plurimas, quantas paſſuros eſſe prædixit *Moſes*, eorum noſtrûmque Propheta. Conſule *Deut. cap.* xxviii. ubi omne genus malorum denunciat in Judæos degeneres & rebelles: & eorum nonnulla quæ proſequitur à verſu 49. denotare videntur calamitates diriſſimas, quæ non niſi poſt tempora Chriſti Judæis incubuère. Gentis longinquæ mentionem facit, à finibus terræ prodeuntis: linguæ ignotæ, & Aquilarum inſtar velocis & rapacis: Eamque ait, ferocem & prædatricem, devaſtaturam eſſe omnia. Dein obſidionem prænunciat arctiſſimam & atrocem, in quá carnem humanam, filios filiaſque infantes comeſturi ſunt obſeſſi. Præterea graviſſimas & multifarias memorat plagas, in ipſos & eorum ſemen infligendas: diminuto maximè per varios caſus eorum numero. Adhæc diſperſos in omnes regiones coactum aut impulſum iri

ad

ad colendos Deos novos, ſibi & Patribus ſuis ignotos. Denique vitam iis fore omnimodò irrequietam, dubiam & pendulam.

Diximus antea mala quidem perplurima tuliſſe Judæos ante tempora Chriſti, hæc autem quæ noviſſimè recenſuimus, ſuis inſignita notis, non completa fuerunt, ut mihi videtur, ante excidium Hieroſolymitanum, & quæ exinde ſecuta ſunt triſtiſſima Judæis tempora: primùm per Romanos, cædibus, devaſtationibus & extremâ barbarie in eos ſævientes. Deinde per Chriſtianos: animis exaſperatos quidem meritò, propter cædem Meſſiæ, & repetitas calumnias & crimina: ſed nonnunquam non tam pietatis quàm lucri causâ in bona & corpora eorum graſſantes. Triſtem hiſtoriam rerum Judaicarum à temporibus Chriſti conſcripsêre plures Authores, tam Judæi quàm Chriſtiani: Quos diligentiùs conſulere operæ pretium erit iis, qui pleniùs hæc ſcire cupiunt & per ſingula ſæcula. Ut hæc mala ſuperâſſe videant calamitates omnes Judæorum præcedentes tempora Chriſti, & propiùs acceſſiſſe ad *Moſaicas* recognoſcant.

Non facilè mihi perſuaſeris has calamitates omiſſas eſſe à Prophetis, qui prædixere multo minores. Nec tacuere extremum Judæorum fatum, quod ſupereſt adhuc in bello *Gog* & *Magog*, ultimâ hodierni mundi tragœdiâ, experiundum. De hoc bello, ſtatuque ſecuturo ſententiam noſtram ſuperiùs

riùs expoſuimus, ad *Ezek. cap.* xxxviii. & xxxix. & *Joël cap.* iii. Id tantùm repetendum hoc loco, poſt hoc bellum partamque victoriam, promiſſam iis fœlicitatem adepturos eſſe Judæos. (*Ezek.* xxxix. 23. ad finem capitis; *Joël* iii. 18, *&c. Zeph.* iii. 8. & *Zechar.* xiv.) Ac proinde utrumque referendum eſſe ad tempora futura, quùm nondùm evenerit alterutrum.

Hactenus Prophetarum Oracula, ſeparatim priùs expoſita, ad claſſes ſive locos congeneres reduximus. Ut ex utroque conſpectu, velut à diverſis ſtationibus, judicium fiat certius de concluſione generali: Nempe, *Judæis adhuc futuram eſſe Reſtitutionem.* Si vertamus oculos aliunde ad res humanas & hodiernum Judæorum ſtatum, erit quaſi tertius conſpectus, & ex omnibus collatis viſio fiet clarior & evidentior. Fatendum eſt, à Prophetiis præmiſſis diſcrepare quàm maximè hodiernam Judæorum conditionem: Ita tamen diſcrepant, ut mutationem aliquam futuram innuere & ſignificare videantur.

Conservavit Deus, ab antiquiſſimis ſæculis, hanc Gentem, hunc populum, ſpeciali providentiâ: Sæpiùs ab incurſionibus hoſtium, ſæpius è ſervitute eripuit, interpoſitis miraculis & omnipotenti brachio. Corripuit Reges eorum gratiâ, mutavit Imperia maxima, (*Iſa.* xlv. 4.) Et in quatuor Monarchiis celebribus eorundem fata ubique

que reſpexiſſe videtur. Illarum rerum hiſtoria celebratur à *Moſe* in Pſalmis, & apud Prophetas. Præterea, declaravit Deus ab initio, & repetivit identidem per Prophetas, hunc populum eſſe ſelectum ex omnibus Tribubus terræ: populum peculiarem, deſponſatum ſibi, charumque & conjunctum per omnia vincula paterni aut maritalis affectûs. Denique, promiſit iterum iterumque Amorem ſuum fore perpetuum & indelebilem.

Et quid tandem, obſecro, fiet ab hoc populo? Ideóne ſibi ſelegit & aſtrinxit Deus amicitiâ arctiſſimâ, ut in fine prorſus abjiceret? Et deridendum daret & conculcandum ab omnibus gentibus terræ? Ita ſe habet res Judæorum hodiè, & duravit eadem per multa ſæcula. At nullane reſtat ſpes Iſraëli? nihil ſolatii miſeris? nulla reſtaurationis expectatio? Hoc utique (reverenter dicimus) ad ſapientiam, bonitatem & fidelitatem divinam minus congruere videretur. Locus eſt ſemper in hâc vitâ pœnitentiæ, & miſericordiæ: quùm bonitas Dei ſit indefatigabilis & fides inconcuſſa.

Utut ſunt miſeri Judæi, Legem ſibi datam, quoad fieri poteſt, conſervant. Manentque hodiè, atque ita manſerunt diù, in ſorte ſuſpensâ, laxi & ſolutiles: ac ſi abeundum eſſet aliquando, collectis ſarcinis. Nullibi affixi ſunt ſolo, nec radices agunt

agunt, aut fundos ſibi habent proprios, ſed omnia ſua ſecum portant. Eo magis ſunt expediti, & quaſi in digitos erecti, ad avolandum & repetendam (cum dabitur occaſio) antiquam patriam. In nullum regnum, rempublicam aut civitatem ita ſunt inſcripti & incorporati, ut non integrum iis ſit novas ſedes quærere. Præterea ſuam inter omnes gentes diſtinctionem retinent, religionem ſibi propriam, connubia propria, & fœderis antiqui notam, ne cum alienigenis confundantur. Denique omni modo ſtant in procinctu, ut, ſi forte receptui canatur, veluti milites ad caſtra, in ſuam patriam, dato ſigno, remeare ſint parati.

SECTIO IV.

HUCUSQUE egimus quodammodò cauſam Judæorum, ſed illæſis Chriſtianis. Non enim eo animo, procul abſit, quicquam diximus, ut nobis ipſis eriperetur præmium: ſed ut antiquo Dei populo ſuas non invideremus partes, qualeſcunque demùm fuerint. Reſtauratum iri Judæos credimus, repetitis Prophetarum oraculis in eam ſpem fidemque adducti. Sed qualis illa futura ſit reſtauratio ſi ad circumſtantias deſcendatur, fateor me neſcire: aut quo modo ſit peragunda. Hæc nos celâſſe videtur

videtur Deus hactenus, magnâ ex parte. Sed illuſtrem fore, nec abſque miraculis aut miniſterio extraordinario introducendam, ex iiſdem Vaticiniis addiſcimus. Denique quod ſpectat ad *Tempus*, plenam eorum redemptionem, non niſi in ſecundo Meſſiæ adventu, mundoque renovato expectandam eſſe cenſemus. Quod ſuperiùs, opinor, ſatis probatum eſt ad mentem Prophetarum. His opportunè præmonitis, non tenemur ad abſolvendas quæſtiones omnes quæ meditantibus de hâc materiâ occurrere poſſint. At ſiqui ſunt, ut ſunt opinor plures, qui *Concluſionem Generalem*, & quaſcunque è Prophetis adduximus probationes, rejiciunt: Eorum expendendæ ſunt rationes aut objectiones.

Imprimis dicunt nonnulli, nihil certi & definiti erui poſſe è Prophetiis ante Eventum: propter lubricum *ſtyli Prophetici*, voceſque ambiguas, in hanc aut illam partem flexiles pro Lectoris affectu & præconceptis opinionibus. Rarò utuntur Prophetæ ſimplici rectoque loquendi genere, ſed figurato ſermone & plerumque Allegorico ſua effata ita involvunt, ut ampliſſima ſit quidem conjectandi copia, certò intelligendi nulla. Neque tantùm hæremus, inquiunt, in verborum ſignificatione certâ, ſed etiam Rerum, Perſonarum, Locorum, Temporumque. In his omnibus exponendis oriuntur dubia. Quoad res ipſas, ab unâ materiâ

in

in aliam tranſeunt Prophetæ abruptè & indiſtinctè. Nonnulla referuntur ad Typum, alia ad Antitypum, & viciſſim: nec ſatis diſtinguitur, quæ ad alterutrum pertineant. De perſonis, loquentibus & reſpondentibus non minor eſt ambiguitas. Deus, Propheta, Populus interloquuntur: Amici & Inimici interveniunt: nec facile eſt cuique ſuas aſſignare vices. Dein, *Loca* & regiones ſua mutarunt nomina, & penitùs perierunt antiqui Incolæ: permiſti & confuſi cum aliis gentibus. Denique de *Temporibus* hæret uſque controverſia, quæ ad præterita, hodierna, futura, referenda ſint Vaticinia. Narrationibus præpoſteris, & inordinatis ratione temporis, Quid frequentius apud Prophetas? His omnibus expenſis, nihil certi & perſpicui præfiniri poſſe aiunt ex his ſcriptis, donec Eventus Prophetiam comprobaverit. Plurima loca Prophetarum ſenſum tantùm conjecturalem admittunt, pauca ſecurum & demonſtrativum.

Recte quidem nos monent, ut modeſti ſimus & moderati in Prophetiis interpretandis, quùm tot & tanta ſint dubia & obſtacula, quo minus ad certum & indubitatum earum ſenſum perveniamus. Sed quid fiet interim? nulluſne uſus eſt Prophetiarum ante Eventum? Interpretes illos qui ad minutias temporum rerumque deſcendunt, facilè falſum iri fateor: ſed ut hoc

hoc periculum præcaveremus, Primò, Generalibus inſiſtendum eſſe duximus. Dein, non uni loco Prophetarum, ſed pluribus & accumulatis. Denique, Prophetas Veteris & Novi Teſtamenti contulimus, ut ex eorum conſenſu res fieret indubitatior. Liceat illud adjicere, nos à ſenſu literali nullibi receſſiſſe, quoties eum pateretur materiæ ſubjectæ qualitas. Quæ tandem ſunt, obſecro, tutiores interpretandi regulæ? Nec mihi perſuadere poſſum, in hujuſmodi locis & ſub his legibus, Prophetarum ſenſus eſſe prorſus incertos & inexplicabiles. Eventus exituſque rerum Prophetias quidem explicant lucidiùs & per omnes partes: ſed earundem rerum ſumma capita voluit ſæpe Deus ut innoteſcerent velut ante partum, quo erectiores eſſemus in ſpem futurorum bonorum, & ad evitandum mala impendentia cautiores. Utroque modo, mundum regi Providentiâ, nec caſu ferri aut fortuitò res humanas, clariùs & maturiùs conſtaret.

Prophetiæ inſtituuntur de bonis aut malis futuris: at niſi credantur (ideoque intelligantur aliquatenus & ſummatim) in progreſſu rerum ante eventum, magnâ ex parte redduntur inutiles. Voluit certè *Jeremias* ut intelligerent Iſraëlitæ ſuam Prophetiam de Captivitate Babylonicâ ante eandem incœptam: Atque ſuam *Daniel*, reliquique Prophetæ, de Meſſiâ venturo, antequam

quam venerit. Antichriſtum naſciturum, & perditum iri tandem, prædixerunt Apoſtoli: & de Reſurrectione mortuorum Judicioque futuris nos itidem præmonuerunt. His omnibus adhibenda eſt fides ante eventum: Fidem autem oportet præcedat aliqua cognitio, aliquod fundamentum; nec à naturæ lumine quocunque, ſed ab oraculis ſacris hæc unicè ſunt addiſcenda.

Ut claudamus hunc articulum, Libenter concedimus è Prophetiis alias aliis eſſe obſcuriores; Tantoque magis obſcuras & difficiles explicatu, quanto magis rerum temporumque particulas definire aggredimur. Præterea, Quod ſemel aut raro, aut ab unico tantùm Prophetâ dictum eſt, Illius quæ ſit mens Vaticinii non tam facile eſt extra dubium ponere. Quod verò ſignificatum eſt à pluribus Prophetis, & ab eodem Prophetâ pluries, in eorum ſenſu diſcernendo minus eſt dubii. Præſtant lucem alii aliis, & ex plurium teſtium conſenſu confirmatur cauſæ veritas. Concluſio Generalis quam præmiſimus, hæc eſt, *Tandem reſtauratum iri Judæos*; Atque hanc concluſionem oſtendimus à plurimis Prophetis ſæpius prædictam: eâque ratione mihi non eſſe incertam, nec inter ἀνενητὰ numerandam.

Secundo objiciunt reſpondentve, Quæ bona futura Judæis, prædicta ſunt à Prophetis *ad literam*, reverà ſunt *Allegorica*, &

& ad Eccleſiam Chriſtianam transferenda. Reſpondeo, Eccleſiæ Chriſtianæ nihil boni, fauſti & fœlicis, invidemus aut detrahimus, non excluſis aliis cùm eundem Meſſiam agnoverint. Gaudeamus privilegiis noſtris Chriſtiani, & expansâ Dei gratiâ: ſed haud æquum eſſe videtur, ut quæcunque *Bona* promiſſa ſunt à Prophetis, ea nobis arripiamus, quæcunque autem *Mala* prædicta, ea attribuamus Judæis. Quod nimis uſu venit apud Interpretes. Sed quo jure excluduntur Judæi à participandis nobiſcum promiſſis, quæ recepimus ex ore Prophetarum, qui erant Judæi, & Judæos alloquebantur? Eorum imprimis res curare Prophetis incubuit, Eoſque de malis & bonis obventuris præmonere. Sæpe etiam ipſa verba & dictiones materiam ſpecialem indigitant, cum nominatim de populo *Iſraëlitico*, de *terrâ Canaan*, terrâ nativâ & hæreditariâ, de *Jeruſalem*, de *decem Tribubus*, de domo *Davidis*, aliiſque cognatis fit mentio. Hæc non ſunt aliunde trahenda, contra vim verborum, abſque authoritate debitâ. Fas eſt nonnunquam decetque transferre verba à ſenſu communi ad myſticum: quoties nimirùm vim inferrent rerum naturæ in ſignificatu literali accepta. Hoc autem temerè fieri non debet ad arbitrium Interpretis, πρὸς τὸ δουλεύειν ὑποθέσει, ut loqui ſolent, ut cauſæ propriæ faveamus, nullâ aliàs cogente ratione.

Præter veterum Prophetarum oracula Judæis data, quæ reſtaurationem eorum reſpiciunt: nobis quæ data ſunt in novo fœdere, adeò non contradicunt ut iiſdem prorſus concinere & conſentire videantur. Chriſto promittitur ſolium *Davidis*, annunciante Angelo, *Luc.* i. 32. Atque idem dictum fuit jam olim ab *Iſa.* ix. 7. Dein ab aliis Prophetis reſtauratio Judæorum annectitur ad regnum *Davidis*, hoc eſt, Meſſiæ. Loca dedimus antea, *Jer.* xxx. 9. & xxxiii. 15, 16. *Ezek.* xxxiv. 22, 24, 25, *&c.* *Hoſ.* iii. 5. His notatis audiamus verba *Gabrielis* ad B. *Mariam* jam concepturam. *Dabit ei*, nempe Chriſto, *Dominus Deus ſolium Davidis, Patris ipſius: Regnabitque in domo Jacobi in ſæcula.* Hæc verba, *ſolium Davidis*, & imperium in *domum Jacobi*, populum Iſraëliticum apertiſſimè deſignant, atque regnum externum denotant, Sed qualecunque intellexeris, temporale aut ſpirituale, nondum utrovis modo regnavit in Judæos Chriſtus. Sunt hodiè & fuerunt diutiùs abſque Rege aut Principe, ut prædixit *Hoſeas*. Et quoad regnum ſpirituale, perſtant adhuc rebelles, multò maximam partem, in Regem Chriſtum, & alieni à fide Chriſtiana; proinde utramcunque interpretationem acceperis, nondum quadrat eventus ad nuncium Angeli.

Vid. 1 Reg. 8. 25. 2 Chron. vi. 16. Pſa. cxxxii. 11, 12.

Cap. iii. 4.

Ad-

Adjiciamus hic Canticum *Simeonis*, cùm Jeſum Infantem ulnis amplexus, exclamavit, *Parâſti lumen gentibus, & gloriam populi tui Iſraëlis.* Luc.ii. 32. Cùm dicitur Chriſtus natus in *gloriam Iſraëlis*, durum eſſet & perverſum dicere, eum natum eſſe in perpetuam ruinam Iſraëlis. *Perpetuam* dico, ſi nullum ſit futurum tempus in quo ad gloriam Iſraëlis venturus ſit & regnaturus. Revoca, ſi placet, in memoriam, Quæ & quanta dicta ſint priùs à Prophetis de gloriâ Iſraëlis in temporibus Meſſiæ futurâ. Et quandoquidem de *Davide* mentio jam facta fuerit, ipſius Pſalmos aliquos inſpiciamus. Nonnulla dicuntur typicè de *Davide*, quæ complentur ultimò in Meſſiâ: & ubi de Meſſiâ agitur, & ipſius tempora celebrantur, denunciatur ira in Gentes, in Iſraëlem ſalus & triumphus. *Pſal.* ii. 6, *&c.* *Pſal.* xlvii, & xlviii, & cxlix. adde *Pſal.* lxxxv. 9, *&c.* ubi fœlicitas Iſraëlis, temporalis & ſpiritualis, deſcribitur. Nondum advenerunt ad Judæos hæc læta tempora: ſed quid prohibet tandem eſſe adventura? ſecundum promiſſa Dei, Prophetarum & ſancti Angeli.

Tertio objicitur, ſive ad propoſita reſpondetur, Hæc promiſſa Judæis data, erant *Conditionalia*, & conditione non impletâ promiſſio non obligat ſponſorem. At, inquam ego, ſi unà ſpoſponderit, ſe gratuitò remiſſurum eſſe conditiones, aut efficere ut

præſtarentur, utrovis modo valeret uſque promiſſum. Conditiones requiſitæ ſunt pœnitentia & converſio ad Deum: hanc gratiam ſe daturum promiſit Deus; populuſque erit promptus, paratus & voluntarius
Pſal. cx. 3. in *die virtutis* divinæ. Dein, Cum dicunt Prophetæ reſtauratum iri Judæos, unà dicunt remiſſum iri eorum peccata, *Jer.* xxxi. 34. & xxxiii. 7, 8. *Mic.* vii. 18, 19, 20. *Hoſ.* xiv. 4. Quandoque Deus ex merâ gratiâ ſuoque beneplacito favorem indulget prorſus immerentibus: Ita Judæis primùm dein Gentibus. Judæiſque in filios aſſumptis peccata remittit ex paterno affectu, & pacti ſui recordatione: ut apud Prophetas dicitur ſæpiùs. Atque hujus gratiæ particeps S. *Paulus*, cum adhuc infeſtus eſſet Chriſtianis & perſecutor vehemens, futuram ſalutem Iſraëlis prædicat, memor promiſſi, fœderiſque haud pœnitendi, cum Patribus initi, *Rom.* xi. 26, 27, 28, 29. Denique Chriſtus moribundus interceſſit pro Judæis, preceſque fudit ad Patrem ut remitterentur iis peccata: *preces*, opinor, haud inutiles aut inefficaces.

Sed ut rem totam expediamus: Quicquid nefandi perpetraverint Judæi in Jeſum *Nazarenum*, recognoſcent cum angore animi, ubi viderint *Filium hominis venientem in nubibus cœli*, (*Dan.* vii. 13. & ex eo, Author 2 *Maccab.* ii. 7, 8.) Tum plangent ſuper Eum, *Benedictum* dicent, & pro *Meſſiâ* agnoſcent. *Mat.* xxiii. 39.

&

& xxiv. 30. *Joh.* xix. 37. *Apoc.* i. 7. In eumque finem Deus effundet *Spiritum gratiæ* & *ſupplicationis* in domum *Davidis*, Zech. xii. 10. atque dona Spiritûs ſancti, *Iſa.* xxxii. 15. & xliv. 3. & liv. 13. *Joël* ii. 28. Novum etiam cor & circumciſum, novumque Spiritum indet eis, *Jer.* xxxii. 40. *Ezek.* xi. 19, 20. & xxxvi. 26, 27. Ecquid prætereà deſideratur? Supereſtne ullus locus tergiverſationi? Finem, media, conditiones, præſtita curabit Deus.

Monendi ſumus prætereà, haud opportunum eſſe Chriſtianis iſti reſponſo de *conditionibus* promiſſorum nimiùm inhærere: ne locus fiat ſimili reſponſo Judæorum, de tempore adventûs Meſſiæ diſputantium. Aiunt enim illi, citiùs quidem adventurum fuiſſe Meſſiam, niſi impediiſſent eorum peccata. At promiſſum fuiſſe conditionale: quod cùm ex parte eorum nondum fuerit expletum, ideò nec ex parte Dei. Prætereà dicunt, ſi Deus poteſt, illæſa veracitate, ſua exuere promiſſa Judæis data, Quidni Chriſtianis etiam data? Eorumque, ſive de ſecundo adventu Meſſiæ, ſive de conſervatione novæ ſuæ Legis & Eccleſiæ, ſpem & expectationem eludere. Quandoquidem non minus abuſi ſint ſuâ religione Chriſtiani, quàm olim ſuâ Judæi.

Hactenus id egimus, ut remoras illas aut reſponſiones amoveremus, quibus vim Vaticiniorum quæ fœlicem ſortem Iſraëlis reſpiciunt, effugere conantur nonnulli. In

iſtoc numero ii ſunt præcipui aut pars maxima, qui dicuntur *Allegoriſtæ*: nempe qui reſolvunt in Allegorias Prophetias illas quæ ſecundum Literam & Verborum ſignificatum ad populum Judaicum terminantur, aut pro rata portione competunt. Conceſſimus antea, & uſque concedendum eſt, Stylum Propheticum eſſe multis in locis allegoricum, aliiſque per hyperbolas, metaphoras, parabolaſque figuratum. Sed cavendum nè prorſus in allegorias evaneſcant Prophetiæ, nimiâ interpretandi licentiâ. Cum apud *Iſaiam*, alioſque plures Prophetas, præclarus rerum ordo temporibus Meſſiæ futurus deſcribitur, in illâ deſcriptione ſi forſan occurrant nonnullæ locutiones figuratæ, non ideò rejicienda eſt res ipſa aut ſumma rei. Denotant ſaltem dictiones illæ Propheticæ tempora fœlicia inde futura, vitamque beatam in genere; miram putà rerum copiam, valetudinem firmam, naturam externam mitem & innocuam: Pacem denique, ſtatumque incolumem & ſecurum. Hæc niſi conceſſeris, & hunc ſenſum generalem ſubeſſe verbis propheticis, prophetia illa tranſit in *Fabulam auream*.

At dices forſan, Regnum quidem Meſſiæ ſecundum Prophetas fore *Pacificum*, vitamque ſubditorum ipſius placidam & lætam, ſerenam & inturbidam: Quod verò his bonis non fruamur hodie, id fieri culpâ noſtrâ, eò quod Ipſius præcepta non ſequamur & doctrinam Evangelicam. Rectè quidem

quidem mones, nos parùm obſequi præceptis Evangelii, ſed *conditiones* adjicis Prophetiis quæ abſolutè & ſimpliciter enunciantur: & quàm incongruum incommodumque ſit, tuopte ingenio conditiones tacitas imponere Prophetiis, oſtenſum fuit antea. Sufficit Deo ſua potentia, ſimul & ſua bonitas, ut data præſtet promiſſa, & quæcunque ſunt neceſſaria ad ea præſtanda. Præterea, utcunque hæc ſint ex parte noſtrâ, heu nimiùm culpanda: Non patitur natura hodierna (quæ penes Deum eſt) cœli inclementia, infœcunditas ſoli, & corporum noſtrorum infirmitas, ut promiſsâ rerum ubertate, vitâ facili & longævâ potiamur. Adeò ut hinc & illinc promiſſa nondum ſint impleta. Sed pergamus.

In hoc argumento de *Reſtauratione Judæorum*, duplici modo, ut vides, diminuunt & mutilant promiſſa Dei Interpretes illi. Quæ ſpectant ad Judæos ſecundum vim verborum, transferunt & unicè accommodant ad Chriſtianos. Dein, excluſis temporalibus, quæ memorant Prophetæ unà cum ſpiritualibus, reſtringunt hæc penitus ad *ſpiritualia* & *cœleſtia*. Utroque modo ad Allegorias confugiunt. Cum Judæos excipiunt & excludunt, id agere videntur invitis Prophetarum verbis, rebuſque & temporibus deſignatis: ac etiam locorum & populorum nominibus, ut ſupra diximus. Deinde, cum bona temporalia omittunt,

aut tranſmutant in cœleſtia, alteram partem promiſſorum abjiciunt, de his enim ac illis perinde fit mentio à Prophetis. Ut ex neutrâ parte deficiant promiſſa Prophetarum, futurus eſt (ſic mihi videtur) inſigniori modo quàm hactenùs, *Rex Judæorum* Chriſtus. Certè hunc titulum nunquam reſpuit, atque idem titulus, dum penderet in cruce, non ſine Numine divino,
Mat. xxvii. 37, 41. affixus fuit moribundo. Ut & mortuo, à primariis ſacerdotibus ſcribiſque per exprobrationem commemoratus. Adhæc quoties Eum pro Rege Judæorum aut Iſraëlis agnoverint, ſive Gentes, (*Mat.* ii. 2.) ſive populus Judaicus, *Mar.* xi. 10. *Joh.* xii. 13. & i. 49. non abnuit, non redarguit quempiam eâ de re Chriſtus. Præterea, Diſcipulos eum proclamantes Regem adeò non repreſſit, ut dixerit, Idem exclamaturos fuiſſe lapides ſi tacuiſſent Illi, *Luc.* xix. 38. Denique, Chriſtus ipſe interrogatus à Pilato, *Eſſetne Rex Judæorum*, non abnegavit, quin aſſeruit ſibi titulum illum, quatenus Meſſias: famamque de eo receptam confirmavit.

Quæso te, dic nobis, Quo ſenſu, Literali an Allegorico, dixerit Pilato Chriſtus ſe eſſe *Regem Judæorum*. Quæſtio propoſita fuit ſenſu literali, reſponditne Chriſtus æquivocè? Nequaquam, ſed quo ſenſu ſe dixit eſſe Meſſiam, eodem ſe dixit eſſe Regem Judæorum: nempe ſecundum Prophe-

Prophetarum oracula, ubi hæc duo conjunguntur. Sed de temporibus ſui regni & diſcrimine ineuntis & glorioſi, errârunt Judæi: & in eundem errorem inciderant Apoſtoli, *Act.* i. 6.

Hac de re conſulamus prætereà colloquium *Jeſu* & *Pilati* prout narratur pleniùs à S. *Joanne*, *cap.* xviii. Cum deſcendiſſet ſecundò in Prætorium *Pilatus*, interrogabat Jeſum, *Tu ne es Rex Judæorum?* Jeſus verò, ante datum reſponſum, quæſivit à *Pilato*, unde illud habuerit, a ſeipſo an ab aliis. *Tua gens*, inquit Pilatus, *& primarii ſacerdotes tradiderunt Te mihi. Quid feciſti?* Reſpondit Jeſus, *Regnum meum non eſt ex hoc mundo; Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, mei miniſtri certâſſent ne traderer Judæis. Nunc autem Regnum meum non eſt hinc.* Subjecit inde Pilatus, *Ergo Rex es Tu?* Reſpondit Jeſus, *Tu dicis me Regem eſſe. Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut dem teſtimonium veritati:* ſive, ut quod verum eſt, teſtarer. Quam autem veritatem hic teſtatur, ſi non præmemoratam illam, Quod fuerit Rex Judæorum? Atque hoc eſt illud ipſum teſtimonium quod reſpicit S. *Paulus*, cùm *Timotheum* hortatur ut Martyrium non refugiat, aut metu mortis profeſſionem ſuam deſerat, citans exemplum Chriſti, qui profeſſus eſt ſe eſſe Regem Judæorum, etiamſi id fuerit cum vitæ periculo. Sed,

Tim. i. 13.

Sed, ut vides, ſuæ aſſertioni temperamentum aliquod adhibuit Jeſus: nempe ſe nondum potiri *de facto*, ſuo Regno & majeſtate Regia: aliter inquit, me defendiſſent mei miniſtri, mei ſatellites. *Nunc* autem meum regnum non eſt hinc. Ac ſi dixiſſet Jeſus, *Nunc temporis* (eſt enim particula temporis *Nunc*) regnum mihi à Deo promiſſum, vendico quidem ſed non exerceo: non hodiè, non ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ut nihil Romanis metuendum ſit à meo imperio. Ita voces illæ *non ex hoc mundo*, & *nunc*, non qualitatem regni Chriſti, ſed tempus ejuſdem exercendi, nempe more regio, denotare mihi videntur. Vide parabolam Chriſti, *Luc*. xix. 12, &c.

Unctus fuerat in Regem Chriſtus, ſed non tam *facto* quàm *jure* ſe Regem adhuc exhibuerat, plenum dominium poſtea accepturus, ut *David* ipſius Typus, 1 *Sam.* xvi. 12. Secundum oracula Prophetarum Idem futurus erat Rex Judæorum & Meſſiah; Atque ita apud *Matthæum*, (*cap.* ii. 6.) exponitur Vaticinium *Michaæ*: *Ex Te*, loquitur de Bethleemo, *exibit Dominator, qui reget populum meum Iſraëlem.* Si de *Spirituali* regno hoc intellexeris, non minus ad Gentes quàm Iſraëlem illud pertinet; Quin & nondum regnavit Chriſtus in Judæos, ſive literaliter, ſive ſpiritualiter. Perſtant adhuc rebelles, ut anteà diximus, in Chriſtum Regem, & à fide Chriſtianâ

penitus

penitus alieni: Excuſſo Chriſti utroque Jugo.

Quanquam hæc, ſive ſpiritualia, ſive temporalia, non impleta hactenùs viderimus, ſaltem quoad Judæos, non ideò mirabimur: multo minus deſperabimus de fide promiſſorum. Singulis Dei promiſſis implendis præſcriptum eſt ſuum tempus, necdum venit his promiſſis præſtitutum tempus. Nondum *introivit plenitudo Gentium*, ut loquitur Apoſtolus, *Rom.* xi. 25. monuitque Chriſtus, *conculcatum iri Hieroſolyma uſque dum completa fuerint tempora Gentium.* Illis expletis, auferetur *velamen quod obductum eſt cordibus Iſraëlitarum*, atque ea *cæcitas* quæ evenit Iſraëli. Et exinde regnaturus eſt Chriſtus, tam literaliter quàm ſpiritualiter in Domum *Jacobi:* ſecundum repetita utriuſque fœderis oracula. 2 Cor. iii. 15, 16. Rom. xi. 25.

Regnum externum & temporale, ut vides, non excipimus. Cùm à Chriſto quærebant Apoſtoli poſt ipſius reſurrectionem, num illo *tempore reſtauraturus eſſet regnum Iſraëli*, *Act.* i. 6. Regnum temporale intelligebant. Et quid iis reſpondit Chriſtus? *Eos errare, non ſcientes Scripturas?* Nullum ei promiſſum eſſe regnum in Iſraëlem. Illo quidem reſponſo nihil fuiſſet opportunius, ſi ſenſiſſet Chriſtus penitùs erràſſe Apoſtolos, & toto, ut aiunt, cœlo. Sed nihil iſtiuſmòdi reſpondit, neque correxit aut ſubindicavit ullum errorem in Diſcipulis quoad rem ipſam, ſed tantùm quoad rationes

nes temporum: in inquirendo tempore eorum repreſſit curioſitatem. *Non eſt*, inquit, *veſtrûm noſſe tempora, & opportunitates: quas Pater poſuit in ſuâ poteſtate.* Neque aliter eos corripuit, inſtruxit aut informavit.

Mat. xx. Pariter cum *Zebedæi* filii primas petebant ſedes in regno Chriſti, de regno externo & temporali locuti ſunt, nec tale regnum ei futurum negavit Chriſtus, aut Zebedæorum fidem culpavit aut redarguit eatenùs, ſed Patri diſponendas reliquit ſedes & dignitates illas. Ab his locis & exemplis diſcimus, Chriſtum, oblatis occaſionibus, nunquam abnegâſſe regnum temporale ſibi futurum, nunquam abdicâſſe jus illud & titulum, nec Prophetarum Vaticinia de ſuo regno ad merum *Spirituale* tranſtuliſſe. Nullus hic locus metaphoris, non magis negavit Chriſtus ſe eſſe Regem Judæorum, quàm ſe eſſe Deum. Si dixiſſet Angelus ad B. *Virginem*, ſanctum *Jeſum* concepturam, Deus dabit Illi Solium Davidis *ſpiritualiter* acceptum: & regnabit in domo *Jacobi ſpiritualiter:* Fuiſſet utique locus aliquis reſtringendis antiquis Prophetiis. Quùm verò de utroque regno, utraque gloriâ, ſpirituali & temporali, locuti ſint Prophetæ: nec ulla facta ſit deinceps reſtrictio aut nova interpretatio, ſive verbis Angeli, regiam Chriſti naſcituri dignitatem prædicantis: ſive per verba Chriſti, cum de ſuo regno (publice aut privatim) ageretur: nec denique

denique ab aliâ quâcunque authoritate ſacrâ: Hæc, inquam, quum ita ſe habeant, quo minus utroque ſenſu præmemorato Chriſtus ſit futurus Rex glorioſus, nihil video quod impediat; Quid dico, *Impediat?* quùm id ſuadeant, probent, convincant, ex omni parte omnia. Nec ullum ſit promiſſum in veteri Fœdere (Illud ſaltem ſi excipias de Meſſiâ venturo) ſæpius Illo repetitum, *De conſervandis tandemque reſtituendis Judæis.*

His ità dictis & expoſitis, Quærendum reſtat, Quo jure, quâve authoritate, Regnum Meſſiæ promiſſum apud Prophetas transferant Interpretes nonnulli ad regnum nudè *ſpirituale.* Non id dixere Prophetæ, aut Chriſtus, Angelus, Apoſtolive, quantum hactenùs vidimus. Quo ſacro Interprete, quæſumus: Quibus interpretandi regulis nituntur? Recepta eſt Regula apud Interpretes, tam Chriſtianos quàm Judæos, *non recedendum* eſſe à Literâ, quoties nihil habet abſurdi, aut naturæ rerum contrarii. De hâc regula inter Interpretes Chriſtianos nullum eſt, opinor, dubium: & eandem interpretandi regulam ſibi conſtituerunt Judæi.* Hanc

* Menaſ. Ben. Iſr. de Reſurr. *Sciendum eſt ſcripturam ſemper ſecundum Literam intelligendam & explicandam eſſe, niſi explicatio contineat aliquid quòd implicat contradictionem.* Idem. de Term. Vit. Præfat. *Credunt Judæi Literæ, quoties nihil ſonat abſurdi. Sed Allegorias admittunt, ubi in proprietate verborum ſenſus fuerit rectæ rationi adverſus.*

Hanc proinde obſervandam duximus in exponendis ſcriptis tam veteris quàm Novi Teſtamenti. Unius aut alterius loci aut locutionis, ſi per allegorias vim diluere ſtudeas, non ægrè feremus: At fundamenta tollis, ſi nihil eximii & ſingularis, reſpectu habito ad Judæos, in illis promiſſis contineri aſſeras. Iſtiuſmodi interpretatione non tantùm hanc aut illam Prophetiam aut dictionem in alienum detorques ſenſum, ſed eniti videris contra totum flumen librorum Propheticorum. Allegoriis & expoſitionibus figuratis nonnunquam locum eſſe concedimus, cùm id nos moneat jubeatque argumenti ſubſtrati neceſſitas. Sed periculoſum mihi videtur, Prophetias inſignes & ſæpius repetitas (nullâ cogente neceſſitate) in allegorias decoquere, ne tandem in fumos & vapores abeant.

Cum Deus Cœlum vitamque cœleſtem promittit piis, cum *coronis & voluptatum fluminibus*: & ex alterâ parte interminatur improbis *vermem nunquam moriturum*: Libenter concedimus in his locis interpretandis nonnihil recedendum eſſe à Literâ: Ita tamen ut ſemper retinenda ſit ſumma rei: in illis nimirum ſupremam fœlicitatem, in his extremam miſeriam denotari. In ipſis Allegoriis, parabolis, hyperbolis, aliiſque dictis figuratis, ſunt quædam, ut ita dicam, *Stamina*, quæ non ſunt violanda. Promiſſa de Meſſiâ venturo & regnaturo, data erant Patribus populoque Iſraëlitico in conſo-

conſolationem, gaudium & exultationem,
& eorum ſemini in perpetuum. Per hanc
autem methodum interpretandi Prophetias,
ſpem omnem abſcindis Iſraëli, ramos & ra-
dices: ac ſi conſilia Dei non eſſent ἀμεταμήλιτα,
nec ipſius juramenta ἀμετάθετα. Hactenùs
enim mala maxima, parùm boni præ cæteris,
Judæis acceſſiſſe vidimus ab adventu Meſ-
ſiæ. Et niſi poſtliminio recipiant Terram
toties promiſſam, ab hæreditate paternâ, cæ-
teriſque bonis in Tabulis ſacris iterum ite-
rumque conſignatis, penitus exciderunt.
Aliud prorſus expectâſſe videtur B. *Maria:*
ſe nempe parituram eſſe Adjutorem & be-
nefactorem Iſraëlis, cùm divinitùs mota ce-
cinit, Jeſum in utero geſtans, *Adjuvit De-* Luc. i.
us Iſraëlem ſervum ſuum, ut memor eſſet 54, 55.
miſericordiæ, prout locutus eſt Abrahamo,
& ſemini ejus in æternum. Dein, *Zacha-*
rias, ſpiritu ſancto repletus, cum de Jeſu
naſcituro prophetaret, hæc dixit, *Benedic-* Luc. i.
tus ſit Dominus, Deus Iſraëlis, quòd invi- 68, &c.
ſerit & redemerit populum ſuum. Et
erexerit cornu ſalutis nobis in domo Davi-
dis, ſervi ſui. Prout locutus eſt per os
ſanctorum, qui à ſæculo fuerunt, Prophe-
tarum ſuorum. Fore ut nos ſervaret ex
inimicis noſtris, & è manu omnium qui
oderunt nos. Ut uteretur miſericordiâ
erga Patres noſtros, ac memor eſſet fœde-
ris ſui ſancti; Et jurisjurandi quod jura-
vit Abrahamo patri noſtro, ſe daturum no-
bis, ut ſine metu, è manu inimicorum noſ-
trorum

trorum liberati, ſerviamus ipſi: cum ſanctitate & juſtitiâ in ipſius conſpectu, cunctis vitæ noſtræ diebus.

In hoc ſacro Cantico, ſolutæ linguæ & ſermonis reſtituti primitias Deo offert *Zacharias.* Laudat nomen ipſius ob Meſſiam quamprimùm naſciturum, geſtitque & exultat in contemplatione bonorum quæ exinde Iſraëli eſſent adventura. Salutem, pacem, & liberationem ab omnibus ſuis inimicis Iſraëli prænunciat. Allegatque in teſtes ab antiquiſſimis ſæculis Patres & Prophetas. Nec temerè quidem, *Abrahamum*, *Iſaacum*, *Jacobum*, *Moſem*, *Davidem*, *Iſaiam*, cæteroſque Prophetas tam majores quàm minores, fidejuſſores habet: Complectitur hoc promiſſum omnium ſæculorum ſacram fidem, Tempora antiqua & recentiora, utriuſque fœderis oracula, ab *Abrahami* ætate ad *Chriſtum* naſciturum, natum, denatum & reſuſcitatum, in cœlos evectum, & demùm rediturum: In hâc ſerie conſpirant & conſentiunt omnia teſtimonia. Conſentiunt, inquam, in has concluſiones generales, *Deum nunquam deſerturum eſſe finaliter populum ſuum Iſraëliticum.* Secundò, *Nondum impleta eſſe promiſſa omnia Iſraëlitis data.* Denique, *Tandem fore Judæis fœlicitatem aliquam eximiam per & propter Meſſiam*, cum tempora refrigerationis advenerint. Quæ Deus feſtinet, in ſuam gloriam, per Eundem Jeſum Meſſiam.

FINIS.

AD

Virum Clariſſimum *A. B.*

Circa nuper editum de

ARCHÆOLOGIIS PHILOSOPHICIS

Libellum, AUTHORIS *Epiſtolæ Duæ*.

Ad Virum Clariſſimum A. B. *circa nuper editum de Archæologiis Philoſophicis Libellum,*

EPISTOLA PRIMA.

NON ingratum mihi facis, Vir optime & integerrime, quòd me velis monitum identidem, quas fortè Objectiones contra nuperum Tractatum de Archæologiis Philoſophicis, aut inter amicos aut inimicos, audiveris: Idque eo animo factum puto, ut falſò inſcriptas mihi ſententias, aut malevolas interpretationes, effugiam. Non omnes, probè nôſti, veritatem metiuntur aut æſtimant rationum pondere & momentis, ſed affectibus abrepti, aut præjudiciis occæcati, quaſi clauſis oculis, de rerum coloribus decernunt. Sæpe etiam, ad concitandam invidiam, Authoris verba ſenſuſque in alienas partes detorquent.

AIS te audiviſſe, à neſcio quibus, aut ſuſurronibus, aut malè fidis interpretibus, præfatum de rerum originibus tractatum, patrocinari aut favere Mundi *æternitati:* atque etiam Rerum creationi, *ex nihilo,* adverſari. Quorum utrumque iniquiſſimè dicitur. Neque multis opus eſt ut hoc tibi teſtatum faciam: audi paucis, ſi placet, authoris ſententiam, Libro Secundo: *De creatione rerum ex nihilo, dubitari non poteſt: neque id fuiſſe ab æterno. Creatura enim æterna à nobis concipi non queat.* Nullum Ens finitæ perfectionis, nedum Materia (Res omnium infima & abjectiſſima) in ſe involvit, aut in ſuâ Ideâ, neceſſariam exiſtentiam. Exiſtit igitur contingenter, modò exiſtat: & aliunde habet ſuam exiſtentiam quàm à ſeipſo. Et quoad Materiam (de quâ agitur præcipuè) cùm prima Materia fieri non potuerit ab aliquâ præexiſtenti: neque propriâ vi exiſtere: ſequitur neceſſariò eam fuiſſe creatam ſive productam ex nihilo.

Vid. lib. p. 312.

NEQUE impoſſibilis haberi debet hujuſmodi Creatio. Productio enim rei poſſibilis, non eſt impoſſibilis: Materia autem eſt res poſſibilis, licèt non neceſſaria: & nullo alio modo produci poteſt.

DEIN, quoad alteram partem, de rerum *æternitate*. Qui res mutabiles & ſucceſſivas fingunt eſſe æternas, non tantùm id gratis fingunt, ſed etiam in multiplices incidunt

cidunt repugnantias & abſurda, quibus ſeſe extricare, non eſt penes mentem humanam.

Hæc quoad mentem Authoris. Cæterùm in explicandis Antiquorum Dogmatis, in *Libro Primo*, oportebat ſequi veritatem Hiſtoricam: & quid quique ſenſerint de rerum ortu, ſive rectum, ſive ſecùs, bonâ fide exponere. Denique quoad Creationis Epocham, veteribus intactam & inexploratam, neque hanc auſus ſum ego fixis terminis definire. Ac proinde cùm *Creaturam æternam concipi non poſſe* affirmâſſem, ſubnectitur ſtatim, *Sed limites Sexmillennes*, Ibid. *Epocham breviuſculam, Creationi divinæ nunquam auſus ſum præſcribere. Id, cum multis aliis, inter arcana Dei libentiùs relinquo.*

Neque hâc in re, opinor, immodeſtiæ me redarguet quiſquam: cùm ſatìs notum ſit, ex antiquis Patribus, tam Græcis, quàm Latinis, ſtatuiſſe plures, Angelorum ordines univerſos, & Cœlorum nonnullos, ante hunc Mundum Sublunarem extitiſſe: idque per innumera ſecula & *æternitates*, ut verbo utar S. *Hieronymi*. Atque hanc *In* Tit.i.2. ſuam ſententiam, non tantùm ratione humanâ, ſed adductis ex Sacrâ Scripturâ locis & argumentis, confirmatam, Doctrinæ Catholicæ vim & pondus habere voluerunt. Tantum abeſt, ut huic opinioni minimam erroris labem, nedum noxii, inurendam ſenſerint.

Poſito autem hoc fundamento, tam Angelos quàm Cœlos, extitiſſe ante Orbem noſtrum: niſi ingentem hiatum fingere velis, quantùm jam occupat orbis ſublunaris, aut Planetarius, intervallum illud medium aliquali materiâ replendum erit. Neque mihi quidem fas eſt concipere primum Dei opus inſtar caſſæ nucis, aut inſtar teſtæ vel corticis ſinè pulpâ. Denique, quod ſumma rei eſt, Quicquid ſtatueris, de reliquis Univerſi regionibus, Orbis noſtri habitabilis, atque humani generis, ortum temporalem eſſe, & utrumque quaſi recens natum, ſemper aſſerui, atque adhuc obfirmatus aſſero. Sedde hâc re ſatìs ſupérque.

Ais prætereà, Id mihi vitio verti à nonnullis, quòd Moſem, virum maximum, minùs reverenter tractaverim: Atque eo nomine, ipſam Scripturam ſacram aliquatenùs læſerim. Moſem quod ſpectat, Hunc ego Prophetam maximum, divinitùs actum & inſpiratum, miraculis munitum, & ſupra ſortem humanam evectum, ſemper habui & habiturus ſum. Et quoad opus illud Hexaëmeri, id perinde ac reliqua ſua Scripta, ſub auſpiciis & regimine Spiritûs Sancti conditum & apparatum ſentio. Neque huic obſtat, quod doctrinam illam de rerum Geneſi, Parabolâ vel Allegoriâ aliquatenus involutam, ut ante me plures alii, crediderim. Parabolas enim Chriſti & Prophetarum, non minùs quàm Scripturam Literalem, inter Ora-

Oracula divina meritò numeramus: Neque officit ſtyli ratio, quo minùs à Sacro fonte derivetur. Utrâque docendi methodo utitur Spiritus Sanctus, & utramque eâdem veneratione amplectimur.

Hoc, opinor, inter omnes convenit: Sed eâ de re laboramus maximè, ut certos Indices & Characteres, quibus Stylus Literalis ab arcano diſcerni & dijudicari poſſit, inveniamus. Nos imprimis communem hìc ſequimur interpretandi regulam, *ut à Literâ non recedamus unquam, niſi rei neceſſitate coacti.* Nihil autem difficilius eſt, quàm hanc neceſſitatem, ſinè invidiâ & animorum offenſione, demonſtrare. Nam ſi incongrua & abſurda Literæ affigas, clamant nonnulli, te contemptui habere Scripturam Sacram, & à malevolis irridendam exponere. In his ſalebris hæremus, & quâ viâ eundum ſit, neſcio. Sinè incongruis & abſurdis non recedendum eſt à Literâ: (A quâ omnes recedunt, datâ occaſione, & recedendum ſtatuunt) neque tamen ferunt æquo animo, ut hæc abſurda in lucem proferantur. In his, inquam, anguſtiis verſamur. Intereà, quod ad me attinet, dum hæc incongrua repræſentaverim, ſiquid acrius, aut aſperius: vel ſiquid crudè & immaturè dictum eſt, quod piis & ſapientibus offendiculo eſſe poſſit, id totum, quicquid eſt, indictum volo. Et colloquium illud inter Evam & Serpentem, quod

nonnullis diſplicere audio: vel ſiquid ſit prætereà cognatæ indolis, amputari & abſcindi ſinè dolore patiar.

DENIQUE quoad Scripturam Sacram in genere, ſive Literalem, ſive Myſticam: Hanc cœlitùs nobis datam, tanquam Fidei regulam, Vitæ ducem, & Salutis aſylum, profitemur: omníque honore, reverentiâ & veneratione proſequimur. Neque hìc lis oritur de authoritate Sacræ Scripturæ, quæ apud utramque partem, in confeſſo eſt: ſed de ipſius interpretatione, vel interpretandi modo, ſecundùm materiæ ſubjectæ & argumenti diverſitatem.

HÆC paucis dicenda habui, ut cauſæ noſtræ rationes & ſtatum manifeſtiùs exponerem, apud æquos Judices. Qui nobis, ſat ſcio, non invidebunt libertatem, Dei hominúmque legibus indultam, ut, illæsâ Fide Chriſtianâ, & Eccleſiæ noſtræ decretis, conſcientiæ & veritati pacificè auſcultemus. Pacificè dixi, quinimò *modeſtè* & *ſubmiſsè*: ut ſuperiorum judicia ſequaces experiamur. Fuſis denique ad Deum precibus, ut, in omnem veritatem, ſuo lumine, atque ſuo tempore, nos deducere dignetur.

Vid. lib. p. 297. p. 351.

ID unicum reſtat, ut moneam: Ad Eruditos & Myſtas hæc ſcripſimus, Linguâ non Vulgari: Neque eorum cauſam tuemur, qui hæc Sacra, ne dicam, Myſteria, temerè in vulgus ſpargunt, in popinis legenda & agitanda. Vale.

Ad

Ad Virum Clariſſimum A. B. *circa nuper editum de Archæologiis Philoſophicis libellum,*

EPISTOLA SECUNDA.

ALTERUM benevolentiæ tuæ, & amicitiæ pignus, vir ornatiſſime: Literas tuas ſecundas, menſe jam elapſo, libenter accepi. In quibus amicorum objectiones nonnullas, ut antea inimicorum contra Archæologias noſtras, mihi notas facere dignaris. Juvat utique diſſentientes amicorum Sententias unà conferre, & de rebus dubiis, ſinè æſtu aut invidiâ candidè contendere. A leni pulſu, vel nixu, oritur lux: à rudi colliſione Ignis.

IRA *hominum non operatur Juſtitiam Dei*, neque veritatem. In concitatis animi motibus, tam intellectûs, quàm voluntatis, perturbantur actiones. Sapientia habitat in regionibus ſerenis, & intempeſtis: & efficaciſſimum

ciſſimum erroris in aliis remedium, eſt placida, & perſpicua refutatio. Non potui non in illam ſemper propendere opinionem, Neminem iraſci in veritate defendendâ, qui eandem plenè poſſidet, vidétque in claro lumine. Evidens enim, & indubitata ratio, ſibi ſufficit, & acquieſcit: aliiſque à ſcopo aberrantibus (niſi animo id fiat malevolo) non tam ſuccenſet, quàm miſeretur. Sed cùm argumentorum adverſantium aculeos ſentimus, & quodammodo periclitari cauſam noſtram, tum demum æſtuamus, & efferveſcimus. Hæc in laudem tui candoris præfati: ad objectiones jam properamus.

AIS imprimis, Mundum creatum eſſe per intervalla, ídque ſpatiis ſex dierum, prout Moſes retulit in Hexaëmero: probari denuo, vel confirmari in Decalogo: ubi quarti præcepti, de obſervando Sabbatho, hanc reddit rationem Moſes, quòd Deus mundum fecerit in ſex diebus, ſeptimúmque in quietem conſecrârit. Nulla eſſet vis, inquis, hujuſce rationis, ſi vel puncto temporis creatus eſſet mundus, vel ſi inſumptum fuiſſet plus temporis in eodem conſtruendo quàm ſex dies. Non igitur myſticè, aut parabolicè, ſed ſecundùm Literam exponendum eſt Hexaëmeron.

RESPONDEO, rationem à Moſe traditam, de Sabbatho obſervando, valere, atque vim ſuam habere, ex alterutrâ hypotheſi, vel expoſitione Hexaëmeri, Literali, vel myſti-

myſticâ. Si literam ſequamur, omnibus in propatulo, & tibi in confeſſo, eſt ratio. Si myſticè, & parabolicè nobiſcum intelligas, Sabbathum eſt typus Sabbatiſmi in mundi renovatione futuri, atque ſex dies, qui præcedunt, ſunt totidem millennia, quibus duraturus eſt mundus. Quâ de re vide, ſi placet, quæ diſſeruimus ſecundùm veteres, tam Judæos, quàm Chriſtianos, in *Theoriâ Telluris, lib.* iii. v. *& lib.* iv. *c.* 8. Hujus autem beati Sabbatiſmi memores, quàm religiosè, quantóque cum gaudio, hodiernum Sabbathum, futuri imaginem, contemplari, & celebrare debemus.

Quod ſi rationem Literalem Sabbathi hìc unicè reſpiciendam velis, quid mihi dixeris, Amicorum optime, ſi nullum fuiſſe inſtitutum Sabbathum, nullum celebratum, ante tempora Moſaica, conſtiterit. Neque Noachidis, neque Antediluvianis datum eſſe unquam hoc præceptum, ſed Judæis ſolis, ídque poſt exitum ex Ægypto. Hoc certè nos docent præclari nominis Doctores Chriſtiani, & Sacrorum Librorum interpretes. *Juſtinus* cum Tryphone agens, *In pag.*
Sabbathi inſtitutum, non minùs quàm 236.
Circumciſionem, Judæorum proprium & Gentile facit: & cùm Adamum, Abelem, Enochum, Lothum, Noachum, & Melchiſedechum, enumerâſſet, qui incircumciſi placuerunt Deo, addit, hos etiam omnes, ſinè obſervatione Sabbathi, Deo gratos fuiſſe.

iſtic. Καὶ γὰρ μὴ σαββατίζοντες οἱ προωνομασμένοι πάντες, δίκαιοι τῷ Θεῷ εὐηρέστησαν. καὶ μετ' αὐτοὺς Ἀβραάμ, καὶ οἱ τούτου υἱοὶ ἅπαντες μέχρι Μωσέως. Dein, paucis interpoſitis, de *Enocho*, aliiſque, iterum verba faciens, inquit, οἱ μήτε περιτομὴν, τὴν κατὰ σάρκα ἔχοντες, μήτε σάββατα ἐφύλαξαν, μήτε δὲ τὰ ἄλλα, Μωσέως ἐντειλαμένου ταῦτα ποιεῖν. *Qui neque circumciſionem, quæ eſt in carne, habebant, neque Sabbathum obſervabant, neque alia inſuper, quæ Moſes fieri præcepit.*

IRENÆUS eodem modo (*lib.* iv. *c.* 30.) ſinè circumciſione, Sabbathis, cæteriſque Moſaïcis, Deo placuiſſe Patriarchas aſſerit: *Ipſe Abraham ſinè circumciſione, & obſervatione Sabbathorum credidit Deo, & reputatum illi ad juſtitiam, & amicus Dei vocatus eſt. Sed & Loth ſinè circumciſione,* &c. *reliqua autem omnis multitudo eorum, qui ante Abraham fuerunt, juſti, & eorum Patriarcharum, qui ante Moſem fuerunt, ſinè his, quæ prædicta ſunt, & ſinè lege Moſis juſtificabantur.*

TERTULLIANUS iiſdem inſiſtit veſtigiis, *capite ſecundo, & quarto adverſus Judæos.* Eoſdémque cùm recenſuiſſet Patriarchas, hos omnes non *Sabbatizâſſe* ait. Verba non adjicio, cùm longiuſcula ſint, quæ conſules, ſi placet, per otium.

VIDES hos primævos Eccleſiæ Triumviros, infra ſecundum à Chriſto nato ſæculum, conſenſiſſe in eandem ſententiam de

origine

origine Moſaïcâ Sabbathi: Patriarchis anterioribus utriuſque mundi, ignoti, vel inobſervati. Sed à nonnullis hîc oblatum audio qualecunque reſponſum ad minuendam vim horum Teſtium: aiunt nempe, non hîc loqui Patres præfatos de Sabbatho univerſim, ſed de Sabbatho Judaïco, eo rigore, eóque apparatu, quibus hoc inſtitutum munivit poſtea, & ſtabilivit Moſes, in republicâ Hebræâ obſervandum: hujuſmodi, inquiunt, Sabbathum ignorabant, vel non obſervabant Patres; neque mirum profectò, cùm nondum natum eſſet. Sed multis modis deficit hoc reſponſum. Primò in verbis dictorum Patrum nulla eſt reſtrictio, aut diſtinctio Sabbathi in Judaïcum, & antejudaïcum: vel Moſaïcum, & originarium: at Sabbatha univerſim non obſervâſſe Patres antemoſaïcos affirmant hi Patres Chriſtiani. Præterea conjungunt Sabbathum cum *circumciſione*, & cum ritibus Moſaïcis, ac utì non erant circumciſi Patriarchæ, inquiunt hi Patres, ita eodem modo non erant Sabbatarii: hoc eſt univerſim.

Denique, diſtinguas, ſi placet, inter Sabbathi ſubſtantiam, ut ita loquar, & circumſtantias. Duo maximè includit Sabbathum, vacationem ab opere ſervili, & ſolemnem Dei cultum; Cúmque Authores præfati aſſerunt Patriarchas antemoſaïcos non coluiſſe Sabbatha, neceſſe eſt, eo nomine, niſi verbis nos ludificantur, iſtæc duo ſubintelligant:

telligant: negéntque Patriarchas celebrâſſe quemlibet diem ſeptimum, vacando à laboribus, & ſacra faciendo, modo ſingulari & ſolemni: hoc ſi conceſſeris in animo habuiſſe *Juſtinum*, *Irenæum*, & *Tertullianum*, optati ſumus compotes, & diſtinctiunculas, & minutias nihil moramur.

SED aliâ forſan ratione hæc teſtimonia refelles: novos & adverſarios citando teſtes: ne dicam ſubornando: *Chryſoſtomum* putà, *Theodoretum*, *Epiphanium*, alióſque. Reſpondeo: Nullum, opinor, reperies Patrem, ejuſdem cum præfatis Triumviris, vel ſuperioris ætatis, qui populum priſcum, & Patriarchas Sabbatha coluiſſe affirmet. In commentariis, aut concionibus ad *Gen.* ii. Literalem hypotheſin forſan ſequuntur nonnulli: aliis autem in locis, ubi de re ipsâ agitur, præceptum Sabbathi non humano generi datum, neque ideo ab initio rerum, ſed Judæis proprium, & gentile, iidem ſtatuunt, quâ de re diſſeremus infrà. Quòd ſi diſſideant, inquies, & ſibi ipſis malè conſtent, in neutrâ causâ teſtes ſunt idonei. Eſto: ſed de eâ re quid ſtatuendum ſit, videbis ſtatim. Interea ſi plures in noſtrâ parte teſtes deſideres, advoca * *Auguſtinum*,

* Sanctus Auguſtinus penitùs abolevit Sabbathum primævum, quandoquidem ipſius radicem aut fundamentum ſuſtulit: Sex nempe dies Creationis: à quibus unicè pendebat requies, & ſanctificatio ſeptimæ. Ideo Sabbathum illud figuratè intelligendum eſſe, ut typum, ſæpius docet. *De Civ. D. lib.* xx. *c.* 7. & *lib. ult. cap. ult. de Geneſi contra Manich. lib.* i. *c.* 22. & alibi pro re natâ.

Eu-

* *Euſebium Pamphilum, Joh.* † *Damaſcenum,* venerabilem ‖ *Bedam,* alióſque : ut

---

* *Euſebius* nullum agnoſcit Sabbathum antemoſaïcum ; ídque teſtatur variis in locis, *Demonſt. Evang. lib.* i. *c.* 6. Primùm de Melchiſedecho, ait, οὐ σάββατον τί ποτ᾽ ἐστιν εἰδότα· neque quid eſſet Sabbathum novit. Et cùm talem fuiſſe Noachum, Enochum, Abrahamum, monuiſſet, ultimò ſubdit exemplum Jobi: τί δεῖ λέγειν τὸν τρισμακάριον Ἰὼβ, τὸν ἀληθῆ ἄνθρωπον ἐκεῖνον, τὸν ἄμεμπτον, τὸν δίκαιον, τὸν θεοσεβῆ; τὸν εἰς ἄκρον εὐσεβείας αὐτοῦ, καὶ δικαιοπραγίας, τίς ἄρα αἰτία ἦν; μήτι γε τὰ Μωσέως παραγγέλματα; οὐδαμῶς· ἀλλὰ σαββάτου ἡμέρας ἐπιτήρησις ἦν, ἢ τινὸς ἄλλης Ἰουδαϊκῆς ἐθελοθρησκείας φυλακή; πόθεν, πρεσβυτέρῳ τοῖς χρόνοις Μωσέως, καὶ τῆς κατ᾽ αὐτὸν νομοθεσίας γενομένῳ; Eodem modo de Sabbatho & de Moſe diſſerit in *Præparatione Evangel. lib.* vii. *c.* 6. τὸν δὲ τῆς εὐσεβείας τρόπον Ἰουδαίοις μὲν πρῶτον ἀπάρξασθαι τῆς νομοθεσίας Μωσέα, σαββάτου τινὸς παραδόντα ἡμέραν· Non a Majoribus acceptum dicit, aut Traditione Patriarchali, ſed à Moſe primùm introductum apud Judæos Sabbathi cultum. Denique in *Hiſt. Eccl. lib.* i. *c.* 4. de priſcis Patriarchis, pietate, juſtitiâ, & reliquis virtutibus univerſis, præſtantibus tam antediluvianis quàm Noachidis : verba faciens, ait οὔτ᾽ οὖν σώματος αὐτοῖς περιτομῆς ἔμελεν, οὐ σαββάτου ἐπιτηρήσεως, neque circumciſionem, neque Sabbathi obſervationem, curabant : —— more Chriſtiano viventes. Hactenus Euſebius: atque idem proſequitur argumentum Chryſoſtomus, (quicquid aliàs dixerit) cùm de iis qui ad Abrahamum uſque vixerunt (Hom. 121.) Sermones inſtituit, his verbis inter cætera : οὐκ ἐδέξαντο τὸν νόμον, οὐκ ἐφύλαξαν σάββατα. *Neque legem receperunt, neque Sabbatha obſervârunt.*

† *Joh. Damaſcenus de Orthodoxâ fide,* eandem ſententiam pleniùs & apertiùs explicat. *lib.* iv. *c.* 5. περὶ σαββ. Ὅτε μὲν γὰρ οὐκ ἦν νόμος, οὐ γραφὴ θεόπνευστος, οὐδὲ τὸ σάββατον τῷ θεῷ ἀφιέρωτο· ὅτε δὲ ἡ θεόπνευστος γραφὴ διὰ Μωσέως ἐδόθη ἀφιερώθη τῷ θεῷ —— τὸ σάββατον. *Quum lex non eſſet, nec Scriptura divinitus inſpirata, neque Sabbathum Deo ſacrabatur. At quando Scriptura divinitus inſpirata per Moſem data eſt, Sacratum eſt Deo Sabbathum.*

‖ Denique his adde, ſi libet, *venerabilem Bedam, in Lucæ cap.* vi. *Volens,* inquit, *intimare Sabbathi legalis obſervantiam ceſſare ultrà debere, & Naturalis Sabbathi libertatem* (*quæ ad*

Moſes

ut Judæos mittam non ſatìs inter ſe concordes. Sed pergamus in propoſito.

SECUNDUM has ſententias aut ſuffragia Patrum, vides nullum fuiſſe Sabbathum inſtitutum, aut celebratum ab initio mundi, neque ante tempora Moſaica. Quod ſi verum ſit, Amicorum Optime, tuum in te retorqueo telum, ſed amicâ manu. Quâ, quæſo, fide literali, vel quo genere Orationis, dixit Moſes in Decalogo, Sabbathum fuiſſe inſtitutum, aut ſanctificatum, ab initio mundi, ſi nullum fuit Sabbathum ante tempora Moſaica? Idem dixerat vel dicturus erat Moſes in ſuâ Coſmopœiâ: & eodem animo utrobique: nempe, ſi rectè judicamus, ut hoc præceptum Sabbathi, quod maximi erat momenti, ratum faceret, atque fortiùs imprimeret Judæorum animis. Hujuſmodi quid innuere videtur Theodoretus: *Quæſt.* 21. *in* Gen. Ἰουδαίοις ταῦτα γράφων (loquitur de Moſe & de verbis ipſius, *Gen.* ii.) ἀναγκαίως, τὸ, ἡγίασεν αὐτὴν, τέθεικεν· ἵνα πλεῖον σέβας ἀπονείμωσι τῷ σαββάτῳ. *Ad Judæos iſta ſcribens,*

Moſis uſque tempora, cæterorum dierum ſimilis erat) oportere reſtitui. Et poſtea in eodem capite (ut & in præfatione ad Pſalmos) ſex dies Creationis, & requiem in ſeptimâ, ad exemplum Auguſtini, quem ſolet imitari, in typos convertit. *Eodem præcepto,* inquit, *ſimul & futuri ſæculi formam in præſentibus adumbrans: ubi qui per ſex ſæculi hujus ætates bona fecerunt, in ſeptimâ quiete malorum (tantummodo non autem bonorum) ſunt ferias habituri.* Epiphanius autem in contrariam ſententiam incidiſſe videtur, ex malâ interpretatione Sabbathi δευτεροπρώτε, *Luc.* vi. 1. Theodoretus innocuam ſtatuit utramque partem, nec lite aut cenſurâ dignam. *Hær.* 51. *Alog. num.* 31.

bens, neceſſariò poſuit hoc, ſanctificavit eam: *ut majori veneratione proſequerentur Sabbathum.* Hoc præceptum maximi dico fuiſſe momenti: cùm, præter cætera, ſolenne foret perpetuúmque monitum, tam de novitate Mundi, quàm de futurâ ipſius renovatione. Cùm verò dictum præceptum de ſabbatho obſervando non eſſet inſitum naturæ noſtræ, aut ſuo lumine clarum, (nulla enim eſt differentia Dierum, aut revolutionum Terræ) ut cætera præcepta Decalogi, opus erat aliunde petitis argumentis ad illud corroborandum. Ac proindè munivit hoc præceptum Moſes variis modis: primò uno atque altero miraculo circa Mannam, *Exod.* xvi. quod præludium erat Sabbathi ſolenniùs inſtituendi. Dein, Requie Dei poſt abſolutum opus Creationis, *Exod.* xx. Denique, Iſraelitarum ex ſervitute Ægyptiacâ eductorum Commemoratione, *Deut.* v. His argumentis & rationibus uſus eſt Moſes ad confirmandam authoritatem Sabbathi, quò altiùs ageret radices in ſuis Iſraëlitis, quorum intererat maximè conſervare & ſacroſanctam habere hujus præcepti memoriam.

AD præfatum argumentum, quo uſi ſunt Patres, contra primævam Sabbathi inſtitutionem, nempe quod nuſpiam obſervatum legimus à Patriarchis, ſolet quandoque reſponderi: Hiſtoriam ſacram de Patriarchis eſſe admodum ſuccinctam & compendioſam, neque ideo mirandum, ſi quid præteritum fuit aut tacitum in breviuſculâ narratione. Appoſitè

poſitè hoc dictum videtur. Hoc tantùm regero: Noachi, Abrahami, & Jobi Hiſtoriam latiùs & explicitiùs narrari in ſacris Literis: qui cùm omnes eſſent veri Dei & pietatis cultores, hoc unicum præceptum quod datum eſſe volunt humano generi primævi Sabbathi vindices, nullibi comparere aut memorari in praxi aut Commentariis de
Gen. vi. 9. eorum vitâ, meritò miramur. *Noachus erat vir juſtus, perfectus in generationibus ſuis, & ambulabat indeſinenter cum Deo.* Inquit Scriptura ſacra. Qui omnes partes juſtitiæ & pietatis explevit, officium Sabbathi celebrandi, in ſui Creatoris memoriam, expleviſſe non legitur. Noachum *prædicâſſe*, ſacrificâſſe, munda & immunda diſcriminatum eſſe, legimus: nullibi verò Sabbatizâſſe. Referuntur & diſtinguuntur in Hiſtoriâ Noachi, dies, menſes, anni, tempora; nulla Sabbatha. Denique, inter ſcelera & impietates mundi Antediluviani non memoratur Sabbathi violatio: & renovato mundo poſt diluvium, & repetitâ Dei benedictione quaſi in Principio rerum, altum de Sabbatho ſilentium.

Ad Abrahamum quod attinet, eum ſæpius invocâſſe ſummum numen & nomen Dei: Aras multis in locis ſtruxiſſe: decimas pependiſſe Melchiſedecho: Circumciſum fuiſſe: ſacrificia non tantùm conſueta, ſed unicum etiam filium, Deo obtuliſſe. Hæc, inquam, non reticentur in hiſtoriâ Abrahami:

mi: ſed hunc virum magnum coluiſſe Sabbathum, vel quemlibet diem ſingularem præ reliquis ſacrum habuiſſe, nec palàm dicitur, nec ullis indiciis colligi poteſt. Præterea in peregrinationibus Abrahami & ipſius filiorum, quarum non paucæ narrantur à Moſe, itineris ob diem Sabbathi intermiſſi nulla fit mentio: Quod tamen poſtea in Itinerariis Iſraëlitarum, cùm deſertum tranſirent, notatum accepimus.

DENIQUE quod ſpectat ad Jobum, virum, Deo teſte, *incomparabilem, integrum,* Job. ii. 9.
rectum; timentem Dei, & à malò recedentem: facilè credes hunc hominem nihil divinitus præcepti, aut promulgati omnibus, ignorâſſe, aut cognitum neglectui habuiſſe. Rerum exordiis proximior erat quàm Moſes, neque eum latere poterat inſtitutum univerſale, primitus à Deo datum humano generi. Dein, hujus illuſtris viri hiſtoriam non raptim, & ſummatim, ut ſæpe ſolet: ſed integro Libro expoſitam habes; Triplicem ſtatum ſubiit, inſtar mundi noſtri. Primò vides in ſtatu integro & florentiſſimo: dein fractum & miſeriis obrutum: Denique renovatum & reſtitutum; ubique verò æqui rectíque, religionis erga Deum, puríque cultûs, tenacem. In hoc vitæ ſuæ & pietatis ſtadio, monſtres mihi, velim, aliquod veſtigium, aliquam memoriam aut ſignum, obſervati Sabbathi. Non defuit occaſio, in hâc narratione, memorandi hujuſmodi in-

 ſtituti,

ſtituti, ſi quod fuiſſet. Meminit author originis mundi, & fundationis terræ: & jubilantium Angelorum, incœpto, vel abſoluto opere; quod proximè accedit ad argumentum noſtrum. Neque tamen diſcriminationis dierum, aut ſanctificationis alicujus ſeptenarii, omnino mentionem facit. Præterea, obtuliſſe dicitur Jobus Holocauſta ad ſanctificandos, aut expiandos filios: nequid fortè dixerint fecerintve liberiùs aut irreverentiùs inter convivandum: Sed de Sabbatho ſanctificando, nec monitum dedit nec exemplum. Denique cùm ſuam tuetur innocentiam in capite xxxi. multíſque ſe purgat liberátque culpis, tam quoad mores, quàm cultum divinum; de violato aut obſervato Sabbatho nullum intermiſcet verbum, nullam lucem aut umbram.

HIS aliíſque innixus rationibus, haud facilè mihi perſuadeo, inſtitutum Sabbaticum fuiſſe univerſale, ad omnes gentes populóſque protenſum: Quod ſi communi primóque humani generis authori datum fuiſſet in natali mundi, valuiſſet apud omnem ſuam ſtirpem, adeóque apud omnes gentes lex Sabbatica, & religio Sabbathi. Feſtorum & Feriarum retinentiſſimus eſt Populus, neque facilè excideret, quod ſingulis ſeptimanis iterandum eſſet. Si omnis periiſſet religio apud priſcos, atque omnes ritus ſacri, unà extinctum jacuiſſe Sabbathum non mirarer: ſed ubivis gentium, & in omni ævo, ſacrificia

ficia & victimas, dies Feſtos, aliáque ſuperſtitiones, in uſu fuiſſe novimus. Feſtum autem diem ſeptenarium, aut obſervatum aut divinitus aut humanitus inſtitutum, niſi à Moſe Legiſlatore, & in Republicâ Judeâ, nuſpiam terrarum audivimus. Ut Antediluvianos prætercam, quorum curta eſt & ſicca Hiſtoria: apud Noachidas, quam memoriam, quod Monumentum Sabbathi, reperire licet? ſuperſunt & conſervantur adhuc *Præcepta Noachidarum*, quorum alia reſpiciunt cultum divinum, alia mores humanos; ſed colendi Sabbathi aut ſeptimi diei, neque hæc neque illa meminerunt.

Si quod fuiſſet, ab initio, hujuſmodi præceptum, non facilè extingui potuiſſet in Antediluvianis, propter longævitatem Adami, qui id à Deo acceperat, ad ſtirpem ſuam univerſam propagandum. Neque minùs religio fuiſſet Noacho liberos ſuos non inſtruere hâc lege ſacrâ, aut officii ſui in hâc parte non admonere quemlibet. Et ſi fortè neglectum aliquatenus, aut obliteratum ſenſiſſet in profanis ante diluvium Noachus, eò magìs curæ habuiſſet, ut in ſuâ familiâ poſteríſque reviviſceret. Sed præter omnem ſpem & expectationem, obſervati Sabbathi, aut publicè aut privatim, in literis ſacris aut exoticis, nulla occurrit mentio ante tempora Moſaica.

Neque illud prætereundum eſt: Judæos ab exteris nuncupari ſolitos, *Sabbatarios*, vel Sabbathi cultores: iiſque nominibus,

tanquam notis & indicibus, gentem & religionem Hebræam deſignari. Nota ſunt tam * Poëtarum, quàm Hiſtoricorum †, & Philoſophorum loca in hoc argumento: ubi ſeriò, vel ludendo, vel per contumeliam, de Sabbatho, & Sabbatariis Judæis verba faciunt, iiſque, ut ſuperſtitionem genti ſuæ peculiarem, hunc ritum exprobrant.

Lamen. i. 7.

DENIQUE, ipſi Prophetæ & Authores ſacri hanc ſententiam apertè confirmant, cùm Sabbathum aiunt Judæis datum eſſe in ſignum fœderale & diſtinctionis; ſic Deus alloquitur Iſraëlitas per Moſem, *Exod.* xxxi. 13. *Sabbatha mea ſervatote, nam ſignum eſt inter me & vos per generationes veſtras, ad cognoſcendum me Jehovam eſſe, qui ſanctifico vos.* Hoc ego, quaſi Sacramento, vos mihi conſecro, & devoveo, & à reliquis gentibus diſtinguo. Idem nos docet Propheta Ezekiel, *cap.* xx. 12 & 20. *Ac etiam Sabbatha mea dedi ipſis* (nempe Judæis, non reliquis gentibus) *ut eſſent ſigno inter me & ipſos: ut ſciretur me Jehovam ſanctificare vos.* In quæ loca interpretes, tam Hebræi, quàm Chriſtiani docent, Sabbathum datum eſſe,

* Ovid. de Art. Amand. lib. i. Perſ. Sat. v. Mart. lib. iv. Epigr. iv. Juvenal. Sat. xiv. Claud. Rutilius, Itiner. lib. 1.

† Agatharcides apud Joſ. lib. i. contr. Apion Juſt. lib. xxxvi. cap, 2. Senec. libro contra ſuperſtitionem, citante Auguſt, lib. vi. de Civ. D. c. 10. Tacit. Hiſt. v. Princ. Dion. Caſſ. Hiſt. xxxvii. Plutarch. Symp. xliv. Julianus apud Cyril. Alex. lib. v.

ut

ut ſingulare inſtitutum, quo ab aliis populis diſcriminarentur Judæi. Sive ut ait *Theodoretus* in locum, ἵνα τὸ ἰδιάζον τῆς πολιτείας χωρίζῃ μὲν αὐτὴς τῶν ἐθνικῶν ἐπιτηδευμάτων· *Ut hæc vitæ inſtituendæ ratio peculiaris Judæos diſtingueret à Gentium inſtitutis.*

Dein, in ſequentibus hoc explicatiùs *Adverſ.*
ediſſerit, his verbis, Κατὰ τὰ ἄλλα πάνυν τοῖς 13.
ἄλλοις κοινωνοῦντες, κατὰ τὴν τοῦ σαββάτου φυλακὴν, ἰδίαν τινα πολιτείαν ἔχειν ἐδόκουν· Οὐδὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ταύτην ἐφύλαττε τὴν ἀργίαν. Οὐδὲ ἡ περιτομὴ οὕτως αὐτοὺς τῶν ἄλλων ἐχώριζεν, ὡς τὸ σάββατον· *In aliis quidem cum aliis Communione juncti, in obſervando Sabbatho propriam quandam videbantur habere rempublicam. Nulla enim alia gens hoc otium obſervabat. Neque Circumciſio ita ipſos ab aliis diſtinguebat, ut Sabbathum.* Ad hoc ultimum probandum, ſubjicit, Iſmaelitas, Idumæos, & Ægyptios, Circumciſione uſos eſſe, Τὴν δὲ τοῦ σαββάτου φυλακὴν μόνον τῶν Ἰουδαίων ἐφύλαττεν ἔθνος· *Sabbathi autem obſervationem ſola Judæorum natio cuſtodiebat.* Hoc maximum diſcrimen Judæos inter & Gentes per obſervationem Sabbathi agnovit itidem Julianus Apoſtata: cùm *Cyril. con-*
de præceptis Decalogi verba faciens, inquit, *tra Jul.*
ποῖον ἔθνος ἐστὶ, πρὸς τῶν θεῶν, ἔξω τοῦ, οὐ προσ- *l. 5. Princ.*
κυνήσεις θεοῖς ἑτέροις, καὶ τοῦ, μνήσθητι τῶν σαββάτων, ὃ μὴ τὰς ἄλλας οἴεται χρῆναι φυλάττειν ἐντολάς· *Quænam gens eſt, per Deos, ſi hæc dempſeris, non Adorabis Deos alios,*

& MEMENTO SABBATHORUM quæ mandata cætera ſervanda non putet?

Hæc tibi, Amicorum Optime, pluſculis quidem, ſed quâ potui brevitate, circa rem Sabbaticam expoſui: ut certiorem haberes notitiam, & quaſi intuitum eorum omnium, quæ ad hoc argumentum attinent: iiſque expenſis, æquo conſilio apud te ſtatuas & decernas, Quale fuerit Sabbathum illud primordiale, à Moſe memoratum ab ipſis rerum incunabulis, Literale an Typicum. Ego quidem nihil aliud eſſe reor, quàm umbram vel Typum *Sabbatiſmi*, decurſo vel abſoluto hoc mundo, futuri. Prout ſex illi dies creationis ſunt totidem periodi, vel millennia, quibus duraturus eſt mundus, & hujuſce ſæculi opera & labores. Et in hâc Explicatione S. Auguſtinum, præter alios, ducem habeo & Hyperaſpiſtem. Qui Libro & Capite noviſſimis *de Civitate Dei*, ut alia loca non repetam, hæc habet, *Erit ibi maximum Sabbathum, non habens veſperam, quod commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur,* & requievit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit; & benedixit Deus diem ſeptimum, *&c. Dies enim ſeptimus etiam nos ipſi erimus, quando ejus fuerimus Benedictione, & Sanctificatione pleni atque refecti.——Ipſe etiam numerus ætatum, veluti dierum, ſi ſecundùm eos articulos temporis computentur, qui in Scripturis ſanctis videntur expreſſi, iſte Sab-*

Sabbatiſmus evidentiùs apparebit, quoniam ſeptimus invenitur. Ut prima ætas, tanquam dies primus, ſit ab Adam, uſque ad, &c. Ubi ſex dies creationis non vult eſſe literales, ſed typicos, & ſex ætatum mundi repræſentationes quaſdam aut imagines; ſeptimum pariter ſive Sabbathum primordiale, noluit eſſe literale, ſed figurativum: futuri Sabbatiſmi in ſeptimo millennio adumbrationem. Quemadmodum Paradiſus Moſaicus futuri, in mundi renovatione, Paradiſi eſt præfiguratio Typica: Prout conſenſu veterum, & collatis primis *Geneſεως* Capitibus cum ultimis *Apocalypſεως*, ſacri Canonis A & Ω, manifeſtè conſtat.

Sed his ſuperſedeo, ne præjudicare videar, aut ſententiam ferre, de re tuo arbitrio permittendâ. Memineris, ſi placet, ſtatus cauſæ: Et quid teſtibus, quid rationibus, affirmatum dedimus. Quæſitum eſt, an Sabbathum fuerit inſtitutum univerſale, datum & promulgatum humano generi, in rerum exordio: vel inſtitutum Moſaicum, & Genti Judaicæ proprium. Hoc poſt[illegible] teſtati ſunt Patres Chriſtiani, primi ordinis. Quinetiam Prophetæ, & Moſes ipſe, aſſerunt, Sabbathum inſtitutum eſſe in monumentum fœderale, Deum inter & Judæos: & inſtar parietis intergerini eoſdem Judæos inter & Gentes. Dein, cùm argumentis & rationibus agitur, oſtendimus, obſervati Sabbathi nullum extare documentum, nullam memoriolam,

moriolam, vel in Antediluvianis, vel Noachidis, (oblatâ licèt ſæpius occaſione) uſque ad tempora Moſaica. Denique deriſum eſſe à Gentibus, tam Græcis, quàm Romanis, hunc ritum Judaicum : atque eo ſemper, quaſi ſtigmate, ſignatos, & ludibrio habitos, Judæos.

NEQUE fucum tibi faciant, aut ψευδοσάββατον obtrudant, adverſæ ſententiæ fautores, ſub nomine & prætextu *Hebdomadis* aut *Septenarii:* Quorum occurrit apud gentes & authores exteros, non raro, nec incelebris mentio ; ſed his nominibus nihil minùs intelligunt Authores illi, quàm Sabbathum (Moſaicum, aut Adamicum) vel quemlibet ritum religioſum. Numerum ſeptenarium celebrabant Philoſophi, propter virtutes & myſteria, ut credebant, in eo recondita ; Hebdomas Planetaria in uſu erat apud Aſtrologos & Mathematicos : unde denominationes Planetarias ſingulis diebus ſuæ Hebdomadis impoſuere. Quod poſtea in communem uſum tranſiit. Alii ſeptimum à novilunio, ſive ab ineunte menſe alióſque ſacros habuere. Hæc autem argumentum noſtrum non attingunt, neque hæc negamus : Sabbathum verò, ſive diem ſeptimum recurrentem in ſingulis ſeptenis, ulli inſtituto publico, civili, vel religioſo, ſancitum eſſe inter Gentes, Græcas, Romanas, aut Barbaras : Hoc eſt quod ſtrenuè negamus. Sed de hâc re ſatis, & de primâ tuâ objectione.

SE-

SECUNDO objicis, & nos urges ab incommodo. Eâ, inquis, libertate, quâ uſi ſumus, recedendi à verbis & à literâ Moſis, cùm nos premunt abſurdiuſcula, abuſuros eſſe homines Atheos & incredulos, ad elevandam Authoritatem Moſis, & parvipendendam Scripturam ſacram. Reſpondeo: Nihil minùs ſequitur: His enim & hujuſmodi abſurdis literalibus uſi ſunt hoſtes religionis noſtræ, ad labefactandam Scripturæ Sacræ, & religionis noſtræ authoritatem. His igitur amotis, arma iis è manibus excutimus, atque omnem cavillandi anſam: ſalvámque præſtamus ex omni parte, & quaſi invulnerabilem, religionem noſtram. Quod ſi, ex adverſo, ſensûs literalis patrocinium ubique in ſacris literis, & ſpeciatim in originibus Moſaicis, ſuſceperis, novas generabis lites, non ſinè diſcrimine cauſæ principalis, terminandas. Dicam tibi liberè ſententiam meam: Qui adhærent mordicus nudæ literæ verbíſque Moſis in enarrandis rerum originibus, dant locum, ansámque Atheorum & incredulorum contumeliis, aut cavillationibus, tam contra Scripturam ſacram, quàm religionem in eâ revelatam. Hoc patet exemplis, *Celſi*, *Juliani*, *Simplicii*, *Porphyrii*, aliíſque: Qui ex hâc pharetrâ deprompſere ſagittas, quibus, veneno tinctis, petebant Prophetam Moſem: utpote quem rerum origines ſcripſiſſe aiunt, Fabulatoris inſtar, aut Plebeii: neque Philoſophorum ſapien-

tiam eum attigiſſe, nedum viri divinitus afflati. Ita ſpurco ore Archæologias Moſaicas, alii μῦθον Αἰγυπτιακὸν, alii *anilem fabulam*, alii *Græcanicis deteriorem*, appellárunt: Deo indignam arbitrantes illam rerum œconomiam, quam in ortu mundi, & initiis Naturæ & humani generis, exhibuit Moſes. Quinctiam ipſe Philo, Judæus licèt, non abſtinuit hujuſmodi dictis, εὐηθὲς πάνυ τὸ οἴεσθαι ἐξ ἡμέραις——Κόσμον γεγονέναι, *Ruſticanæ ſimplicitatis eſt credere, mundum ſex diebus conditum eſſe.* Hoc ſextiduum operis & requiem ſeptimi diei, deridet etiam in ſuis carminibus *Claudius Rutilius*:

Itin. lib. 1. *Septima quæque dies turpi damnata veterno,*
Tanquam laſſati mollis imago Dei.
Cætera mendacis deliramenta cataſtæ
Nec pueros omnes credere poſſe reor.

De Moſe loquitur, & de ſuo Hexaëmero.

LUCIANUS, vel alter illius non abſimilis, in Dialogo, qui dicitur *Philopatris*, Coſmopœiam Βραδυγλώσσου, quo nomine *Moſem* intelligit, ſugillans, ait lucem ipſius primigeniam fuiſſe φῶς ἀόρατον καὶ ἀκαταλανόητον. *Lucem, quæ nec viſu percipi poſſit, nec intellectu.* Manichæi etiam (referente Sancto Auguſtino, *lib.* xxii. contra *F. Manich.* c. 4.) dicebant ſe rejicere Libros Moſis, quòd in iis plurima legerentur in-

indigna Deo: & inter alia, de Hexaëmero dicunt, Moſem deſcribere Deum ab æterno in tenebris verſatum, tenebras fuiſſe conditas ante lucem, & Deum ſuper aquas tenebris obſitas, per noctem, antequam lucem faceret, inambulâſſe; Quinetiam deſcribit eundem Deum, ad inſolitæ lucis aſpectum, admiratione perculſum, atque adeò antea neſcientem quid eſſet lux, ut cùm primùm illam vidiſſet, optimam judicâſſet.

DENIQUE hæc omnia confirmare licet & concludere, cum judicio dudum lato Th. Aquinatis: qui in hâc causâ definiendâ ſtatuit, ſententiam Auguſtini, negantis intervalla & dies ſucceſſivos creationis, commodiorem eſſe ad tutandam Scripturam ſacram à morſibus infidelium, quàm vulgarem Hypotheſin: verba ipſius hæc ſunt. *Harum expoſitionum prima, ſcilicet Auguſtini, eſt ſubtilior, magìs ab irriſione Infidelium Scripturam defendens: Secunda verò, ſcilicet aliorum Sanctorum, eſt planior, & magìs verbis literæ, quantum ad ſuperficiem, conſona.* Duplicem etiam Interpretationem originum Moſaicarum, ex præfatis Authoribus exteris, *Celſus* & *Julianus*, agnoſcunt, neque iiſdem utramque premi incommodis: ſed ex illâ interpretatione, quæ tota reſidet & acquieſcit in ſenſu literali, venenata ſpicula in Moſem intorquent. *De Poten. Dei, quæſt. 3ſ. art. 2.*

HÆC quum ita ſe habeant, dic ſodes, per amicitiam noſtram, uter horum, Interpres

pres Literalis an Philoſophicus, amicior ſit Moſi, ac Sacræ Scripturæ reverentior. Tu, qui hunc & illam ludibrium facis inimicorum: vel Ego, qui utriuſque honorem tueor, & ſartum tectum conſervo: neque in his oraculis ſacris enodandis quicquam recipiendum eſſe duco, quod indignum ſit ſummo Deo, aut ipſius ſummo Prophetâ.

Hæc quoad Gentes & hoſtes exteros, dicta ſunto: ut eorum tela retundamus. Sed operæpretium erit præterea paucis expendere, quot mala pepererit inter ipſos Chriſtianos, quot errores, hæc ſuperſtitioſa ad textum literalem adhæſio. Superſtitioſam appello, quæ invitâ rei naturâ, & repugnante ratione, literas, & ſyllabas, ſenſúmque Grammaticum, mordicus tenet, nec veritatem ultrà quærit. Si vacat, & libet, hujus inſipientiæ exempla nonnulla, notiſſima quidem illa, ſed non levis momenti, tibi in memoriam revocabo. Primùm, ex hôc fonte manavit fœdiſſimus error *Anthropomorphitarum*. *Fœdiſſimus*, inquam, utpote qui Deum Optimum Maximum transformet in bipedem, noſtrûmque facit ſimilem, os, humeróſque, & alia membra. Huic tamen dogmati, quantumcunque à ratione abhorrenti, planiſſimis & apertiſſimis verbis, iterum iterúmque repetitis, patrocinatur Scriptura ſacra. Patrocinatur certè, niſi ſenſum literalem deſeras, & nobiſcum tranſeas in rationis & ſanæ Philoſophiæ caſtra.

Scrip-

Scriptura ſacra aſſerit, primò, in genere, *Hominem factum eſſe ad imaginem Dei.* Dein, affectus humanos, proprietates, & facultates noſtras, Deo pariter attribuit. Denique ad explendas omnes partes probationis firmæ & conſummatæ, ipſa membra, partéſque Dei, recenſet: Sigillatim, & nominatim, quemadmodum in corpore noſtro.

Recolamus hæc breviter, ſi placet. Peractis cæteris mundi partibus, cùm ad hominem condendum ventum eſſet, ait Deus, *Faciamus Hominem ad imaginem noſtram, ſecundùm ſimilitudinem noſtram; Itaque creavit Deus Hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit eos.* Gen. i. 26, 27. Repetuntur verba, ut de re & ſenſu, ut videtur, certiores facti eſſemus; Et nequa lateret ambiguitas in voce *Imaginis*, additur, *ſecundùm ſimilitudinem noſtram.* Denique, ſi quis reſtat ſcrupulus de ſignificatione harum vocum, obſervare oportet, (ſecundùm leges interpretandi) earundem vocum, vel ejuſdem phraſeologiæ, uſum, ſi fortè recurrant in eodem Authore. Occurrunt autem apud Moſem iterum, *cap.* v. 3. Ubi de Adamo dicitur, eum genuiſſe filium, *ad ſimilitudinem ſuam, ad imaginem ſuam.* Unde ſequitur, ex vi verborum, quemadmodum Sethus erat Imago Adami, ita Adamus Dei. Præterea, in novo fœdere eadem eſt dictio, eandémque habet vim, cùm

cùm de incarnatione Chriſti agitur: Dicitur enim factus ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, ut Ada-
Phil. ii. 7. mus dicitur factus: ἐν ὁμοιώματι Θεοῦ. Quemadmodum igitur Chriſtus induit veram hominis formam, ita Adamus veram formam Dei. Ita primò argumentantur Anthropomorphitæ. Denique Imaginem Dei in homine aliquid denotare externum & aſpectabile, res ipſa, & alia loca Scripturæ, ſatìs indicant: 1 *Cor.* vii. 14. *&* xv. 49. collata cum *Phil.* iii. 21. & *Joh.* iii. 2.

SECUNDO, Scriptura ſacra, inquiunt, nobis exhibet manifeſtò affectus humanos, proprietates, & facultates naturæ noſtræ in Deo. Primò, Deum habere animam, dicitur: & loquelâ uti, & ſermocinatione, inſtar noſtrûm. Dein, dormire & expergiſci: Ridere etiam, quod proprium cenſetur hominis. Quinetiam facti ſui Deum pœnitet quandoque, quandoque aliorum miſereſcit. Dicitur etiam, iraſci, vexari, dolere, gaudere, admirari, amore aut odio proſequi. Præterea moveri de loco in locum, deſcendere & aſcendere, aut per cœlos & aëra transferri. Denique, videre, audire, odorari, tangere & tangi. Hæc Deus nobiſcum, aliiſque corporibus, habere dicitur Communia, in ſacris Literis.

TERTIO, membra & partes corporis noſtri in Deo etiam reperiuntur, ſecundum eaſdem literas ſacras. Memorantur ibidem

dem Dei digiti, manus, Brachia, Caput; Et in Capite facies, os, cum labiis & linguâ: naſus, oculi, & aures; Memorantur etiam interiora corporis, cor & viſcera: Dein tergum & poſteriora Dei: Denique crura & pedes. Quinetiam ſæpius apparuit Prophetis aliiſque Deus, & ſe viſibilem reddidit, temporibus priſcis: Angeli etiam huc-uſque conſpiciunt ipſius faciem. Stephanus vidit eum in cœlis, & ambulâſſe dicitur Deus cum Adamo in Paradiſo: Vides, quot claſſes argumentorum, quot loca ſacræ Scripturæ afferunt Anthropomorphitæ, in ſuæ cauſæ patrocinium. Quò te vertes, neſcio, ſi rationem rejicis interpretem. Quid reſpondendum tot ſacris teſtimoniis? Concedemus Deum eſſe corporeum, ex authoritate Literæ; vel id negabimus ex authoritate rationis? quippe quæ demonſtrat clarè, perfectiones naturæ divinæ, ſive Entis infinitè perfecti, conſiſtere non poſſe in quocunque corpore. Hoc tenent & tuentur, & hìc pedem figunt optimi interpretes: docéntque, quoties Scriptura loquitur de formâ humanâ, aut naturâ Corporeâ Dei, id fieri κατὰ συγκατάβασιν, ut animis populi & plebis aliquam imprimat ideam Dei, licèt non veram. Donec ſcilicet à rebus ſacris inſtructiores facti, capere queant de Deo & naturâ divinâ notitias magìs idoneas & accuratas. Vulgus hominum nihil concipit per modum ſubſtantiæ, præter corpus & corporea; Et in

corporeis, nullam formam præſtantiorem humanâ: oportebat igitur ex hâc materiâ, & in hâc formâ effingere Deum vulgo: vel, quod pejus eſſet, iis fingendum ſuo modo & ſuo ingenio permittere. Hæc de * Anthropomorphitis dicta ſunto: Corporei numinis, & ſensûs literalis Scripturæ, Adoratoribus.

QUEMADMODUM circa formam Dei, ita etiam circa formam Mundi, & hujuſce telluris, à veritate aberrârunt, qui ſenſibus, imaginationi, verbiſque perperam intellectis, addictiùs & ſerviliter hæſerunt. Hâc ratione nullos Antipodas admiſerunt è Patribus Chriſtianis non Pauci: nullum à noſtro Hemiſphærium. Neque Terram eſſe Globum voluerunt, aut Globoſam: ſed, inſtar tabulæ, planam: Cœlúmque circumfundi, ad modum Tentorii. Hæc, inquiunt, eſt vox ſacræ ſcripturæ: Et quid ſi reclamet Philoſophia, quid ſi Mathematica? non moramur has argutias: Dei verbo, veluti ſacræ Anchoræ, unicè innitendum eſt.

NEQUE vulgus tantùm, aut proletarii homines, ſed viri celebres eruditione & authoritate, hoc dogma de incolis alterius Hemi-

* Non videt imperita plebs, quomodo aliquid verè, & citra dubitationem poſſit exiſtere, niſi corpus. Et quicquid non eſt corpus, ſed affectio tantùm in corpore, juxta ipſos quidem exiſtit, & eſt Ens, ſed imperfectiùs quam corpus: quia ſcilicet ad illius exiſtentiam corpus neceſſariò requiritur. Quod verò neque corpus eſt, neque affectio in corpore, id in principio intellectûs hominis maximè autem juxta imaginationem ejus, planè non exiſtit, *&c. Maimon. Mor. nev. par.* I. *cap.* xlvi.

ſphærii,

ſphærii, inter prophana, & abſurda, numerârunt. Et malè ſibi metuit Sanctus Auguſtinus, ne alterum caput humani generis, præter Adamum, quærendum eſſet, ſi trans Oceanum, vel in adverſâ parte Terræ novi eſſent, neſcit qui, homines vel populi. Denique, Fidei noſtræ ac religioni adeò funeſtam habuere hanc ſententiam, ut *D.* * *Vergilius* impietatis accuſatus fuerit, & in magnum diſcrimen adductus à *Bonifacio*, tunc temporis Legato in Germaniâ Pontificio, quòd Antipodas agnoverit, vel defendendos ſuſceperit.

CÆTERUM non obſtante hoc æſtu Theologorum, & Authoritatis ſacræ prætextu, vicit tandem ratio, & ſanæ mentis Judicium:

* Erat *Vergilius* in Diſciplinis, quas Mathematicas vocamus, & in Philoſophiâ profanâ, magìs, quàm tum mores Chriſtiani ferebant, eruditus. Ex illiuſmodi Literarum ſcitis, contra opinionem vulgi, & D. Aurelii Auguſtini, Lactantii, & aliorum, fortè docuerat, (id quod noſtro ſæculo non argumentis inveſtigandum, ſed experimentis cognitum eſt) circumfundi Terræ homines undique, & converſis inter ſe pedibus ſtare: unde Antipodas Græcâ nuncupat voce. Hoc ita acceptum eſt, quaſi *Vergilius* alium mundum, alios ſub terrâ homines, alium denique Solem, atque aliam lunam eſſe adſereret. Bonifacius hæc velut impia, & Philoſophiæ divinæ repugnantia, refutat: Vergilium publicè, privatim, arguit: ad recantandum has nænias provocat, efflagitátque jure ſuo, ut Legatus Germaniæ, ne ille, hujuſmodi deliramentis, ſinceram, & ſimplicem Chriſti ſapientiam polluat atque contaminet. Re tandem ad Zachariam Pontificem delatâ, Ille mandata & literas miſit ad Utilonem Boiorum Regulum, his verbis, Vergilium Philoſophum (ſi ſacerdos ſit, inquit, neſcio) ab templo Dei & Eccleſia depellito, Sacerdotio in Concilio abdicato, ſi illam perverſam doctrinam fuerit confeſſus. *Avent. Annal. Boior. lib.* iii.

neque quiſquam eſt, nunc dierum, qui derideat Antipodas: aut oraculis divinis, cordatè & ſolerter expoſitis, repugnare ſentiat. Veritas eſt Temporis filia, quam parit aliquando unico nixu, aliquando diutius in partu laborat. Nova & inſolita ſæpe diſplicent primo aſpectu, quæ tamen ſecundæ cogitationes, vel ætas poſtera, ubi deferbuerint animi, rata habent, & rationi conſentanea. Hoc in nonnullis dogmatis experti ſumus: in aliis, opinor, experturi. Sed de Antipodibus ſatìs.

Atqui circa formam majoris mundi non minùs diſconvenit inter Theologos & Mathematicos. Theologi, aiunt, teſtari Scripturam ſacram clarè & dilucidè, id quod ſupponere videtur Moſes in ſuo Hexaëmero, *Solem moveri:* Adeóque Terram quieſcere, Mundi centrum, circa quod rotatur Univerſi machina, totúſque cœlorum exercitus, ſingulis diebus. Stetit quidem Sol, inquiunt, tempore Joſhuæ, ſed per miraculum & præter ordinem naturæ: ut umbra receſſit in horologio Ahaz. At communem ordinem ſi reſpicias, & conſuetum Naturæ tramitem, *Sol tanquam ſponſus prodiens è thalamo ſuo, lætatur ſicut Robuſtus decurſurus viam. Ab extremitate cœlorum exortus ejus, & Revolutio ejus ad extremitates eorum.* Sic dicit Propheta. Vides hîc curſum ſolis à carceribus ad metam, & quòd percurrit ſtadium, ſingulis diebus. At inquies

quies hæc eſt dictio figurata; Rectè quidem quoad ſimilitudinem ſponſi, aut Gigantis agnoſco: ſed niſi egreſſum aliquem curſúmque ſolis concedas, tollis ipſa ſtamina orationis & propoſitum Authoris: quod ubique in comparationibus, & in ipſis Parabolis, conſervandum eſt.

His tamen, aliíſque ſacræ Scripturæ locis & teſtimoniis non obſtantibus, Phyſici & Mathematici ſolem immobilem, Terrámque moveri ſtatuunt, tam dictim circa ſuum axem, quàm circa ipſum Solem annuatim. Quod à multifariis Cœlorum Phænomenis motibúſque arguunt & oſtendunt. A Fixarum & Planetarum materiâ diversâ, & ad motum aptitudine vel ineptitudine: ab inſtabilitate Corporum in Fluidis vorticoſis: Et à legibus naturæ, quæ ſuperflua fugit, viáſque affectat breviſſimas & ſimpliciſſimas: Denique ut totum opificium Deo dignum ſit, immenſo & ſapientiſſimo.

Hæc & hujuſmodi nobis proponunt argumentandi capita; quæ mentem, in his ſcientiis exercitatam, ita in aſſenſum rapiunt, ut pauci ſint hodie rerum Aſtronomicarum periti, qui hanc hypotheſin de *Telluris motu* non amplectantur: vel apertè vel tacitè. Tacitè, inquam, ubi regnat Tyrannis inquiſitoria: nec veritatem efferre licet, etiam in rebus naturalibus, quæ diſplicet Tribunali Eccleſiaſtico. Hìc ſenſus ſuos & cogitata diſſimulare & comprimere coguntur Philo-

 ſophi:

ſophi: aut obſcurè & per ambages ſignificare. Sed ubicunque fas eſt verum quærere, & profiteri, in hanc libenter deſcendunt ſententiam. Quod verò attinet ad ſacræ Scripturæ dicta, de motu aut curſu Solis, his facilè reſpondent æqui Interpretes: Ad ſenſus ſcilicet & opiniones humanas, captúmque populi, accommodari has loquendi formulas; quibus etiam utuntur hodie, in quotidiano ſermone, iidem Sapientes, qui planè aliter ſentiunt in imo pectore. Loquendum enim cum multis, cogitandum cum paucis. Notum eſt itidem, quàm plurimis exemplis, Spiritum Sanctum loqui *linguâ filiorum hominis*, & ad conceptus populares ſuum formare, & attemperare ſtylum.

HI errores & hallucinationes vulgares, circa formam Dei, formam Mundi majoris, & Telluris noſtræ, à ſacris Scripturis malè perceptis derivati, exemplis & monitoribus eſſe poſſunt, quò cæcus amor aut affectatio verbalis interpretationis, inconſultâ ratione, incautos ducit, & imperitos. Neque minùs circa mundi originem, quàm illius formam in errorem incidemus, ſi neglectâ rerum naturâ, & Authoris ſcopo, hypotheſin parabolicam, aut popularem, cum Mathematicâ aut Phyſicâ: Et mundi noſtri terreſtris ortum, cum magni Univerſi origine: denique, humani generis natales in hâc Terrâ, cum natalibus Angelorum & Archangelorum, confundamus. Præterea, huic Mundo con-

condendo Deum operam dediſſe per ſex dies, inquit Hexaëmeron: hìc ſi tempus definitum pro indefinito accipias: Dein, ſex dies, potiùs quàm plures aut pauciores, ad conſtituendum Sabbathum & Sabbatiſmum: mentem Prophetæ non malè forſan aſſequeris: ſalvâ rerum naturâ & creatoris dignitate. Utramque verò lædit, qui hæc craſſè & κατὰ τὸ ἰδιωτικὸν interpretatur, ac velut illotis manibus ſacra tractat. Sed de his ſatìs alibi diximus.

LITERA occidit, inquit Apoſtolus, *ſpiritus autem vivificat*. Quod de Lege & Evangelio dictum, transferre licet aliquando ad ſenſum Literalem & Spiritualem: Cùm verba nuda & frigida, nimiùm ſequaces, aut præcipites, in errores ducunt. Prolatis jam hujus rei pluribus exemplis, liceat alterum erroris Literalis adjicere, idque graviſſimi, ne dicam, infandi. Illud monſtrum dogmatis intelligo, *Tranſubſtantiationem*. Opprobrium Chriſtianæ religionis & fidei. Quid dixi, Chriſtianæ fidei? Imò Generis humani & naturæ rationalis dedecus & opprobrium. Quæ unquam Gens coluit Deos farraceos? quis unquam Barbarorum hujuſmodi numen agnovit vel adoravit? Ex eodem ligno olim fecerunt ſcamnum, vel Priapum, Ethnici: Sed ex eâdem farinâ, placentam vel Deum Optimum Maximum, ſoli faciunt Chriſtiani. Sed à quâ tandem provenit origine hoc dogma, & hic

cultus : à naturâ, an Revelatione? A Revelatione, inquiunt, atque iterum iterúmque nobis inculcant Servatoris noſtri verba, *Hoc eſt Corpus meum* : Ἀυτὸς ἔφη, qui major Moſe eſt : Atque hoc nobis erit inſtar omnium Oraculorum, inſtar omnium demonſtrationum. Neque de modis rerum ſolliciti ſumus, neque abſurda veſtra moramur. Omnia Deo ſunt poſſibilia, atque omnipotenti & veraci numini, liquidâ fide, ſinè examine, ſinè morâ credendum eſt.

QUID ad hæc reſpondent Literales? nunc eorum res agitur : Si verba Servatoris in primâ & Grammaticâ ſignificatione accipiamus, hunc utique ſenſum præ ſe ferunt; & niſi propoſitum Authoris, & rei naturam, de quâ tractatur, introſpicias, Fides reformata, quoad hunc ritum, periclitabitur. Mihi quidem, qui Sancti Spiritûs ſcopum in quocunque argumento, Scripturæ ſtylum, & quid ferat, aut ferre recuſet materia ſubjecta, ſemper mecum in conſilium aſſumo, nihil manet dubii aut difficultatis. Qui verò, his prætermiſſis, jejunis aridíſque hærent verbis, infamem illum errorem non facilè eradent aut refellent. Quòd ſi conſentias, his omnibus utendum eſſe regulis, & cautelis, in eruendâ veritate & Sacrarum Literarum ſenſu, in hoc loco : in aliis pariter, ſcriptíſque Moſaïcis non minùs quàm Chriſtianis, eundem interpretandi modum æquum erit concedere.

HÆC

HÆC pluribus expoſui, vir Colendiſſime, ut ſecundæ tuæ dubitationi ſatisfacerem. Revertamur jam ad propoſitum. Summa rei huc redit: In explicandis oraculis ſacris peccari poteſt ex utrâvis parte, vel nimiùm adhærendo verbis & literis, vel ab iiſdem recedendo ſinè juſtis cauſis. Uterque modus, vel interpretandi vitium, errores peperit: Sed literalis, ni fallor, graviores. Paucis retrò ſæculis, probè nôſti, non licuit, per maximam partem orbis Chriſtiani, appellare *Panem*, *Panem*, aut *Vinum*, *Vinum*. Sed virtute quatuor verborum à Sacerdote prolatorum, Panis erat Caro, viva Caro, verè & propriè: & vinum, ſanguis, vitalis ſanguis. Manentibus interim iiſdem Corporibus, ut priùs, quoad omnes proprietates; Quantum arte, aut ingenio: ſenſu aut ratione, explorari poterat. Quorſum verò nobis mendaces oculi, cæteríque ſenſus? Ad quid valet ratio? Si ludimur in propriis utriuſque objectis, actum eſt de naturâ humanâ. Quinetiam actum eſt de religione Chriſtianâ, ſi de miraculis & de reſurrectione Chriſti non fidendum ſit ſenſibus: & de ipsâ denique exiſtentiâ Dei, ſi non rationi. Eò tamen cæcitatis, neſcio quo pacto, prolapſa erat pars plurima gentis Chriſtianæ, ut hoc ἀτόπων ἀτοπώτατον, pro articulo fidei, eóque primario & antiquiſſimo habendum duxerint. Quod tantopere oppreſſit intellectum humanum, & totam

vim

vim naturæ rationalis, ut jugum ultrà ferre non potuerit. Cùm verò ex verbis ſalvatoris noſtri, *Hoc eſt Corpus meum*, craſſiùs expoſitis, ortus ſit hic error, ad examen deventum eſt, an propria vel figurata fuerit hæc Chriſti locutio: æquíſque judicibus re permiſsâ, vicit tandem ſenſuum externorum, & rationis internæ, vis ineluctabilis. Unde hoc ſcandalum, Gentibus, Judæis, Mahumetanis, Chriſtianis, è fide noſtrâ reformatâ fœliciter exemptum gratulamur.

DENIQUE notandum, Interpretes Literales in nonnullis à Literâ abſcedere, cùm nulla urget neceſſitas in materiâ ſubjectâ. In aliis autem, ubi urget maximè, nullum receſſum concedunt. Quâ in re ſunt iniqui Judices. Exempli gratiâ: In doctrinâ de millenni Chriſti Regno, apud Prophetas Veteres, & in Apocalypſi Johannis, ſæpius deſcripto, Literam abdicant, & ad Allegorias confugiunt. Pariter in doctrinâ, de *Novis Cælis & Novâ Terrâ*, ſive de Renovatione Mundi, apud Iſaiam Prophetam, & Apoſtolos, Paulum, Petrum, Johannem celebratâ: aufugiunt à verbis explicitis, & nodum in ſcirpo quærunt. Hæc iniqua ſunt, inquam: cùm ad arbitrium ſuum, ſinè certâ lege, ſtudio partium, jus faciunt.

SED ut huic Sermoni finem faciamus: Monemur his exemplis, non omnia ejuſdem eſſe fili in ſacro textu, neque eodem modo tractanda: Cúmque ſenſus literalis & ratio-

nalis

nalis non cohærent, inſtituendum eſſe examen de utriuſque rationibus & momentis: ut, quod æquâ lance præponderat, accipiamus. Præſtat autem nobis ut hoc examen fiat ab amicis, quibus curæ erit ut fidei noſtræ ſumma, & ſacrarum literarum authoritas, ſarta tecta conſerventur, quàm ab inimicis, qui utramque his machinis expugnare ſatagunt. Extraneorum quorumcunque religionem & dogmata ad minutias uſque excutimus, & ſi quid abſurdi continent, falſi convincimus & irridemus: Meâ autem intereſt multò magìs ut Religio, quam profiteor ipſe, ſit vera, quàm ut aliorum ſit falſa: ut illa abſurdis careat, quàm ut altera iiſdem abundet. Abſque examine autem & judicio adhibitis, hæc & illa ſunt æquè vera; ut omnia ſunt ejuſdem coloris ſinè luce.

NEQUE refugit examen Religio Chriſtiana: *Deum Ignotum colere*, non noſtrûm eſt: neque Fidem, cujus nulla reddi poteſt ratio. *Explorate omnia*, inquit Apoſtolus, *quod pulchrum fuerit retinete.* Ὅσα ἐστιν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ—— ——Ταῦτα λογίζεσθε. *Quæcunque vera ſunt, quæcunque veneranda*, auguſta, Deo & hominibus digna: *Hæc cogitate* Chriſtiani, ut monet idem Apoſtolus. Denique, precatur Deum, ut ſui Philippenſes abundent ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει. εἰς τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα. *Ut abundent cognitione & ſenſu, aut judicio ad explorandum ea, quæ differunt*, vel quid alia aliis præſtent; tam in diſcriminan-

1 Theſſ. v. 21.
Phil. iv. 8.

dis

dis doctrinis, quàm in rerum praxi. Egregia ſunt etiam in hoc argumento Patrum monita & Conſilia. Juſtinus Martyr in Apol. II. Princ. Apologiâ pro Chriſtianis, Τοὺς κατ' ἀλήθειαν εὐσεβεῖς καὶ φιλοσόφους μόνον τἀληθὲς τιμᾷν καὶ στέργειν ὁ λόγος ὑπαγορεύει, παραιτουμένους δόξαις παλαιῶν ἐξακολουθεῖν, ἂν φαῦλαι ὦσι. *Qui verè Pii & Philoſophi ſunt, eos ſolam veritatem in pretio & amore habere, ratio dictat, Veterum opinionibus, ſi pravæ* Therapeut. Ser. I. *ſint, inſiſtere detrectantes.* Præclarè etiam Theodoretus, Ἀνδρῶν σωφρονούντων ἴδιον, μὴ προλήψει δουλεύειν, μηδὲ ἔθεσι προσδεδέσθαι πατρῴοις, ἀλλὰ ζητεῖν τἀληθὲς, καὶ τὸ χρήσιμον πανταχόθεν ξυλλέγειν. *Proprium virorum prudentium eſt, præconceptæ opinioni non ſervire, nec Patriis moribus alligari: ſed veritatem quærere, & quod utile eſt undiquaque colligere.*

HIS præceptis & Conſiliis ſi obſequamur, nihil metuendum erit nobis ab Atheis aut Infidelibus. Quæ ſolido nituntur fundamento, non metuunt procellas: Sed quæ arenæ ſuperſtructa ſunt, ad omnem impetum ventorum concutiuntur, ſi non labaſcunt. Præterea, ut hoc demum te moneam: Hujuſmodi hominum nequam & infeſtorum Religioni non parum augetur numerus, & confirmatur audacia, ab imperitis, crudis, & inſulſis interpretamentis ſacræ Scripturæ: qualia nempe concoquere non poteſt mens ſana: & eorum causâ cætera, quæ pulchra ſunt

ſunt & præclara, inconſultò & per concomitantiam, ut aiunt, rejiciunr. Sed ad reliqua progrediar.

TERTIO mihi objicis; Nonnulla loca, quæ figuratè interpretamur, in Prolegomenis Moſaïcis, citari alibi in ſacris literis & in novo fœdere: ídque ſecundùm literam & ſinè ullâ ſenſûs arcani ſignificatione. Non inficior. Ita Apoſtolus inquit, *Serpens decepit Evam ſua calliditate.* 2 Cor. xi. 3. Author ad Hebræos Sabbathum primævum, & Adamicum reſpicere videtur, *cap.* iv. 4. Pſalmiſta memorat aquas ſupercœleſtes, *Pſal.* cxlviii. 4. Aliæque ſunt non paucæ repetitiones, vel alluſiones ad ea quæ dicuntur â Moſe, in primis Capitibus Geneſeωs. Sed quid hinc probas, vir Optime? Qui alterius Scriptoris verba recitat, nudâ repetitione nihil mutat in ſenſu, ſive ſit literalis, ſive parabolicus. Si Apoſtolus alicubi pro re natâ citâſſet aliquam è Parabolis Chriſti: putà, illam, ſi velis, de Lazaro & Divite: repetiiſſétque verba Chriſti, *Dives apud Inferos, cùm eſſet in Tormentis, vidit Abrahamum è longinquo, & Lazarum in Sinu ejus. Tum ipſe clamans dixit, Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digitum ſuum in aquam, & refrigeret linguam meam. Quoniam crucior iſtâ flammâ.* Luc. xvi. 23, 24. Ecquem putas ſanæ mentis, hinc probaturum eſſe, Lazarum habuiſſe digitos, vel Divitem habuiſſe linguam, apud Inferos? vel Chriſti ha-

verba non eſſe parabolica, quandoquidem ab alio Authore ſacro repetita legimus in formâ literali? Simili modo in datis exemplis, cùm Apoſtolus citat parabolam Moſaïcam de Serpente, qui allocutus eſt & fefellit Evam, nullâ additâ interpretatione: Hoc neutiquam probat Moſem non locutum eſſe parabolicè; niſi eodem argumento probare velis, Diabolum non interfuiſſe illi negotio: ipſius enim non meminit Apoſtolus, nec ipſe Moſes. Denique Chriſtus ipſe citat verba Prophetæ Iſaiæ de infernò, *Cap.* lxvi. 24. ubi *vermis non moritur, neque Ignis extinguitur.* Hæc verba, inquam, recenſet Chriſtus, *Mar.* ix. 44. nullâ adhibitâ explicatione: neque tamen propterea credimus fore vermiculos in Inferno. Fieri etiam poteſt, ut quæ viſione exhibita fuere, recitentur hiſtoricè, tamquam externè & plenâ luce peracta. Nunquam mihi perſuadebis Hoſeam Prophetam ſumpſiſſe in uxorem aut concubinam, ſcortum meritorium: ídque mandato Dei. *Hoſ.* i. & iii. Apoſtolus Paulus ait, *An ignoratis corpora veſtra eſſe membra Chriſti: Num igitur ſublata membra Chriſti*
1 Cor. vi. 16, 17. *faciam ſcorti membra? Abſit.* Et quæ ſequuntur. Iſtæc igitur apud Hoſeam ſymbolicè interpretor, aut in viſione facta, narrentur licèt nudè & ſinè explicatione; Jovem Martémque Scortatores hujuſmodi decent mandata, non purum Iſraelis & Chriſtianorum Numen.

PRÆ-

Præterea, Propheta Ezekiel dicitur jacuiſſe tricenos nonaginta dies in latus ſiniſtrum: intuendo laterem quendam cui inſculpta erat Urbs Hieroſolyma. Dein, quadraginta dies in latus dextrum, coram eodem coctæ terræ fruſtulo, *Cap.* iv. Hæc ῥητῶς affirmantur in ſcripto Prophetico, cum multis aliis, de comeſto volumine, *Cap.* iii. de abraſis capillis, variéque diſpoſitis, ferè ad ritum ceremoniarum magicarum; *Cap.* v. Et de perfoſſâ ſuâ æde propriis manibus, & tranſlatâ ſupellectile ſuper humeris: *Cap.* xii. Quid memorem Jeremiæ cingulum, & ad Euphratem repetitum iter? *Cap.* xiii. Ejuſdem etiam Calicem à Deo acceptum, & delatum ad plurimas quaquaverſum gentes, ut indè biberent, *Cap.* xxv. 15, *&c.* Juga etiam portâſſe dicitur in multas terras, & Regum cervicibus impoſuiſſe, *Cap.* xxvii. Hæc & hujuſmodi acta Prophetica, quum neque τοῦ πρέποντος neque τοῦ πιθανοῦ rationem habeant, non niſi in viſione Propheticâ cenſeo exhibita, * ad repræſentandum iis per

* Abſit ut Deus Prophetas ſuos ſtultis vel ebriis ſimiles reddat, eóſque ſtultorum aut furioſorum actiones facere jubeat: Præterquam quòd præceptum illud ultimum (de radendâ barbâ & capillis) Legi repugnâſſet: Fuit enim Ezekiel ſacerdos magnus, & propterea ad duo illa præcepta negativa, de non radendo angulo capitis, & angulo barbæ, obligatus. Proinde non niſi in viſione Prophetiæ factum fuit. *Maimon. Mor. Nev. pars* II. *c.* xlvi. *Dein ſubjicit,* Qui verò minùs firmo judicio ſunt præditi, illi hæc omnia ita intelligunt, ac ſi Propheta narraret quid ſibi injunctum fuerit, & quid revera fecerit, *&c. Lege, ſi placet, totum caput.*

hæc ſymbola, quæ fata imminebant Gentibus aut Judæis.

NEQUE aliter judicandum eſſe exiſtimo de colloquiis Dei cum Satanâ : quæ nonnunquam in hiſtoriâ ſacrâ memorantur. Notum eſt alloquium ad Satanam, unà cum Joſhuâ, Pontifice maximo, in Prophetiâ Zachariæ: *Cap.* iii. *ver.* 1, 2, 3. Quod utique ratio rei ſuadet aut in viſione factum, aut omnino non factum: ſed exhibitum & relatum à Prophetâ per προσωποποιΐαν θεατρικὴν, ac ſi factum fuiſſet, ad ſignificandum Dei Providentiam & Patrocinium Eccleſiæ.

SED notiſſima eſt hiſtoria Michaiæ Prophetæ (1 *Reg.* xxii. 19, 20, *&c.*) ac colloquium & conſultatio illa Dei cum Angelis ſuis, tam malis quàm bonis, de Rege Achabo decipiendo. Ubi roganti Deo, Quiſnam ex omnibus illis aſtantibus iret deceptum Regem Achabum: Unus malignus Angelus ſeſe obtulit, qui id ſe facturum reciperet. Dein quæſivit Deus ab iſtoc Dæmone, Quo modo, aut quâ arte falleret Achabum. Reſpondit, Inſpirabo, tanquam venenum, mendacia ſuis Prophetis. Abi, inquit Deus, &, ut dixti, facito. Hæc eſt dictorum ſumma, ſed nequid inter recitandum aberrârim, audi ipſa verba Prophetæ, 1 *Reg.* xxii. 19, 20, 21, 22. *Vidi Jehovam inſidentem ſolio ſuo: & totum exercitum cœli adſtantem ei, à dextrâ, &*

à ſiniſtrâ. Dixitque Jehova, Quiſnam è vobis pelliciet Achabum, ut aſcendat & pereat apud Ramothas Gileadis? Hic dixit hoc modo, & ille dixit illo modo. Tandem prodiit quidam Spiritus, qui conſiſtens coram Jehovâ, dixit, Ego pelliciam eum: Dicente verò Jehova ei, Quo pacto? Dixit Egreſſus ero Spiritus mendacii, in ore omnium Prophetarum ejus: Tum dixit Jehova, pellicies: etiámque prævalebis: Exi & fac ita. Hæc ita ſe habent, ut vides, ſecundùm literam & narrationem hiſtoricam. Sed Ecquis eſt, qui ſit auſus dícere, has res ita geſtas eſſe revera & literaliter? Deum iniiſſe conſilium cum ſuis Angelis, probis reprobíſque, de fallendo & ſeducendo Achabo: Et maligni cujuſdam Dæmonis ſententiam cæteris omnibus prælatam eſſe, Deóque acceptam, & effectu confirmatam. Agnoſcunt, opinor, omnes, hæc non niſi viſione peracta, aut ſinè viſione à Prophetâ propoſita, ad ſignificandum eventum, Deíque conſilium circa Achabum Regem.

Hinc ſatìs patet, quàm cautè interpretanda ſint nonnulla Prophetarum facta, & Dei colloquia, in ſacris Literis exhibita. His liceat adjungere unicum præterea exemplum, quod ad indolem argumenti noſtri circa colloquia à Moſe adornata in tertio Capite Geneſeωs proximè accedere videatur. Eſt conventus ille celebris &

colloquium Dei, Filiorum Dei, & Diaboli, quod occurrit in Prolegomenis Libri Job, & narratur hiſtoricè, his verbis: *Factum eſt quodam die, cùm veniſſent Filii Dei, ut ſe ſiſterent coram Domino; venit etiam Satan in medio eorum. Dixitque Dominus ad Satan, Unde venis? Et reſpondet Satan Domino, à peragrando Terram, & perambulando in eâ. Dixítque Dominus ad Satan, num conſiderâſti ſervum meum Job*, &c. cum aliis multis quæ ſequuntur in iſthoc Dialogo. Quæritur jam, quo genere orationis hæc conſcripta ſint, aut intelligenda? Narratur res tota, ut vides, per modum hiſtoriæ, aut rei geſtæ: non minùs quàm narratio Moſaica in ſuo Dialogo inter Evam & Serpentem, aut in altero illo inter Deum, Protoplaſtos, & Serpentem. Nec minùs incongruum videtur, Colloquium inſtituere inter Serpentem & Fœminam, ut eſt apud Moſem: quàm inter Deum & Cacodæmona, ut eſt apud Jobum. Optimi tamen Interpretes hunc locum Jobi parabolicè exponendum eſſe cenſent. Quidni igitur & alterum etiam apud Moſem? Sed de hoc loco Jobi quid ſentiunt Commentatores, audiamus.

Mor. Nev. par. III. *c.* xxii. MOSES Maimonides, etſi dubius ſit, fuerit necne Jobus perſona vera: *ſecundùm utramque autem ſententiam*, inquit, *ſive nempe*

nempe fuerit, ſive non fuerit, certum tamen eſt, quòd illa quæ à principio Libri ipſius commemorantur, de colloquio inter Deum & Satanam, de traditione item Jobi in poteſtatem ipſius, ſint parabolica. Nec aliter exponitur à noſtris: *Mercerus* in locum, de hoc conſeſſu Angelorum, & colloquio Dei verba faciens, *non quòd*, inquit, *ità craſsè hæc ad literam facta fuerint, ſed Scriptura ſeſe noſtro captui & ruditati accommodare voluit. Tale colloquium Domini*, &c. cum aliis multis in eundem ſenſum. Eò etiam collimant verba *Grotii* in locum, *Solent Dei decreta, Angelorum bonorum miniſteria, malorum machinationes, exprimi ad formam judiciorum aut conſiliorum Regum.* Hanc ſequuntur regulam alii Interpretes, hæcque ἠθοποιητικῶς dicta ad imitationem rerum humanarum, rectè notant: *Res non eſt geſta*, inquit alter, *ut hic narratur: Sed proſopopœia tantùm eſt, aut hypotypoſis, per quam intelligitur veritas, Deum Satanæ permiſiſſe*, &c. *Per* προσωποποιΐαν *vel* ἠθοποιΐαν, inquit alius, *indicat hæc omnia juſto & ſapienti Dei conſilio acta.* *Marian. in Schol.* *Scult.*

VIDES hîc, ſinè ſcrupulo, res geſtas, aut quæ narrantur hiſtoricè ad inſtar rerum geſtarum, haberi ab Interpretibus pro parabolicè aut figuratè dictis. Nec id cuiquam proinde vertendum eſſe vitio, quod à verbis

recedat, ubi Literalis interpretatio læſura eſſet Majeſtatem divinam, aut rerum naturæ palàm obnititur. Diſpiciendum eſt imprimis in ſacris literis interpretandis, Quæ ſit res ſignificata: Dein quis modus ſignificandi. Variat enim modus ſignificandi pro ratione ſæculi, & gentis: pro captu & ingenio populi. Neque hæc eadem ſunt ubique in omni œconomiâ, & in omni ætate. Hæc autem ſingula cùm nôrit Providentia omniſcia, ſeſe accommodat variis rerum humanarum ordinibus, ad temperandum Mundi univerſale regimen: Quod nos miſelli parum comprehendimus aut obſervamus. Denique, cùm dictio ſacræ Scripturæ ſit admodum figurata, ſtylúſque mixtus, res eſt judicii non exigui in ſingulis locis diſtinguere, quâ utitur loquendi formâ Spiritus Sanctus, quo genere ſermonis. Sanctus Petrus de Balaami Aſinâ verba faciens, inquit, *Jumentum mutum, humanas voces edens, inhibuit Prophetæ dementiam.* Aiunt tamen Hebræi, hoc totum in *Viſione prophetiæ* factum eſſe. Nec credunt fœdam Beſtiam è rauco gutture emugiiſſe voces humanas: ratiocinatam præterea, & injuriam expoſtulâſſe cum ſuo Domino. Hæc tibi meditanda relinquo. Non memini ego, in hiſtoriâ ſacrâ, ullibi revera locutas eſſe Beſtias. Et quod in officiis peragundis monuit apoſtolus, idem in tractandis literis ſacris obſervandum puto;

2 Epiſt. ii. 16.

Maimon. Mor. Nev. par. II. *c.* iv.

πάντα

πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. *Decenter & ſecundùm ordinem explicentur omnia.*

DENIQUE in citandis & applicandis dictis Moſaïcis & Propheticis Veteris Teſtamenti, non ſemper agunt Apoſtoli κατ᾽ ἀκρίβειαν. Ea quandoque, ut alia præteream, allegoricè accommodant in uſum populi, quæ nullum habent in Hiſtoriâ vel in textu Prophetico figuratæ locutionis indicium. Aliáque κατὰ ῥῆσιν uſurpant, ſinè notâ ſenſûs interioris, quem ratio ſuadet ſibi maximè propoſuiſſe Authorem. Cæterum, hoc argumentum, de ſtylo ſacræ Scripturæ, ſi ingrederer, creſceret mihi ſcribendi materies, pluſquam ferre poteſt Epiſtolæ modus, aut tua forſan patientia. Ad finem propero.

QUARTO mihi objicis: Sed quorſum mihi plura objicis, Bone Vir? Cùm nondum reſponſum dederis argumentis, quibus invitus retineor in ſententiâ tibi adversâ. Amolire tantùm hæc obſtacula, & nullis opus erit machinis ad me trahendum in tuas partes. Depellor à communi ſemitâ, non diſſilio: depellor, inquam, & deterreor, propter ſalebras, & præcipitia, & loca impervia; Rem capis, opinor, mentémqne meam. Fruſtra accumulas objectiones, inquam, Unum eſt neceſſarium: Fac tantùm ut Litera Hexaëmeri cohæreat & concordèt cum Dei & rerum naturâ; nihil ultrà quæritur, amba-

bus

bus ulnis amplectar iſtiuſmodi explicationem. Donec verò hoc vulnus ſanaveris, nequicquam quæris remedium aliunde, & quaſi novâ plagâ. Me vides conſtrictum rigidis rationibus : excute hæc vincula, ſolve mihi has compedes, & eandem libens ibo tecum viam. Vale, Vir Optime, & memor ſis amici tui obſervantiſſimi.

FINIS.

BOOKS lately printed for J. Hooke, *written by Dr.* Burnet, *late Maſter of the* Charter-Houſe.

I. THE Theory of the Earth, containing, an Account of the Original of the Earth, and of all the general Changes which it hath already undergone, or is to undergo, till the Conſummation of all Things. In 4 Books. The two firſt concerning the Deluge, and concerning Paradiſe; the two laſt concerning the burning of the World, and concerning the New Heavens, and New Earth: with a Review of the Theory, and of its Proofs, eſpecially in reference to Scripture, *&c.* In 2 vol. Price 11 *s.*

II. De Fide & Officijs Chriſtianorum Liber. pr. 3 *s.* 6 *d.*